ANALYTICA RECENSIO EPISTOLAE B. APOSTOLI PAULI AD ROMANOS, CUM QUAESTIONUM...

Theodor Zwinger




6
39 MC
11

ANALYTICA RECENSIO

EPISTOLÆ

B. APOSTOLI PAULI AD ROMANOS,

Cum QUÆSTIONUM variarum pulcherrimarum & utilissimarum, singulis Capitibus intertextarum & annexarum RESOLUTIONE:

Ad Textûs Apostolici faciliorem comprehensionem; ad locorum ἐναντιοφανῶν conciliationem; & parallelorum hujus Epistolæ cum oraculis Veter. Testam. collationem.

AUTHORE

THEODORO ZUINGERO,
S.S. Theol. Doct. & Profess. in Acad. Basileensi, ejusdemque Eccles. Pastore.

MANTISSÆ loco appensa est

SYNOPSIS ET ΣΚΙΑΓΡΑΦΙΑ CORPORIS totius S.S. Theologiæ, ex eadem prædicta Epistola methodo synthetica concinnata.

Accesserunt tandem

INDICES tres locupletissimi, *Quæstionum* in singulis Capp. tractatarum; *Locorum Scripturæ* explicatorum, & à corruptelis variorum Adversariorum vindicatorum; *Rerum* denique ac *Verborum*.







BASILEÆ,
Impensis EMMANUELIS KÖNIG.
Typis JOH. JAC. GENATHI,
Anno CIƆ IƆ C LV.



VIRIS VENERABILIBUS,

Pietate, Doctrinâ omniumq; Virtutum splendore clarißimis,


Dn. JOH. JACOBO HULDERICO, Ecclesiæ Tigurinæ Antistiti vigilantissimo ac celeberrimo:

Reliquisque in eâdem ECCLESIA & SCHOLA inclyta Pastoribus & Professoribus eruditissimis,


HELVETIAE Reformatæ Luminibus, Fratribus in CHRISTO conjunctißimis & observandis:

THEODORUS ZUINGERUS, Gratiam & pacem à DEO PATRE, & DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO,

animitùs adprecatur.



EPI-



EPISTOLA DEDICATORIA.



ADfero ad vos, VIRI VENERABILES, Epiſtolam B. APOSTOLI PAULI, Gentium Apoſtoli, quam ſcripſit ad fideles ROMANOS, Analyſi mea, cum variarum utiliſſimarum *Quaſtionum* enodatione, pro facultate mihi à Deo conceſſa, illuſtratam.

EPISTOLA ipſa, uti tota reliqua Scriptura, nullius Hominis, ne quidem totius Eccleſiæ Chriſtianæ, ad ſui commendationem ſuſpensâ hederâ & patrocinio indiget: quippe quæ omnem ſuam lucem & authoritatem à Scriptura ipſa, non ſecùs atque Luna à Sole mutuatur. Quanquam enim Eccleſiæ teſtimonium, cui tanquam fide cuſtodi *eloquia Dei concredita ſunt*, ut hinc *columna & ſtabilimentum veritatis* appelletur; tantum ad Scripturæ approbationem & æſtimationem poſſit habere pondus apud rudiores & Catechumenos; quantum apud Samaritas olim habuit teſtimonium Mulieris de Chriſto: attamen, ſicut ex ore ipſo Chriſti Samaritani demum ſolidam ejus cognitionem hauſerunt; ita ij, quos Scriptura *adultos* vocat, veram fidem & æſtimationem Scripturæ, ex ipſiusmet promptuario mutuantur. Nimirum, ſicut Sol ſua luce, mel ſua dulcedine, gemma aliqua nobilis & pretioſa ſua virtute & efficacia ſemetipſa commendant, etiamſi nullo externo teſtimonio firmentur: ita Scriptura S. atque in ea inprimis Epiſtola hæc Paulina ad Romanos, ſua luce, dulcedine, virtute & intrinſeca bonitate ac pretio, ſemetipſam commendat.

Quid enim? Si AUTHOREM intueare Apostolum, quantum ipse, quamque stupendum est documentum Divinæ *potentiæ* in admirabili sua conversione, per quam ex lupo agnus, ex vastatore ovium Christi Pastor factus est! Divinæ *sapientiæ*, quâ per hostem Vatinianum Christianæ Religionis, cœlitus illuminatum, Deus hostes omnes ejusdem pudefecit! Divinæ tandem *bonitatis, gratiæ* & *misericordiæ*, quâ, qui fuit ex ultimis, primus factus, & peccatorum summus ad summum Apostolicæ dignitatis fastigium evectus, eo axiomate ornatus fuit, ut vocaretur *vas Christi electum, & nomen Christi portaret in conspectum Gentium, Regum* totius terræ, & omnem Mundi sublimitatem sub jugum Christi ejusque Evangelii mitteret!

RES hac Epistola digestæ, quid spirant nisi plenis radiis scintillantem ejus Divinitatem? Nihil heic proletarium, nihil ex fœtidis & olentibus Philosophiæ gentilis aut rationis Humanæ lacunis haustum. Divina sunt omnia mysteria, ad quæ ratio Humana vel cœcutit vel obstupescit, quæ nonnisi ab intellectu, desuper à Spiritu S. collustrato, percipi, & à corde fęcibus omnibus præsumptionis & affectuum Humanorum expurgato, comprehendi possunt.

Atque hæc insuper omnia tam præclaro, artificioso & sapienti ORDINE, quem nostra Analysis pangit, contexta sunt, ut propter congeriem omnium rerum Divinarum, quæ tum ad fidei sinceritatem, tum ad vitæ sanctitatem pertinent, Epistola hæc meritò Epitome atque compendium, uti totius S. Scripturæ, ita quoque Religionis Christianæ dici mereatur, adeò ut, quibus adyta Scripturæ adire & penetrare animus est, ab hujus Epistolæ attenta lectione, meditatione & in memoriam impressione, initium auspicatissimum mihi facere videantur. Atque hinc non absque causa Epistola hæc post Historiam Evangelicam in Novo Testament. inter omnes non solùm Pauli, quas priores scripserat, sed & reliquorum Apostolorum Epistolas, primum occupaverit subsellium, cum

nulla

nulla earum uberiùs & luculentiùs præcipua S. Theologiæ capita proponat & exponat, quàm ista. Adde, πιναρμονίαν in ea occurrere & exhiberi plenissimam Vet. & Nov. Testamenti, quod tot parallela ex Scripturis Propheticis mutuata loca & oracula luce meridiana clariùs testatum faciunt.

VSUM tandem & fructum Divinæ hujus Epistolæ nemo sanctiùs commendabit, nisi Paulus ipsemet, qui, quod alibi de Scriptura in universum commonefacit, in hac Epistola κατ' ἐξαίρετον palàm fecit: *quòd* scil. *sit Divinitùs inspirata & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem in justitia & ad consolationem, ut inde perfectus reddatur Homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus.*

Non desunt quidem aliis Pauli reliquorumque Apostolorum Epistolis sua præclara encomia, luces, dignitates, pretia. Quin autem hæc præpondium obtineat præ omnibus illis, existimo, citra invidiam & bona cum pace omnium τῶν θεολογούντων, asseverari posse. Certè, cùm Petrus, non quidem Princeps, Caput & Dictator Apostolorum, quæ vox est assentatorum, & Curiæ Romanæ parasitorum, attamen ex primariis Apostolorum; Paulum præclaro hoc elogio cohonestavit, *quòd pro data sibi sapientia scripserit*, mentionem faciendo *omnium ejus Epistolarum, in quibus nonnulla sint δυσνόητα, difficilia intellectu, quæ Homines ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι, indocti & instabiles detorquere soleant sua ipsorum exitio:* in hanc Epistolam, inprimis propter Humanæ rationi abstrusum Divinæ Prædestinationis mysterium, in ea præ aliis reseratum; & prolixam de Justificatione nostra per fidem, tanquam primariam salutis nostræ doctrinam, digitum intendisse videtur.

Si nihil aliud esset, quod Epistolam hanc nobis commendabilem reddere posset, illud non videretur prætereundum, quod cùm Satan per Antichristum sub larva Ecclesiæ Romanæ hodiernæ Catholicam Christi Ecclesiam toti Orbi obtrudere etiamnùm tentat: larvata ista & apostatica Eccle-

)(2

sia Romana non meliùs ac certiùs à veteri illa Apostolica, ad quam Epistola hæc exarata est, discerni & internosci possit, quàm si illa ad Lydium hujus Epistolæ lapidem admoveatur. In ea enim habemus expressam effigiem veteris & primitivæ Ecclesiæ, cum qua quid, quæso, hodierna Pontificia ampliùs commune habet? Proh, quantum hæc distant æra lupinis, sive doctrinam, sive cultum religiosum, sive ritus, sive regimen Ecclesiasticum, ad censuram revoces! Ex multis delibabo pauca.

Bellarminus inter 15. notas Ecclesiæ Catholicæ *nomen* primùm *Catholicum* Ecclesiæ Romano-Pontificiæ vindicat, immemor dicti B. Ignatii Martyris: πρέπον ἐστὶ μὴ μόνον καλεῖσθαι χριστιανὸς, ἀλλὰ καὶ εἶναι. οὐ γὰρ τὸ λέγεσθαι, ἀλλὰ τὸ εἶναι, μακάριον ποιεῖ. Quid juvat nomen absque re, cortex absque nucleo, prætexta, quæ sit latentis hostilitatis tegumentum, stibium in facie rugosa? Si *Dici* sufficiat, sunto Donatistæ & Pelagiani boni Catholici, ipsique Ariani, hæreticorum omniũ αἱρετικώτατοι, qui suas blasphemias eousque in Orbem Catholicum olim dilatârunt, ut Hieronymus scripserit: *obstupuisse Orbem & miratum, factum se esse Arianum.* quin tam altas pestifera hæc secta egit radices, ut fibræ ejus in hunc usque diem exstirpari nequiverint. Quanto cordatiùs B. Augustinus: *Veri*, inquit, *Catholici sunt, qui & rectam fidem & bonos mores sequuntur.* Optimæ notæ notam Bellarminus quindecim suis infarcit, *Sanctitatem Doctrinæ.* Vbi verò nunc in Ecclesia hodierna Romana Sanctitas hæc, quæ plenis olim radiis in Ecclesia veteri coruscavit, ut Paulus meritò scripserit: *fidem Romanorum decantatam fuisse in toto Mundo.* Nonne argentum vetus in scorias, merum in vappam, lux in tenebras, veritas in mendacium, virginea puritas in detestabilem impuritatem, ad summam CHRISTUS in ANTICHRISTUM, Mulier amicta sole in meretricem Babylonicam conversa? adeò, ut quod Illustriss. Iul. Cæs. Scaliger, *quid de hodierna Roma sentiret?* rogatus, respondit: *Esse acetum pessimum vini optimi:* id de

Epist. 1. ad Magnesianos.

id de moderna Ecclesia Romana, cum veteri comparata, dici possit.

Ecclesia Rom. antiqua Hominem in Statu miseriæ non aliter intuita fuit, quàm spoliatum prorsus Libero suo, quo in Statu innocentiæ pollebat, arbitrio, denudatum omnibus viribus ad ullum salutare bonum, in peccatis prorsus mortuum. Talem Hominem Apostolus nobis pingit *Capp. tribus* prioribus hujus Epistolæ. Nova fingit Hominem, compedibus tantùm peccati constrictum, cum desiderio, conamine & viribus liberationis, modò externum ei gratiæ auxilium admoveatur.

Ecclesia Rom. antiqua in solius CHRISTI, tanquam unici Mediatoris & Redemptoris nostri, merito & satisfactione perfecta proram & puppim salutis nostræ constituit. Nova à Christi merito, sacrificio, intercessione, defecit ad Sanctorum merita & intercessiones, imò ad propria quorumvis fidelium merita & satisfactiones, pessundatoque Sacrificio Christi unico, in ara crucis peracto, novum quotidianum incruentum sacrificium, peccatorum expiatorium, commenta est.

Antiqua Eccles. Rom. Justificationem nostram coram Deo collocavit in Christi justitia nobis imputata: Nova in justitia nostra propria, nobis inhærente. Antiqua per solam fidem in Christum justificari voluit coram Deo: Nova vult justificari per opera, à quibus Apostolus Justificationem expresse removet. Antiqua Justificationem & Sanctificationem distinxit, ut patet ex collatione *Capp.* III. IV. V. cum *Capp.* VI. & VII. Nova utramque confundit. Antiqua πληροφορίαν habuit adoptionis & salutis ex *Cap.* V. & VIII. Nova talem vocat temerariam præsumptionem. Antiqua totam Hominis salutem, cum omnibus ejus consequendæ mediis, ad gratuitam Prædestinationem & Electionem, ceu ad primariam scaturiginem, retulit *Capp.* IX. X. XI. Nova è contrario Hominis salutem & electionem ad salutem suspendit

à præ-

à prævisione fidei & bonorum operum in Hominibus.

Ecclesiæ Romanæ veteri omnis Ἀγγελοθρησκεία, Ἁγιοδουλεία, inprimis Mariæ Virginis ὑπερδουλεία, nec non pudentissima Ἀρτολατρεία prorsùs incognita fuit. Atqui in commentitiis his & idololatricis cultibus summa Ecclesiæ novæ hodiernæ pietas & religio conquiescit.

Ecclesia antiqua Rom. nullis sese venditavit traditionibus ἀγράφοις, sed contenta fuit simplicitate doctrinæ Apostolicæ. Nova, insuper habitâ doctrinâ Apostolica, culmen suæ sanctitatis quærit in Humanis adinventionibus & traditiunculis. Antiqua caruit fastuosâ inutilium, non Christianarum sed histrionicarum ceremoniarum pompâ, & intenta fuit τῇ λογικῇ δουλείᾳ, *rationali cultui*, ab Apostolo commendato, *Cap.* XII. Novæ hodiernæ ἐθελοθρησκεία tota ad pompam, fastum, plausum, admirationem & stuporem luxuriantium plebis oculorum est comparata. Hinc Templa & delubra sumptuosa, auro, argento, gemmis radiantia, picturis & imaginibus undiquaque superbientia. Hinc cruces, altaria, cerei, anathemata sanctis devota. Hinc theatralis apparatus Missaticus, circumgestationes Dei panacei, processiones. Hinc innumera sub externa sanctitatis larva γαστροδούλων cucullatorum Monachorum & Monialium agmina. De quibus omnibus & singulis, horumque similibus, Ecclesia primitiva Romana tantum ampliùs noverat, quantum à Judaismo & Paganismo fuerat perpurgata.

Ecclesia Rom. vetus Magistratibus omnibus, etiam infidelibus, debitam subjectionem exhibuit, nullum tribunal Politicum invasit, sed uti Gentilibus primùm, ita postea Christianis Imperatoribus obtemperare sueta, juxta commonefactionem Apostoli, *Cap.* XIII. Nova, repræsentativa præsertim, quam vocant, Clericorum, totam se potestati Politicæ exemit. Imò Papa supra Impp. Reges, omnemque dominatum secularem se extulit, & summos Monarchas cum genuflexione ad osculum suorum pedum provolutos habet.

Vetus

Vetus Ecclesia Rom. non Petrum, non Episcopum Roman. agnovit pro Capite Ecclesiæ Catholicæ, sed CHRISTUM solum. Paulus Rom. *Cap.* XVI. in Syllabo Sanctorum, quos salutat, ne quidem Petri ullam facit mentionem. Nova tanquam Caput adorat Pontificem suum, cui tamen nec cum Petro nec cum Paulo quicquam est commune. Neque enim pascit verbo & prædicatione Evangelii gregem Domini, sed insolenter dominatur Clero. Non patitur nec fert crucem pro Christo, ad exemplum Petri, Pauli, & primorum Episcoporum Romanorum, martyriis nobilitatorum: sed Christi sinceros confessores & puros cultores ipse in crucem agit. Quis fando audivit unquam, Episcopos veteres Rom. triplici redimitos corona, in opprobriũ spineę coronę Christi, mortaliũ hodie pessimos, mortalium humeris idolorum instar circumgestatos, à populo cum genuflexione adoratos, Cardinalium & consimilium purpuratorum, nec non omnis generis cucullatorum catervâ & satellitio stipatos, in qua nunc pompa lasciviunt & luxuriant Pontifices Romani?

Gregorius Magnus qui jure propter suam humilitatem, pietatem, & officii Episcopalis Zelum, ultimus potest dici Romæ Episcopus, suo, licèt jam admodum corrupto, & ad Antichristi ante ipsum occultati, in persona Bonifacii III. (qui primus inter Episcopos Romanos *Universalis Episcopus* salutari voluit) plenam nativitatem & exortum, inclinante seculo; conquestus fuit *de multitudine negotiorum secularium, quibus prematur, ut ad superna animus nullatenus erigatur*; fluctibus se multis causarum quati, & tumultuosæ vitæ tempestatibus affligi, ut meritò dicat: *Veni in altitudinem maris.* Quid diceret, si redivivus Curiæ Romanæ statum præsentem intueretur: ubi nullæ audiuntur conciones, nulla agitatur disciplinæ cura, nullum fervet Ecclesiarum studium, nulla spiritualis functio: nihil denique apparet nisi Mundus? Quicquid in speciem spirituale occurrit, purum est putum πάρεργον, & rejectitia in Gnathones Pontificios cura. Quid enim, obsecro, post Pon-

Epist. 5. lib. 1. ad Theodost. Epist. 7. ad Anastas. item 25. & alibi.

)( )(

tifices Romanos in hodiernum usque diem ſapiunt, quid curant, quid verſant, coquunt, agunt & machinantur aulis Regum & Principum toti immerſi Cardinales, & qui in primis ſubſelliis verſantur Eccleſiæ Romanæ infulati, tot Eccleſiaſticis dignitatibus, præbendis, eleemoſynis diſtenti & impinguati Prælati? Quis vel minimam unciam Apoſtolici Spiritus, in his, quales citra controverſiam haberi volunt, Apoſtolorum ſucceſſoribus deprehendat? ut non immeritò olim Raphaël Vrbinas, Pictor excellentiſſimus, reprehenſus à duobus Cardinalibus, quòd Apoſtolorum Petri & Pauli facies inſolito rubore ſuffuſas expreſſiſſet, reſponderit: *Non vivorum maciem & pallorem, jejuniis & afflictionibus conciliatum, ſed beatorum ruborem adventitium imitatum ſe eſſe, quo ob Vicariorum ſuorum mores ſuffundantur.*

Th. Zving. Theat. Vit. Hum. Tom. 1. *p.* 106.

Eccleſia Rom. vetus Vitæ rectè inſtituendæ regulam nullam aliam habuit & ſequuta eſt, quàm ab Apoſtolo *Cap.* XII. *& ſeqq.* præſcriptam, tanquam S. Scripturæ conſentaneam. Nova mandatis atque interdictis Papæ ſe totam mancipavit, qui ſibi ſumit poteſtatem, Apoſtolicas Leges abrogandi, contra eas diſpenſandi; novas cum captivatione conſcientiæ rogandi, ſtatuendo peccatum, ubi nullum peccatum eſt, habenas interim peccatorum laxando, quas Deus, Chriſtus & Apoſtoli inviolabilibus interdictis aſtrinxerunt. Hinc quoq; in Eccleſiam invexit diſcrimen coactivum conſcientiæ Judaicum, ciborum, feriarum, veſtium, quod Apoſtolus *Cap.* XIV. *&* XV. voluit in libertate relinquendum, ubi periculum nullum ſubeſſet ſcandali dati.

Hæc & alia conſimilia innumera plus ſatis evincunt, quot paraſangis impura & apoſtatica Eccleſia Rom. moderna, diſtet à pura illa Apoſtolica veteri, cujus in hac Epiſtola nitidiſſima facies nobis ob oculos ponitur. Vt mirari prorsùs ſubeat, tot Principes Viros atque Magnates, væſaniam Regis Saulis imitantes, larvato hoc Eccleſiæ Romanæ Pſeudocatholicæ ſpectro, aut potiùs μορμολυκείῳ, adeò dementatos & faſci-

natos

natos esse,ut desertâ aut contemptâ veteri Apostolicâ doctrinâ, malint, cum periculo & dispendio salutis suæ æternæ, novam & apostaticam amplecti.

Sed ut jam ad ANALYSIN & *Resolutionem* hujus præclaræ Epistolæ descendam, eam, Viri Clarissimi, inclyto vestro Nomini ut inscriberem, gravibus rationibus adductus fui. Apostoli sententia est: *Prophetarum Spiritus Prophetis subjiciuntor.* Ego quidem quorumvis piorum, ingenuorum & cordatorum Lectorum judicium non reformido, quod, positis sinistris affectibus, possent aut vellent de mea hac qualicunque opera ferre. Malui autem eam ad aram Nominis vestri suspendere, quos scio exercitatos habere in S. Scriptura sensus, longeque & veriùs & sanctiùs ac puriùs de talibus laboribus sentire & judicare posse, quàm qui in adyta hæc tam profundè non penetrarunt. Magnus ERASMUS suas in Novum Testament. Paraphrases majori ex parte inscripsit magnis Regibus, Principibus, & consimilibus in eminentia constitutis, de quibus tamen sibi ipsi, uti fatetur, constiterit, quòd vix è limine eas essent salutaturi: modò tantùm à nomine eorum authoritatem aliquam apud alios eis fœnerari posset. Secior mihi animus fuit, qui sub auspiciis Nominis vestri volui has lucubrationes in lucem prodire, de quibus mihi constaret, quod nec limis, nec clausis, nec otiosis oculis eas è manu mea sitis accepturi, & quòd cum aviditate eas perlustrandi, judicium vestrum fraternum, ingenuum, benignum mihi non sitis denegaturi.

Quò etiam me perpulit non solùm mellitissima vestra Humanitas, quâ me coràm antehac per vos euntem & redeuntem semel atque iterùm prosequuti estis: sed & liberalis vestra de me meisque studiis ac laboribus existimatio, quam hactenus compluries testatam fecistis; utique non ex mea dignitate, sed ex vestra dignatione profectam. Cui præluxit insignis ille amor & benevolentia, quâ me hactenus complexi estis & sic vobis devinxistis, ut gratitudinis meæ debitæ inter-

eſſe putaverim, ſymbolo hocce meam erga vos ἀντιφίλησιν conteſſerare. Conjunctionem quinetiam individuam Eccleſiæ noſtræ cum Eccleſia veſtra volui hac ratione, arctiore aliquo vinculo & nunquam rumpendo funiculo, magis confirmare: quæ conjunctio ſemper extitit præcipua mea gloriatio, quòd ea non ſolùm pacis ſed & veritatis connubio, orthodoxo, inquam, ſano & puro in omnibus Religionis noſtræ Reformatæ capitibus conſenſu, niteretur, quem ſimul iſtius Paulinæ Epiſtolę recenſione volui magis ac magis ſubarrhare, ut appareret noſtras Eccleſias non, ad inſtar complurium aliarum νεοπεριζόντων, abire & diſſilire in partes, neq; vento quocunque peregrinæ alicujus ματαιολογίας & μεθοδείας circumferri, quod nunc apud τοὺς ἀστηρίκτους in laude ponitur: ſed præclarum illud depoſitum τῶν ὑγιαινόντων λόγων, quod à Majoribus & Anteceſſoribus noſtris Reformatis nobis ex ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis relictum eſt, optima fide cuſtodire, atq; ad ſeram usque poſteritatem transmittere velle. O ſanctum, beatum & incomparabile elogium illud, quo Eccleſiæ noſtræ Reformatæ in Helvetia, propter παναρμονίαν veræ & puræ Religionis, hactenùs in Orbe Chriſtiano fuerunt concelebratæ! Quærant alii & ruſpentur ſuam famam in dogmatum, per luxuriam ingenii à ſe excogitatorum, novitate; in Quæſtiuncularum non neceſſariarum, inutilium imò perniciosarum, affectata ſubtilitate; in impuræ illius Scholaſticæ Theologiæ, à Majoribus noſtris profligatæ, παλιγγενεσίᾳ & interpolatione; in Critica neſcio quâ S. Scripturæ μεταμορφώσει: inſultent ſuâ ſuperciliosâ δοξησισοφίᾳ noſtræ humilitati & tenuitati: criſtas ſuas, ſi poſſunt, ſubliment in Cœlū usq;, & nos glebamq; noſtrā patriā Helveticam ex alto deſpiciant. Nobis ſatis lucis, ſplendoris, laudis, famæ ſupererit & manebit, in ſimplici veritatis cœleſtis aſſertione, conſervatione & propagatione, in qua εὐφημίᾳ uti tutiſſimum, ita jucundiſſimū nobis futurū eſt πλεῖσταν. Illud vero etiam tandem, Viri ac Fratres obſervandi, cordi mihi eſſe volui, ut veſtri Nominis honorifica præſcriptio-

ſcriptione & Operæ meæ gratiam aliquam conciliare, & guſtum ejus avidiorem apud ſtudioſam Juventutem comparare poſſem. Vobis enim approbatoribus, non defutura eſſe reor Juniorum, à veſtro, aliorumque conſimilium præſtantium Virorum nutu & dictamine pendentium, ſtudia & adplauſus.

Quamobrem, uti ex optimo & veſtrûm omnium reverente animo atque affectu, fœtum hunc meum in ſinum veſtræ benevolentiæ depono; ita, ut ſerena fronte eum ſuſcipiatis, etiam atque etiam rogo: vota ſimul Deo faciens, ut vos Eccleſiæ, Scholæ & totius Patriæ veſtræ inclytæ fulgentia ſidera, ejusdem multiplici bono, ſplendori, ornamento & emolumento, ad Neſtoreos usque annos incolumes atque felices præſtare dignetur. Dab. Baſileæ d. 29. Octob. Ann. Chr. M. DC. LIV.





PRÆFATIO AD LECTOREM.



Uod antehac ad calcem THEATRI SAPIENTIAE COELESTIS, *ex Libro Institutionis* JOH. CALVINI *ante biennium à me erecti atque adornati, de Analytica Resolutione Epistolæ B. Apostoli* PAULI *ad* ROMANOS, *promiseram, id nunc effectum do. Tardiùs quidem & seriùs præter fortè Lectoris exspectationem, meamq; intentionem, ast operosiùs & nonnihil elimatiùs; cùm per alios labores, & valetudinem quoque sensim languescentem, citiùs & maturiùs fieri nequiverit. Sat citò interim, si sat benè. Moram interdum compensat uberior fructus, ut quum semen in terram conjectum tardiorem suum exortum resarcit uberiore segete & lucupletiore messe.*

Ann. M. DC. XXXV. Mense Julio pro suggestu nostro in S. Templo, in Concionibus matutinis hebdomadariis, Epistolam hanc Pauli analyticè *simul, &, prout Concionum Ecclesiasticarum consuetudo postulat,* practicè *mihi pertractandam sumpseram: quem laborem Mense Aprili, Ann. M. DC. XXXVIII. Deo benedicente, consummaveram. Ex quo tempore Studiosi S. Theologiæ indigenæ partim, partim peregrini contenderunt, ut meletemata mea bono publico in lucem ederem. Ast quia id mihi nec tempestivum nec maturum videbatur, in aliud tempus negotium pressi & comperendinavi. Interim non defuerunt, quibus enixè petentibus descriptionem denegare nequivi. Unde factum, ut Viris etiam doctis saliva aliqua moveretur ad gustum eorum percipiendum. Donec, ulteriore occasione sese ingerente, urgentibus petitionibus morem mihi gerendum & prælo litandum duxerim.*

Protestor ante omnia nullo me scripturiendi cacoëthe adductum, nullo ambitionis typho inflatum, ad hunc laborem accessisse, aut quasi

plura

plura mihi de meis, quàm de aliorum eminentium Theologorum lucubrationibus pollicerer: qui novi, quàm curta sit mihi supellex, quamq́; dedeceat, anserem inter olores strepere. Nolui scribere justum Commentarium, ne post Bucerum, Calvinum, Martyrem, Bullingerum, Grynæum, Pareum, &c. Viros summos, actum agere, aut lucernam in meridie accendere velle viderer. Quanquam sententiæ Roberti Rolloci, Theologi Scoti, qui insignem navavit operam resolvendæ hujus Epistolæ, per omnia subscribam: Nunquam adhuc satis de Epistola hac vel cogitare, vel loqui, vel scribere, quisquam potuit. Continet enim mysterium illud & opes Christi inscrutabiles. *Neque etiam varias doctrinas & observationes ex contextu Paulino, quod pro suggestu feceram, eruendas & amplificandas mihi sumpsi. Commentarii talibus diffluunt, & facilioris id est operæ, in qua fibulas laxare aut astringere cuilibet permissum, modò ne renitentem textum cogat ad sua, quæ ex eo sibi fingit, placita. Neque porrò, occasione licèt ferente, in campum variarum Controversiarum excurrere volui, cùm animadverterim, prædictum Clariss. Pareum in Commentario suo doctissimo partibus his Polemicis abundè satis & præclarè fuisse perfunctum.*

Id verò principal[illegible]ntendi, ut Divinam & incomparabilem, è cælestis prorsus sapientiæ thesauro profectam, Epistolæ hujus methodum, per ejusdem ὀρθοτομίαν *Juventuti studiosæ ob oculos ponerem, & aures ei vellicarem, hoc specimine adhibito, ad S. Scripturam non perfunctoriè, non desultoriè & confusè legendam; sed cum diligenti attentione & observatione* εὐταξίας, *quâ S. Prophetæ & Apostoli Divina oracula nobis patefecerunt & reliquerunt. Scimus, quàm solicitam operam impendant Philosophi in excutiendis monumentis Aristotelicis, & Medici in Hypocrateis & Galenicis. Et nos* θεόπνευστα *Sanctorum Dei Virorum oracula, quæ non ex arte aliqua, Humani ingenii fœtura, sed ex Spiritus S. immediato instinctu & influxu profuderunt, minore haberemus loco, atque Humana alia tot erroribus, nævis, ignorantiis & exorbitantiis scatentia & distenta scripta? Ad scopum autem meum, ut feliciùs collimarem, quod in opere Institut. Calvini præstiti, in hac Epistola quoque tentandum ratus, nolui*

conti-

continuo & magis tædioso sermonis ductu & filo id agere, sed per intervalla, incisuras & varias diastolas, quas per cyphras partim, partim per literas alphabeticas trium originalium linguarum, designavi, ut cujusque Capitis tum Partes principales, tum partium membra & membrorum Articuli, statim ad primum intuitum in legentium oculos, subinde in mentem & memoriam influerent.

Capita quoque singula stipavi & locupletavi variis pulcherrimis & utilissimis QUAESTIONIBUS, *ex contextu Apostolico (cujus ex Græca veritate omnium purissimam paraphrasin, à Theod. Beza confectam sæpiusq; elimatam & interpolatam, retinere volui) emergentibus, de quibus tamen demum* Analysi *jam confecta cogitare cœpi: eum in finem, ut earum resolutio, quod Analyseos angustia non permiserat, resarciret & compensaret, & lux major in legentium animis accenderetur, juxtaq; , quæ in hac Epistola & alibi in speciem contraria occurrerent, conciliarentur. Brevitate interim, cum perspicuitate conjuncta, id mihi faciendum censui, ne vel prolixitas vel obscuritas Lectori tædium adferret, sed occasione hac adjutus de rebus magni momenti sibi cogitandum arbitraretur.*

Porrò finita analytica simul & erotematica hujus Epistolæ tractatione de MANTISSA *quoque ei appendenda cogitare cœpi,* SYNOPSI *videl. &* ΣΚΙΑΓΡΑΦΙΑ totius CORPORIS S. THEOLOGIAE, *quam ex Epistola hac, & quidem in gratiam Theolog. Studiosorum, inprimis eorum, qui Examini pro S. Ministerio sistendi veniunt, extraxi: ut discerent, quàm fœcunda sit hæc epistola, & quàm nihil vel parum in ea desiderari possit, quod ad sapientiam nostram salutarem pertinet; & ut iterùm ex hoc specimine erudirentur, quâ diligentiâ & curâ S. Scripturas legere & tractare, omniaq; & singula in iis ad Locos communes in Theologia occurrentes, referre oporteat.*

Opellam hanc sequuntur SYLLABI *tres locupletes: primùm variarum* Quæstionum *enodatarũ, ad singula Capita: subinde* Locorum S. Scripturæ *allegatorum, illustratorum & à variis* παρερμηνείαις *&* ψευδερμηνείαις *vindicatorum: tandem quoque* Rerum & verborum. *Qui labor acceptus ferendus Viro Rever. & Doctiss.*


D.M.Lu-

D. M. Lucæ Gernlero, Genero, & Collegæ meo in S. Templo, dilectissimo.

Sed nec illud dissimulandum ratus sum, quum operæ huic edendæ manum admovissem, quod etiam Bibliopolæ pollicitus fueram, & in Mantissa prædicti Theatri Sapientiæ cœlestis Lectori insinuaveram, me Analyticam quoq; recensionem totius Apostolicæ EPISTOLAE AD HEBRAEOS, *quam majori ex parte jam meditatam & Filii mei Johannis manu ex protographo extractam habeo, adjungere constituisse, ut sic junctis his operis Liber in justum aliquod volumen & ligaturam excresceret. Et jam in eo eram, ut prælum de novo tentarem. Sed quia non solùm alia Vocationis meæ officia, sed & valetudo infirma, cursum istius propositi pro tempore sufflaminarunt; Medicorum partim, partim aliorum mihi conjunctorum persuasione adductus, manum de tabula cedere necesse habui. Operam interim daturus, Deo vires ac valetudinem mihi redintegraturo, ut horis succisivis telam hanc utilissimam, à variis quoque hactenus desideratam, pertexere possim: inprimis ubi cognovero, hos meos prævios labores in Epistolam Pauli ad Romanos, non futuros ingratos vel infructuosos.*

Quod superest, Deum, τὸν Δοτῆρα τῶν ἐάων, LUMINUM PATREM, *à quo omnis bona donatio desuper descendit, supplex oro, ut huic meæ plantationi & rigationi cœleste suum incrementum addere dignetur, ad Nominis sui S. S. gloriam, veritatis salutaris illustrationem, Studiosæ Juventutis informationem, & Ecclesiæ orthodoxæ multiplicem ædificationem,*

AMEN.



)( )( )(

PRECATIO AD FILIUM DEI.


DOMINE JESU CHRISTE, Fili Dei unigenite, qui effulgentia es gloriæ Patris, & sapientia ejus æterna, per quam omnia condidit, sustentat & gubernat; qui Lux es Mundi, ut qui te sequitur, non sit ambulaturus in tenebris, sed habiturus lumen vitæ: ad te salit & ebullit animus meus, ut, quo tu abundas Spiritu sapientiæ, intelligentiæ, consilii & timoris Dei; ejus radium aliquem in pectus servi tui expandere velis. Ego sum Homo naturâ miser, tu misericordiæ tuæ micas mihi ne denegato. Ego intellectu sum tenebricoso & cœco: da mihi illuminatos oculos mentis meæ. Voluntatem habeo immorigeram & refractariam: tu eam flecte ad obsequium sanctæ voluntatis tuæ. Cor meum æstuat omnis generis pravis motibus & concupiscentiis: tu crea in me cor novum, aufer ex eo quod tibi displicet, & infer in illud, quod tibi placet: compone fluctus pectoris mei, ut suam malaciam & quietem in te inveniant. Ego sum Homo pollutis labiis: tu igneâ prunâ Spiritus tui sancti exure omnem eorum impuritatem, ut grata tibi eloqui, scribere, meditari possim.

Ingredior, DOMINE, adyta Spiritus S. tui, & selecti tui Apostoli B. Pauli mysteria in Epistola ejus ad Romanos evolvere, in lucem aspectumque Ecclesiæ tuæ proferre conor. Quàm mihi desiderabilia sunt eloquia tua! Dulciora mihi sunt melle, pretiosiora auro defæcatissimo. Imple tu mea desideria & vota. Tu ambulas in medio candelabrorum Ecclesiæ tuæ, & stellas in firmamento ejus scintillantes dextrâ tuâ tenes. Tu solus dignus es, qui solvas & aperias sigilla Verbi Dei. Aperi ergo oculos meos, ut in lumine tuo videam lumen, & contempler magnalia & mirabilia Legis tuæ. Duc me per Spiritum S. tuum in omnem veritatem, fac me ambulare in

ecliptica

ecliptica & recta semita oraculorum tuorum, ne declinem ad dextram aut sinistram, nec abripiar ad syrtes & avia variorum errorum, quibus nunc turbatur Ecclesia tuæ. Ne patiare ut sensu meo metiar eloquia tua, sed eorum lux, splendor, claritas absorbeat omnia nubila mentis meæ. Da ne indulgeam ulli carnali arrogantis alicujus præsumptionis & φιλονεικίας affectui, sed abnegata ratione mea cœca, totum me ad dictamen & obsequium oris tui componam. O JESV CHRISTE, dulcissime Sponse animæ meæ, quanto profundor gaudio, quum sto, audio, lego, meditor vocem tuam! Da ut non solùm ego eam cum fructu percipiam, sed & alios tui timentes ad ejusdem avidam auscultationem, fructuosam perceptionem, & indefessam observantiam, formare & extimulare queam, adeoque mihi commune sit gaudium cum omnibus, quos informationi meæ credidisti. Donec tandem post ænigmaticam & partialem, nunc in speculo tantùm nobis obversantem, tui tuorumque mysteriorum cognitionem, ex atrio Ecclesiæ tuæ militantis, in quo nunc peregrinamur, in cœleste tuum sanctuarium translati, Te de facie ad faciem intueamur, secundùm imaginem tuam transformemur ex gloria in gloriam, Teque Patremque tuum cœlestem, & Spiritum S. paracletum, DEVM illum TRINVNVM, cum infinitis myriadibus Sanctorum Angelorum & beatorum Cœlitum, celebremus in sempiterna secula.

AMEN.



Ne

Ne columna hæc vacua restaret, placuit unam & alteram sententiam ex veteribus Scriptoribus, de S. Scripturæ diligenti meditatione & debita tractatione, asspergere.

Hieronymus in quadam Præfat. ad Damas. Pontif. *Mihi sufficit sic loqui, ut intelligar, ut, de Scripturis loquens & disputans, Scripturarum imiter simplicitatem. Nec ex Tulliana eloquentiæ fontibus ducendus est rivulus, nec aures Quintiliani flosculis, & scholari declamatione mulcendæ. Pedestris & quotidianæ similis, & nullam lucubrationem redolens oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisseratq;, obscura manifestet, non quæ verborum compositione frondescat.*


Chrysostomus: *Sicut in auri & metalli fodinis subinde novæ venæ sinus suos aperiunt, unde massæ depromuntur: sic in Scriptura S. quo magis teritur, foditur & pensitatur, nova subinde mysteria emergunt.*

Augustinus Epist. 3. ad Volusian. *Tanta est Christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficiendum etiam iis, qui eas solas ab ineunte pueritia maximo otio, summo studio, meliore ingenio conantur addiscere, non quòd ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tantâ in eis perveniatur difficultate: sed, cùm quis que sibi fidem tenuerit, sine qua piè rectèq; non vivitur, tam multa, tam multiplicibus mysteriorum vocabulis & umbraculis opaca, intelligenda proficientibus restant: tantaq; non solùm in verbis, quibus ista dicta sunt, verùm etiam in rebus, quæ intelligenda sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi, hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet:* Cùm consummaverit Homo, tunc incipit. *Eccles. 6.*

Idem alibi: *Scriptura sic loquitur, ut altitudine sua superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvos nutriat.*

Hugo lib. 3. de anima: *In S. Scriptura, quicquid docetur, veritas; quicquid præcipitur, bonitas; quicquid promittitur, felicitas est. Nam Deus veritas est sine fallacia; bonitas sine malitia; felicitas sine miseria.*

ΠΡΟ-



ΠΡΟΤΕΛΕΙΑ IN B. APOSTOLI PAVLI EPISTOLAM AD ROMANOS.



ΕΙΣΑΓΩΓΗΣ loco prælibanda sunt nonnulla, de Divinæ hujus Epistolæ *Authore*, *Circumstantiis*, *Occasione*, *Argumento*, *Ordine* aut *Methodo*.

I. AVTHOR *principalis* est SPIRITVS SANCTVS: *Ministerialis* est PAVLVS Apostolus, *qui scripsit pro data sibi Divinitùs sapientia*, *2.Pet.3.15.* Hinc Paulus ipse gloriatur, *se Spiritum Dei habere*, *1.Corinth.7.40.* & *loquentem in se Christum*, *2.Cor.13.3.* Itaque *Canonica* est ista Epistola, habens quoque κριτήρια omnia Librorum Canonicorum S.Scripturæ. Scripta enim est ab Apostolo, à Christo ἀμέσως vocato, quod non solùm titulus, sed & Inscriptio Epistolæ condocefacit: distenta est rebus Divinis ad Fidem & Vitam Christianam necessariis & infallibilibus: conspirat cum totius Scripturæ veritate & παναρμονίᾳ: sapientem denique reddit Hominem ad salutem, &c. *2.Tim.3.15,16,17.* hincque authoritas illius à nemine hactenus in dubium vocata.

PAVLI Apostoli historiam pertexere hoc loco non est necesse. Strictim tantùm sequentia attingere placet.

1. *Natione* & *prosapiâ* fuit Judæus, ex tribu Benjamin, *Rom.9.3.* & *11.1,2.2.Cor.11.22. Act.22.3. Philipp.3.5.*

2. *Patriâ* fuit Tarsensis, ex Cilicia. *Act.9.11.* & *22.3.* Hinc Civis Romanus: quia Tarsus propter sua κατορθώματα à Romanis civitate fuerat donata.

3. *Educationem* ejus quod attinet, ad manuariam quidem, scil. *σκηνοποιοτεχνίαν*, sive Scenæ-factoriam artem fuit ascitus, *Act.18.3.* interim simul excultus omni literaturâ, etiam Gentili (Socrat. *Eccles. Histor. lib. 3. cap. 14.*) edoctus in Lege Mosis, ad pedes Gamalielis. *Act.22.3.* Hinc Pharisæus, zelotes pro Religione patria, *Act.22.3. Gal.1.13,14.* maximus osor, blasphemator & persequutor Discipulorũ Domini & fidelium. *Act.8.1. & 9.1. & 22.4. &c. Gal.1.13. 1.Tim.1.13. Philipp.3.6.*

4. A' Judaismo ad Christianismum mirabiliter & immediatè à CHRISTO ipso conversus, *Act.9. & 22. Gal.1.11,12.* ex Lupo non solùm factus est Agnus, sed & Ovium Christi Pastor, Vas electum, *Act.9.15.* magnus Apostolus, nullo aliorum, qui cum Christo in terris vixerant, in re ulla inferior. *2.Cor.12.11.* Conversio ejus facta proximo anno à Christi passione, qui fuit nativitatis XXXIV. Tiberii Cæs. XIX. testibus Euseb. Hieronym. & Oros. Quem priùs zelum adhibuerat persequendo, hunc postea adhibuit tuendo & propagando Evangelium & Ecclesiam Christi. Virtutes ejus Apostolicas enarrare longioris foret operæ. Chrysostomus eas persequutus est Homiliis octo. *Homil.1.* Animum Pauli vocat *pratum quoddam insigne virtutum, & Paradisum spiritualem.* Patriarchis, Regibus, Prophetis, aliisque Sanctis Vet. Testamenti, ipsoq; Johanne Baptistâ eminentiorem; qui etiam cum Angelis conferri possit. *Homil.2.* scribit, *Paulum cunctos, qui nunc sunt Homines vel fuerunt, altiùs virtute transscendisse.* *Ibidem* inquit, *quæri posse: Anima Pauli aurea magis an adamantina appellanda sit? quia fuerit & adamante fortior, & auro gemmisq; pretiosior: & alteram quidem materiam firmitate, alteram pretiositate superaverit.* *Homil.* tandem 8. per apostrophen: *Cui,* inquit, *te, beate Paule, justorum Veteris Testamenti vel Novi audeam comparare? Omnium quippe virtutem, quasi in arca quadam, sed cum multo prorsus cumulo condidisti. Deniq; etiam, si totum contra te aliquis sigillatim justorum appendat chorum, inveniet trutinam virtutum ponderibus à tua parte depressam.*

Eruditionem ejus & *Sapientiam* quis non miretur, si cogitet, ipsum in tertium usque Cœlum & Paradisum raptum, vidisse & audivisse ineffabilia verba, quæ non liceat Homini loqui? *2.Cor.12.2.4.* *Eloquentiâ* tantâ valuit, ut ea de causa a Lystrensibus pro Mercurio habitus fuerit. *Act 14.12.* Hinc Eusebius reliquis Apostolis eum præferens, vocat *πάντων ἐν τῇ κατασκευῇ δυνατώτατον λόγων, νοήμασι δὲ ἱκανώτατον: structurâ sermonis omnium potentissimum, ac sensibus instructissimum. Hist. Eccles. lib.3. cap.24.* Hieronymus *ad Pammachium* vocat eum *tubam Evangelii,*

gelii, rugitum Leonis nostri, tonitruum Gentium, flumen eloquentiæ Christianæ.

Prudentiâ admirabili noverat omnes suas actiones, sermones & scripta condire & temperare, factus omnibus omnia, *1. Cor. 9. 22.* quò posset lucrifacere omnes. Hinc Chrysost. *Homil. 5.* vocat eum *varium ac multiplicem, non utiq; dissimulatione mutabilem, sed facientem omnia, quæ officii ipsius & salutis Hominum necessitas poposcisset.* Assimilat ipsum *Medico, qui nunc urat, nunc foveat; nunc ferro utatur, nunc medicamento; aliquando ægrotum à cibo potuq; cohibeat, aliquando verò in ista laxantem undiq; cooperiat & confoveat.* Hieronymus iterùm *in Apolog. pro Libris contra Jovinian. Paulum Apostolum,* inquit, *quotiescunq; lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua. Legite Epistolas ejus, & maximè AD ROMANOS, ad Galatas, ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est, & videbitis eum in testimoniis, quæ sumit de Veteri Testamento, quàm artifex, quàm prudens, quàm dissimulator sit ejus, quod agit. Videntur quædam verba simplicia, & quasi innocentis Hominis ac rusticani, & qui nec facere, nec declinare noverit insidias: sed quocunq; respexeris, fulmina sunt. Hæret in causa, capit omne, quod tetigerit, tergum vertit, ut superet, fugam simulat, ut accedat.*

Pietatem ejus commendat ardentissimus *Zelus* pro Dei & Christi gloria. *Non aliud ei* (verba sunt Chrysost. *Homil. 2.*) *desiderabile erat, nisi placere semper Deo. Præ Christi dulcedine non Angelorum, non Archangelorum admiratus est dignitatem, nec quicquam horum simile concupivit.* Omnia Mundi lucra, propter Christum & eminentiam notitiæ ipsius, habuit pro damno & stercoribus. *Philipp. 3. 7, 8.*

Charitate flagravit tantâ, ut pro fratribus suis Judæis cupierit fieri anathema à Christo, si hâc ratione ipsorum saluti consuli potuisset. *Rom. 9. 3. Audi,* (Chrysost. *Homil. 3.*) *quàm patienter, quàm mansuetè nobis pro illis loquatur, qui eum quinquies verberaverunt, qui eum catenis oneraverunt, qui vinculis sæpè constrinxerant, qui ejus ipsum sitiebant cruorem, quiq; illum quotidie discerpere gestiebant:* Testimonium, *inquit,* illis perhibeo, quoniam zelum Dei habent, ast non secundùm scientiam. *Sæpè lacbrymabatur vehementer, & pro illis dolebat, volentes illis insultare prohibebat, atq;, in quantū poterat, laborabat umbram eis aliquam excusationis obtrudere. Quàm verò etiam modestè cum illis loquitur, qui in peccata corruerunt? Audi quid Corinthiis dixerit:* Timeo, *inquit,* ne, cùm venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his, qui antè peccaverunt & non egerunt pœnitentiam. *2. Cor. 12. & ad Galat. cap. 4.* Filioli, *inquit,* mei, quos iterùm parturio, donec Christus formetur in vobis. *Alibi scribit:* Quis

infirmus eſt, quin ego ſim infirmus? quis offendiculo afficitur, quin ego urar? *2.Cor.11.29.*

Summis dotibus Paulus non factus inſolentior, *Humilitatis* fuit rarum & illuſtre ſpeculum. Patefecit eam in prędicatione Evangelii, in qua nullam affectabat ſublimitatem ſermonis aut ſapientiæ. *1.Cor. 2.1,4.* Patefecit eam in literis ſuis & tota converſatione, *Act.20.19.* ut vix ullus ſe ita mundè ab omni jactantia ſubduxerit. Hinc, conſcientiâ vitæ anteactæ & indignitatis ſuæ, vocat ſe *indignum Apoſtolatu, 1.Cor.15.9. abortivum, minimum Apoſtolorum,* imò *minimum Sanctorum, Eph. 3.7,8. 1.Tim.1.12. redarguit jactantiam τῶν πεφυσιωμένων inter Corinthios, 1.Corinth.1.& ſeqq.*

Φιλοπονία ejus fuit incomparabilis. Plus enim omnibus laboravit: *Col.1.28.29 1.Cor.15.10.& 2.Cor.11.23. tanquam pennatus totum docendo pervolavit Orbem,* (Chryſoſt. *Homil.1.& 2.*) *Terram ac Mare, Graciam, ſimulq; Barbariam, omnemq; prorſus, quanta eſt ſub Cœlo regionem quaſi volitans circumivit, non ſimplici labore veluti in vacuum itinera percurrens, ſed peccatorum ſpinas pariterq; evellens, & Verbum ſeminans ubique pietatis, fugans errores, veritatem reducens, ex Hominibus Angelos faciens: quin imò ipſos Homines, quaſi ex Dæmonibus in Angelos provehens.*

Zelo ſancto, in Apoſtolatu ſuo obeundo, ita flagrabat, ut parem neminem habuerit. Quò vehementiùs enim ante converſionem contra Chriſtum ejuſque Evangelium & Diſcipulos exarſerat; eò vehementiùs poſt converſionem pro defenſione & propagatione Evangelii & Eccleſiæ Chriſti laborabat. *Omnem enim* (Chryſoſt. *Homil.3.*) *prorſus Hominem Deo exhibere cupiebat, & omnes, quantum ad ipſum ſpectat, exhibuit. Quaſi enim univerſum Mundum genuiſſet, ſic perturbabatur, ſic currebat, ſic omnes in Regnum Dei feſtinabat inducere, docendo, meditando, tum orando pro ipſis, tùm etiam ipſis ſupplicando & terrendo, & Dæmones corruptores animarum fugando, aliquando Epiſtolis, aliquando præſentia; nunc ſermone, nunc rebus per Diſcipulos. Per ſemet-ipſum conabatur erigere laborantes, ſtantes verò firmare, humi jacentes attollere, ſanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare, inimicis inſonare terribiliter, hoſtes minaciter intueri more optimi cujusdam Ducis, ac Medici, artis ſuæ inſtrumenta geſtantis, protector ipſe bellantium, ipſe ſedulus ægrotorum miniſter, & unus omnium officiorum perſonas, & exercitium ubique cuſtodiens.* Zelum Pauli ipſe ex primariis Apoſtolorum Petrus Antiochiæ fuit expertus. *Gal.2.11.*

Αὐταρκείαν ſuam Paulus indicat *Phil.4.11,12.* lucri omnis præ Chriſto contemptor, *Phil.3.7,8.* qui etiam labore manuum ſibi victum pa-

rare

tare maluit, quàm Evangelium in lucrum vertere. *Act.20.33,34,35.1.Corinth.4.12. 1.Thess.2.9. 2.Thess.3.8.*

Conjunxit admirabilem *Patientiam*, in omnis generis afflictionibus & persequutionibus, ut nemo plùs vel fortiùs sustinuerit ipso. *2.Cor.11.23.&c. Gal.6.17. Eph.3.1.* Crucem æstimabat gaudium suum & gloriationē. *Col.1 24. Rom.5.3. Gal.6.14.* Hinc quinquies Hierosolymā profectus, periculorū sibi imminentium & præsagus & contemptor. *Gal.2.1.&c. Act.20.23,24. Vndiq; invidia igne succenso* (Chrysost. *Homil.4.*) *ab domibus, ab urbibus, ab agris, a solitudine, à terra, à mari, à Gentibus, à Judæis, à Principibus, à plebibus, à Regibus, à Regum Ministris, cùm omnes ad crudelitatem se mutuò cohortarentur, & omnes ferissimè sæviúsq; consurgerent: beatus tamen Paulus in tantos ignes insiliens, atque in medio talium luporum consistens, quanquam ictus omnium exciperet, non modò tamen obrutus ipse non est, sed etiam omnes illos in partem transtulit veritatis. Fortitudinem* ejus nullus plagarum vel mortis etiam truculentæ metus enervare aut expugnare potuit. quin ad mortem, tanquam ad triumphum, se properaturum scripsit, *2.Tim.4.6,7,8. Phil.2.17. Mortem*, ait Chrysost. *Homil.2. & cruciatus, & mille supplicia, quasi ludum putabat esse puerorum, dummodò propter Christum aliquid sustineret. Tunc enim & tunc amplectebatur libenter, & decorabatur vinctus catenâ magis, quàm diademate coronatus. Ei* (Homil.8.) *totius Mundi bellum omni erat pace jucundius. Delectabat enim, quicunque eum propter Evangelium vulnerabat. Hinc est, quòd ille Græciam atque Barbariam, cum illatis sibi vulneribus alacer circuibat, non minùs plagis suis gaudens, quàm Regiis triumphis: haud aliter delectatus naufragiis, quàm cæteri acquisitis solent gaudere thesauris: livoribus, quos ei verbera sæpiùs inferebant, quasi quibusdam gloriabatur coronis: tribulationibus ut deliciis utebatur, squalore carceris ut Paradisi amœnitate gaudebat.* Itaque tandem Ann.Chr.68. secundùm alios Ann.70. Neronis 14. seu ultimo, conversionis verò suæ, juxta Hieron.35. coronam Martyrii Romæ accepit.

Tàm præclaras dotes, labores comitata fuit stupenda prorsus Ministerii ejus Apostolici virtus & efficacia. Pollebat insignibus miraculis, quorum fit mentio in Actis Apostol. adeò ut, Chrysostomo attestante *Homil.5. vestimenta ejus Dæmonibus terrori essent.* Illud verò omnia alia miracula superare videtur, *quòd* (Chrysost. *Homil.5.*) *Homo ignobilis, abjectus & circumforaneus, qui artem exercebat in pellibus, in tantum virtute progressus fuit, ut vix triginta Annorum spatio & Romanos, & Persas, & Parthos, & Medos, & Indos, & Scythas & Aethiopes, & Sauromatas, & Saracenos, & omne prorsus Humanum genus sub jugum misit veritatis. Tale est*

enim, ut cùm Rex quispiam instructus armis omnibus Hostes superare nequiverit, nudus aliquis & pauper & solus, ac ne brevi quidem jaculo armatus, aut simplici saltèm veste tectus, certamen ineat, eaq; peragat, quæ alii ne cum mille quidem munitionibus patrare potuerunt. Hinc postea *Homil.8.* Paulum comparat *Soli, qui totum prorsus Orbem fulgentibus linguæ suæ radiis illuminaverit, quiq; universas circumeundo Gentes cursum Solis imitatus sit, ac Mundi regiones omnes, quasi libero à corpore animo pervolaverit, & hoc, cùm ei amata undique vulnera obviarent.*

Hactenus de PAVLO, tanquam Epistolæ hujus Scriptore.

II. CIRCVMSTANTIAS quod attinet

1. *Loci*, apparet ex fine *Rom.16.22.&c.* Epistolam scriptam esse *Corinthi*, dictatam *Tertio*, & missam per *Phœben*, Diaconissam Ecclesiæ Cenchreensis.

2. *Temporis*, scripta fuit Epistola, juxta Joh. Jacob. Grynæum, Ann. Christi 55. Claudii Cæsaris 13. Conversionis & Apostolatus Pauli 22. secundùm Bucholcerum, Anno Christi 54. Convers. Anno 21. secundùm Pareum, Anno Christi 56. Pauli 29. Neron. 8. Polychronismos istos examinare hujus non est loci nec instituti.

III. OCCASIO, *Generalis* quidem, studium & cura omnium Ecclesiarum, quam efflagitavit illius temporis necessitas, *2. Cor. 11.28.* *Specialis* verò, ad Ecclesiam Romanam pertinens,

1. Fides Romanorum toto Orbe decantata, *Rom.1.8.* quæ indigebat Epistolica hac Pauli confirmatione.
2. Æmulationes inter Judæos & Gentiles conversos. 1. *Illi* enim superbiebant fœdere, Gentes contemnebant, & justitiam Legis atque ceremonias jactabant. 2. *Hi* è contrario Judæos rejectos, & se adoptatos gloriabantur: jactantes quoque sapientiam & virtutes suas; libertate quinetiam abutebantur Christianâ.

IV. ARGVMENTVM. Itaque Paulus hâc Epistolâ utrosque tàm Judæos, quàm Gentiles erudit, 1. De communi omnium miseria, quòd sint peccatores naturâ, æternæ condemnationi obnoxii. 2. De Salute & Justificatione non per opera Legis, aut merita ulla propria, sed per solam Fidem in Jesum Christum obtinenda. 3. Ne verò existimarent, quasi Fides hæc esset exlex & fomentum impietatis; ostendit porrò, eam esse fundamentum & incitamentum Sanctificationis, & dehinc quoque omnis Christianæ Consolationis in vita & morte. 4. Denique, ne Gentes superbirent suâ adoptione,

Judæi

Judæi verò, propter majorem suæ gentis rejectionem, desperarent; ascendit ad sublime Prædestinationis mysterium. 5. Tandem saluberrima monita subjungit, ad Vitam Christianam ritè & decenter informandam.

V. ORDO & *Methodus* Epistolæ pleniùs ex singulorum Capitum Analysi & ὀρθοτομίᾳ elucescet. Summatim autem huc redit. Præter communem omnibus Epistolis tùm Ἐπιγραφὴν, *Inscriptionem*, *Cap. I. v. 1--7.* tùm Ὑπογραφὴν, *Subscriptionem*, *Cap. XVI. sub finem*, comprehendit Epistola

A. Προοίμιον, *Exordium*, quo Apostolus captat benevolentiam atque attentionem Romanorum, per commendationem Fidei ipsorum, & testificationem suæ erga ipsos benevolentiæ. *Cap. I. v. 8--15.*

B. Ἐργασίαν, *Tractationem* ipsam, quæ primaria in se complectitur Christianæ & salutaris Doctrinæ capita. Clavis enim est ad thesauros reserandos, in S. Scriptura abditos, & Lydius veluti lapis verè Catholicæ Religionis atque Ecclesiæ. Vnde liquere potest, quæ & qualis tempore Pauli fuerit Romanorum Religio, & quantum nunc distent æra lupinis. Μόρφωσιν enim nobis & ὑποτύπωσιν accuratissimam exhibet τῶν ὑγιαινόντων λόγων ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *2. Timoth. 1. 13.* Hinc persequitur Doctrinam;

א. FIDEI *Christianæ*, *Cap. I. v. 16. &c.--XI.* Ac quia principalis Fidei Doctrina, est Doctrina *de nostra Justificatione coram Deo*, Apostolus eam ita pertractat, ut doceat *Justificationis* nostræ

α. *Modum*, in quo scil. ea consistat, *Cap. I. v. 16, 17.* idque tùm

1. Ἀρνητικῶς, non in Justitia propria & operibus nostris. *Cap. I. v. 18. usq; ad fin. Cap. II. toto, & Cap. III. v. 1--20.*

2. Θετικῶς, in Justitia aliena, videlicet CHRISTI, nobis per Fidem imputata. *Cap. III. v. 21. usq; ad fin. & toto Cap. IV.*

β. *Effecta* & *fructus*, ex quibus Doctrina superior de Justificatione per Fidem ampliùs & uberiùs confirmatur, videlicet,

1. De εὐθυμίᾳ & *felicitate* Justificatorum, quâ fruuntur coram Deo. *Cap. V.*

2. De *Sanctificatione* & *Regeneratione*. *Cap. VI. & VII.*

3. De πληροφορίᾳ & *Certitudine Salutis*. *Cap. VIII.*

γ. *Originem*, seu *Causam originalem primam*, videlicet æternam *Dei Prædestinationem*. *Cap. IX. X. XI.*

ב. VITÆ *Christianæ*, per varia monita circa res

α. *Necessarias*, *præceptas* à Deo: qualia occurrunt tùm

1. Gene-

1. *Generalia. Cap.XII.*
2. *Specialia. Cap.XIII.*

β. *Adiaphoras*, seu *Medias. Cap.XIV.& XV.v.1--13.*

C. Ἐπίλογον *& Perorationem*, quâ Apostolus

α. *Monita* nonnulla particularia proponit, pertinentia partim ad

1. *Suam Personam. Cap.XV.v.14.usq; ad finem.*
2. *Romanos. Cap.XVI.v.1--20.a.*

β. *Voto*, Ἀσπασμοῖς, & Δοξολογίᾳ ad DEUM, totam Epistolam concludit. *Cap.XVI.v.20.b. usq; ad finem Capitis.*



ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ.

Potest Epistola hæc divinissima practico quoque & Catechetico ordine tractari, secundùm tres Catecheseωs partes.

I. De *Miseria Generis Humani*, consistente tùm in

1. *Peccato*, & communi omnium hominum, absque ullo Judæorum & Gentium discrimine, corruptione.
2. *Pœnâ*, scilicet Condemnatione omnium,

Quo accommodari possunt *Capita I. & II. & ex parte III.*

II. De *Gratia Liberationis* ex hac Miseria, quæ respectu

1. *Impetrationis* est solius Christi.
2. *Applicationis* nobis contingit per

α. *Justificationem* tantùm ex Fide, ut deleatur peccati culpa & reatus. *Rom.III. & IV.* Hincq; Conscientiæ pax & tranquillitas constet. *Rom.cap.V.*


β. *Sanctificationem*, per quam magis ac magis Labes & Regnum peccati in nobis destruitur. *Rom.VI. & VII.*

γ. Πληροφορίαν *Salutis*, & futuram *Glorificationem. Rom.VIII.*

3. *Originis*, pendet ab æterna Dei Prædestinatione, quoad Redemptionem, Vocationem, Fidem, & Fidei Justificationem, &c. de qua *Cap.IX.X.XI.*

III. De *Gratitudine* Dei propter beneficia hæc rependenda per Exercitia varia tùm

1. *Pietatis* erga Deum.
2. *Charitatis* erga proximos.
3. *Sanctimoniæ*, quoad curam propriæ Salutis, de quibus *Cap.XII.usq; ad fin.* pluribus agitur.



CA-

CAPVT I.

CAPVT hoc continet I. Ἐπιγραφὴν, Inſcriptionem. II. Εἰσαγωγὴν & Inchoationem Epiſtolæ.

INSCRIPTIO EPISTOLÆ.

INSCRIPTIO continetur ſeptem primis verſibus, in qua attendenda tria.

I. Perſona *Scriptoris*. PAVLVS. Deſcribit ſe,

1. A' *nomine* PAVLVS. *v.1.* Sed & vocatus fuit *Saulus. Act.8.1. & 9.1,4,7,8.&c.* quod nomen Judaicum & Hebraicum, ſignificans *poſtulatum, deſideratum*. Obſervavit Piſcator in Indice Bibliorum, Paulum, quamdiu Saulus nuncupatus, Barnabæ in Hiſtoria eſſe poſtpoſitum: e.g. *Act.11.30.& 12.25.& 13.2,7.* at poſt acceptum nomen Pauli, præpoſitum fuiſſe. *Act.13.43,46,50. & 14.14. & 15.2,22,35,36.* excepto *v.25.ibidem.*

Quæſtio. Vnde PAVLO, qui primùm SAVLVS dictus, hoc nomen?

Reſp. Veterum atque recentiorum ſententias commemorare atq; excutere hujus non eſt inſtituti. Simpliciſſima mihi videtur ſententia Origenis, quam etiam Calvinus approbat, PAVLVM fuiſſe binominem: neque tamen ex inſtitutione aliqua Divina, uti quidam volunt, qualiter binomii fuêre Abraham, Petrus, Johannes, & Jacobus; ſed Humanâ, & quidem Parentum Pauli. Cùm enim eſſet peregrinus, Judæus interim proſapiâ, & Civis Romanus, tanquam Tharſenſis, veriſimile eſt, Parentes & nomen Saulis, tanquam gentilitium, ei impoſuiſſe; & Pauli, propter Romanos & Gentiles, inter quos commorabatur, ei indulſiſſe. Quid ſi verò Paulus ipſe, Chriſtianus factus, nomen Judaicum cum Romano permutâſſet, uti Diocles, teſte Victore, obtento Imperio Rom. Grajum nomen in Romanū Diocletiani convertit, quod Druſius annotavit in *Act.*8.1.? Itaq; vulgò à Romanis & Gentilibus non Saulus, ſed Paulus vocatus fuit; quod & Lucas *Act.*13.9. inſinuare videtur. Certe Paulum dehinc, tanquam Apoſtolum Gentium, *Gal.* 2.9. libentiùs hoc nomine, tanquam Romano & inter Gentes conſueto, uſum fuiſſe conſtat. Quod verò Auguſtinus *de Spirit. & lit.cap.7.* de Paulo, propter modeſtiam & humilitatem ſic dicto, profert, argutia eſt: nugamentum verò, quod à quibusdam arceſſitur à parva Corporis ipſius ſtatura. A' Sergii Pauli converſione nomen non primùm obtinuiſſe, Lucas indicat *Act.*13.9. Saltèm *ibid.* ubi de converſione Sergii agitur, cauſam & rationem mutationis nominis non diſſimulâſſet. Conſimilis eſt eorum conjectura, (Ambroſ. *Tom.5.* Eraſm. *Annot.in Rom.*1.) qui putant, Saulum primùm dictum, i.e. *inquietum*, à Græca voce σάλος, quæ commotionem Maris ſignificat, per abjectionem literæ *v*. Poſteaquàm autem credidit, Paulum vocatum, à Græco παύομαι, *quieſco*, (unde παῦλα, *quies*,) vel à Latin. *paulum*, i.e. parvum & humilem: quia ex tentatore factus ſit quietus, humilis vel parvulus. Hieron. *Comment.in Epiſt.ad Philemon.*

refert originem nominis Pauli, tanquam alicujus trophæi, ad Sergii Pauli, Proconsulis, Christo subjugati conversionem: interpretationem autem mutuatur ab Hebr. פלא *mirabilis*, quia mirabiliter ex Hoste Ecclesiæ fuerit factus Vas electionis. Ast eâdem facilitate liceret eam derivare ab altera voce Hebr. פלש, ut significetur Paulus, *separatus* aut *segregatus*: uti quidem eodem hoc *v.1.* se vocat ἀφωρισμένον, *separatum ad Evangelium Dei*: in qua sententia nonnullos Viros doctos versari scribit Pagnin. *in Lexic. voc.* פלא. quamvis Beza existimet, Paulum a'ludere ad vocem *Pharas*: quia Paulus primùm fuit Pharisæus. Sed hæc περίεργως.

2. Ab *Officio*. Heic utitur Perigraphe copiosâ. Διότι, non ut superbiat titulis, quod ambitiosi solent; sed propter Romanos, ut eos reddat dociles, & pondus addat Epistolæ, scirentque, scribere ipsum ceu Apostolum, non suo, sed Christi mittentis nomine, non suo, sed Christi Spiritu instructum, adeóque θεόπνευστον, & extra erroris aut seductionis periculum. Hoc officium suum insinuat

Generatim. Servus Jesu Christi. v.1. Servi sumus omnes Dei & Christi. *Hic* noster Dominus jure Creationis, Redemptionis & Primogenituræ. *Nos* ejus servi, cui debemus, quicquid sumus. Id stipulamur in Baptismo. Speciatim autem heic *Servum* se vocat, respectu Ministerii sibi concrediti, q.d. Minister Verbi, Ecclesiastes. Διότι. Vt appareret, non suum se heic agere negotium, sed Domini, à quo missus fuerat.

Speciatim. κλητὸς Ἀπόστολος, *vocatus Apostolus. v.1.*

α. Ἀπόστολος, Latinè, *Legatus*. Hoc nomen specialius est, generaliùs tamē nonnunquam usurpatur, v.g. de Andronico & Junia, *Rom.16.7.* tanquam missis ab Apostolis Christi; nec non de Epaphrodito, *Phil.2.25.* Tito & consimilibus, tanquam Legatis Ecclesiarum. *2.Corinth.8.23.* Ministerium competit pluribus cōmuniter, sed Apostolatus paucis. Tredecim enim tantùm fuerunt Apostoli. Discrimen autem est in seqq. potissimùm.

1. In *Missione*. Apostoli *immediatè* missi, ut patet exemplo Apostolorū omnium, etiam Matthiæ, *Act.1.26.* & Pauli, *1.Corinth.15.8. Gal.1.1,12.* Alii *mediatè* per Apostolos.
2. In *Munere* ipso. Apostolorum officium fuit peregrinari & obire totum Mundum, fundare primùm Ecclesias in toto Orbe, & curam

tam earum gerere. *Matth.28.19. Marc.16.15. 2.Cor.11.28.* adeóq; nullum habuerunt certum, cui affixi essent, cœtum. Contra Papistas, qui dicunt, Petrum Romæ 25. annis Cathedram Episcopalem tenuisse. quod, quanquam Hieronymus & Eusebius asserant, tamen non solùm ἄγραφον, sed & αὐτόγραφον fuisse constat, cùm ne quidem ex Scriptura certò evinci possit, illum unquam Romæ fuisse.

3. In *Excellentia donorum*, & inter alia quoque prædictione futurorum, & virtute miraculorum: quibus polluit quoq; Paulus. *Rom.11.25. 2.Thessal.2.3. 1.Tim.4.1.&c. 2.Tim.3.1.&c. Act. 14.8.&c. & 15.12. & 16.16. & 20.7. & 28 1.&c. 2.Cor.12.12.*

4. In *Authoritate* Apostolorum, quæ fuit in Ecclesia summa. *1.Corinth.12.28. Eph.4.11. Matth.19.28. Apoc.21.14.* Hinc Scripta ipsorum pro Canonicis habentur. *Eph.2.20.*

4. Κλητὸς, *vocatus*: ut notet, se non invasisse munus Apostol. sicut multi alii Pseudoapostoli tempore illo: sed legitimam habuisse atq; Divinam vocationem, Christi videlicet. Sic alibi, *1.Timoth.2.7. & 2.Tim.1.11.* Contra obtrectatores. Vocationem postea suam amplificat ulteriùs, enarrando ejus

1. *Modum ac formam.* Ἀφωρισμένος πρὸς τὸ Εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, *separatus ad Evangelium Dei. v.1.* Voce hac [ἀφωρισμένος] indicat Paulus,

   1. Primum suum, ante conversionem, statum. Fuit enim in grege infidelium, luporum, persequutorum, videlicet Pharisæorum. Fuit illic quoq; separatus, sed nunc novus *Pharas*, id est, separatus, scil. à catena Luporum, ad gregem Ovium Christi, imò Pastorum. Ita Paulus hoc epitheto, uti etiam τοῦ Κλητοῦ, *vocati*, partim suam indignitatem, partim Dei miserationem voluit emphaticè insinuare.

   2. Ratione Vocationis, quæ considerari potest, tùm in Prædestinatione Dei. *Galat.1.15.* Sic *Jer.1.5.* tùm in Conversione seu Vocatione communi, *Act.9.& 22.* tùm deniq; in Vocatione propria ad munus Apostolatus, potissimùm autem inter Gentes. *Act.13.1.&c.*

b. *Materiam*, sive *Objectum*: scilicet, ad quid sit vocatus. *Ad Evangelium Dei, vers. 1.* nempe non solùm fide amplectendum, sed & prædicandum. Indicat ergo, sibi, tanquā Apostolo, incumbere prædicationem Evangelii de Christo. Vbi quidem tria veniunt observanda,

ℵ. *Munus prædicationis.* Hoc incubuit omnibus Apostolis, quos vocavit Christus, non ad dominandum in Mundo, sed ad docendum Evangelium: *Matth. 28.19,20. Joh. 20.21.* speciatim Paulo, *1. Cor. 9.16,17,18.* Hoc ipsum munus incumbit omnibus Ministris Verbi, quos non decet dominari vel Mundo, & implicari negotiis Politicis, *Luc. 22.25. 2. Tim. 2.2.* vel etiam Clero, *1. Petr. 5.3.* sed docere Evangelium de Christo. *1. Cor. 2.2.*

ℶ. *Descriptio Evangelii.* Διέτι, ut ejus dignitatem commendaret, & docilitatem in Romanis plantaret.

α. *A nomine. Evangelium.* Hæc autem vox significat *bonum nuncium.* Hinc patet discrimen inter Legem & Evangelium. *Evangelium* enim est bonus & lætus nuncius de Redemptione Generis Humani, de Recōciliatione nostra cum Deo per Christum. *Lex* è contrario est terribilis nuncius Iræ Dei & condemnationis æternæ, propter peccata. Hinc olim modo terribili fuit lata in Monte Sinai, cum consternatione totius populi. *Exod. 19.* qua de causa etiam à Paulo vocatur *Litera occidens*, & *Ministerium mortis*, *2. Cor. 3.6,7.*

β. Ab *Efficiente. Evangelium* vocat *Dei*, quia nempe est à Deo patefactum, ejusque Filio, qui enarravit illud & protulit ex sinu Patris, &c. *Joh. 1.18.* Deus illud primùm annunciavit in Paradyso Protoplastis; postea Abrahamo, dehinc per Prophetas, ultimò autem per Filium suum. *Hebr. 1.1,2.* Itaque Doctrina est, non Humana, sed Divina, adeóque cum fide recipienda.

γ. Ab *Antiquitate*, *v. 2. quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis.* Hoc παρενθέτικως interserit, ut Doctrinam suam & Prædicationem liberaret à suspi-

suspicione novitatis. Ostendit ergo, eam esse consentaneam Doctrinæ Prophetarum. Idem enim se annunciare, quod olim in Vet. Testam. promissum est. Ac sanè in Vet. Testam. non tantùm Lex obtinuit, sed etiã Evangelium, sive Promissiones Evangelicæ, quas Deus omnibus seculis per Prophetas suos concionatus est & promulgavit. Omnes enim Prophetę in Scriptura S. Testimonium perhibent de Christo. *Act. 10. 43. Joh. 5. 39.* E' densa nube sunto pauca ista. Promiss. fact. Protoplastis, *Genes. 3. 15.* Abrahamo, *Gen. 22. 17.* Davidi, *2 Sam. 7. 13.* Judæis per Jesajam, *c. 7. & 9. Mich. 5. 2. Hos. 13. 14. Zach. 9. 9. &c.* Hinc patet consensus Veteris & Novi Testamenti: Doctrinæ item Prophetarum & Apostolorum. Discrimen tantùm in eo, quòd Prophetæ ventura, Apostoli præstita atque exhibita annunciârunt.

4. Ab *Objecto*: de Jesu Christo, Filio Dei. *v. 3.* Doctrinam ergo vocat de Christo. Quo ipso dignitatem Evangelii insinuat, illudque discernit iterùm à Lege, aliisque Doctrinis & Historiis profanis. Non est enim Evangelium de ψιλῷ ἀνθρώπῳ, v. g. de Cyro, Alexandro Magno, Vlysse, &c. sed de Christo, Filio Dei. Heic ergo jam porrò occurrit

3. *Descriptio* Christi, *v. 3, 4.* Διότι: ut pondus iterùm adderet Doctrinæ suæ, simulque scandalo mederetur contemptus Christi in Mundo. Describit ergo nobis præclarè Christi, Domini nostri,

A. Personam, quam indigitat α. Ὅλως, vocans eum *Filium Dei*, ut appareat Personæ ejus Dignitas & Majestas, & Evangelii præstantia. β. Μερικῶς seu particulatim, indicans utramque Christi Naturam, & Personalem earum Vnionem.

a. *Naturam Humanam* insinuat *vers. 3.* quùm dicit, γενόμενον ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα, *factum ex semine Davidis secundùm Carnem.* Docet his verbis, Christum esse

1. *Verum Hominem.* Idcircò tribuit ipsi Σάρκα. Notandum contra Marcionitas. Necessum fuit, verum esse Ho-

minem, ut posset verè pati, sicque nos redimere.

2. *Filium* quoque *Hominis*, sive ex Homine natum. Ex *semine* dicit *factum*, γενόμενον, non γεννώμενον. Sic Vulgatus aliique Veteres summo consensu, quod Beza annotavit, ut præposterè ab aliis vox fuerit reddita *Natus*, aut *ortus*. Hoc enim sensu passim vocatur *Filius Hominis*: semen Mulieris, *Gen.3.15.* fructus Ventris. *Luc.1.42.*

3. *Filium Davidis.* Nam huic promissus fuit, *2.Samuel.7.12. Psal.89.* Impletum in ipso. Fuit enim Filius Mariæ. Mariam autem, Josepho, Davidis Filio nuptam, filiam fuisse Davidis, tàm fuit ἐξαγώνιον olim inter Judæos, ut Evangelistæ existimaverint sufficere, Genealogiam Christi à majoribus Josephi arcessere.

4. *Naturam Divinam.* Ne putaretur Christus esse ψιλὸς ἄνθρωπος, aut Filius tantùm Dei respectu generationis corporeæ, ideò, uti de eo, tanquam præexistente, dixerat, ipsum non simpliciter, sed κατὰ σάρκα factum fuisse Filium Davidis; ita nunc porrò pergit, dicens: *Declarato Filio Dei potenter, secundùm Spiritum sanctitatis, per Resurrectionem ex mortuis. v. 4.* Vbi iterùm tria præclarè insinuat Apostolus.

1. Quòd Christus non sit merus Homo, sed ultra Humanitatem plus sit, nempe *Filius Dei, ἐν δυνάμει, omnipotens.* Idcircò vocat Filium Dei iterùm, & dicit eum ὁρισθέντα, *declaratum Filium Dei*, non γενόμενον, *factum.* Nos quoque dicimur Filii Dei, sed per gratiam Adoptionis, *Johan.1.12. Ephes.1.5.* Alio sensu Christus, τῇ φύσει, & per Generationem æternam. *Psal.2.7. Proverb.8.24.*

2. Secundùm quam Naturam? Servetus & Samosateniani dicunt, secundùm Humanam Naturam, & generationis ejus respectu. Atqui Humanitatis respectu est ἀπάτωρ, *Heb.7.3.* & Paulus eum Filium Dei vocat, nō secundùm carnem, sed κατὰ τὸ πνεῦμα ἁγιωσύνης. Non intelligit Spiritum sanctum, sed Divinam Christi Naturam, quod docet ἀντίθεσις filiationis utriusq; Christi, tùm Humanæ, tùm Divinæ. Vocatur ergo, 1. Πνεῦμα, *Spiritus*, opposite ad

ad *Carnem*. Deus est Spiritus, *Johan.4.24*. Alibi Deitas Christi quoq; sic vocatur, *1.Pet.3.18. 1.Tim.3.16*. 2. Ἁγιωσύνης, α. Quia Divinitas in se sancta. β. Propter Sanctificationē Humanæ Christi Naturæ, effectivè, quam implevit Sanctitate, omnibusque donis. γ. Respectu nostri, Ecclesiæ, quam sanctificat Verbo suo & Spiritu.

ϛ. Vnde possit ista Christi Divinitas & dignitas cognosci? Ex *δυνάμει, potentiâ*: sic quidam, id est, virtutibus & operibus miraculosis. *Ex Resurrectione Mortuorum*. Per eam declaratus fuit Filius Dei. Quomodo? Quia hâc patefecit Divinam suam potentiam, quòd Mortis & Vitæ sit Dominus.

ζ. *Vnio Personalis* quoque indigitatur: quòd in Christo non sint duæ Personæ, sicut duæ Naturæ, uti Nestorius olim finxit. Patet, 1. Quia de uno Dei Filio loquitur. 2. Quia per tropum Communicationis Idiomatum, Filium Dei, scilicet jam ab æterno præexistentem, dicit factum esse ex semine Davidis. *v.3*. Similis loquutio, *Act.2.28. 1.Cor.2.8*.

B. OFFICIVM: tribus nominibus. Vocat eum

1. JESVM, id est, *Salvatorem* nostrum. *Matth.1.v.21*.
2. CHRISTVM, id est, *Vnctum*, sive *Mediatorem* olim promissum: summum Prophetam, Sacerdotem, Regem, à quo nos quoque habemus & nomen Christian. & rem, id est, Vnctionem Spiritus S. *1.Joh.2.20*.
3. DOMINVM, non *communi* respectu, & jure *Creationis*; sic enim est Dominus totius Mundi: sed *singulariter* jure *Redemptionis*, quia nos redemit, ut essemus populus ipsius *περιούσιος*, *Tit.2.14*. *εἰς περιποίησιν*, *1.Pet.2.9*. Hinc dicit, *Dominum nostrum*.

c. *Causam Efficientem* Vocationis Pauli, *v.5. Per quem accepimus gratiam & Apostolatum*. Insinuat hîc Paulus causam

a. *Principalem*, CHRISTVM. Ideò antea se quoque *Servum* vocitavit. *v.1. Vocatum Apostolum*, nempe non solùm Servum Christi, sed etiam à Christo vocatum, uti patet ex *Act.9.& 13.47*.

b. *Impulsivam, Internam*, Dei Gratiam. Sic alibi, *Ephes.3.7,8. Gratia Dei* intelligitur, vel, ut Scholæ loquuntur,

quuntur, *gratum faciens*, quæ eſt in Deo, ejus amor, benevolentia, miſericordia: vel *gratis data*, videl. ἱκανότης & ἐπιχορηγία donorum Spiritus S. ad grande munus Apoſtolatus obeundum. Vtramque accepit Apoſtolus. Hîc tamen intelligit priorem gratiam, videl. quæ eſt in Deo, quæ quidem ipſi contigit gemina. 1. Quòd Deus ejus miſertus fuerit, ut reciperet Hoſtem in gratiam, & converteret. 2. Quòd Dignitatem Apoſtolatus ei contulerit. Agnoſcit ipſemet utramque Gratiam, *1. Tim. 1. 16. Gal. 1. 15, 16.*

d. Finales Cauſas Vocationis Pauli: *v. 5. εἰς ὑπακοὴν πίστεως, ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν, ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ.* Indigitat finem

1. *Propinquum*: Converſionem Gentium. *v. 5.* Vbi obſervetur Finis

a. Ὧν, *Quorum causâ* miſſus ſit Paulus? *Gentium.* Hoc dicit *v. 5.* & in ſpecie Romanos his accenſet, *v. 6. Inter quas eſtis etiam vos.*

Notentur heîc obiter duo. 1. Quòd Paulus prẹter generalem Apoſtolatus in Judæa & toto Orbe functionē, *Rom. 1. 14.* ſingulari jure Miniſter Gentium fuerit conſtitutus, *Gal. 2. 7.* 2. Quòd Paulus *omnium Gentium* faciat mentionem, ſenſu utique *diſtributivo*, non *collectivo*: ut perperàm Pelagiani, eorumq; ſimiles, univerſali ſuæ gratiæ ex vocabulo catholico paſſim patrocinium aliquod arceſſant.

b. Οὗ, *Cujus rei causâ? Εἰς ὑπακοὴν πίστεως.* Intelligit tùm Fidem ipſam; tùm Obedientiam ex Fide manantem.

2. *Remotum* & *ultimum*, Gloriam Chriſti, *v. 5. pro nomine*, id eſt, gloriâ Chriſti, nempe ut ille agnoſcatur, celebretur.

II. Perſona eorum, ad quos Paulus hanc Epiſtolam ſcribit, videlicet ROMANI, *v. 6, 7.* Deſcribit eos

1. A' ſubjecto *loco*, videlicet ROMA, *v. 7. Omnibus* ait, *qui Romæ eſtis.* Non neceſſe eſt hîc multum perorare de

Vrbe

Vrbe Roma. Notum, quæ, qualis, quanta fuerit Civitas illa, quoad ejus initium, incrementa, potentiam, opulentiam, fastum, ambitionem, tyrannidem denique. Qui cognoscere talia cupit, adeat *Justi Lipsii Admiranda, de Magnitudine Romana.* Duo tantùm hic potissimùm observanda.

α. Quòd in Vrbe hac Deus sibi Ecclesiam collegerit, quæ hactenùs cœcitati, idololatriæ & impietati Gentilitiæ fuit immersa. Admirabile & potentiæ & bonitatis Divinæ documentum.

β. Quòd Paulus ad *omnes* scribat *Fideles*, nullo observato discrimine Gentiliū aut Judæorum, Doctorum item & Discipulorum, Pastorum & Auditorum: ne scilicet videretur Scripturæ S. lectio & meditatio, utì hodierni Romani volunt, pertinere ad solos Episcopos.

2. Ab adjunctis *Gratiis* & *Beneficiis* Dei. Gradatim. Vocat enim Romanos,

α. *Dilectos Dei*, passivè.

β. *Vocatos*, & quidem, *v.6. Jesu Christi.* Vnde patet, jam ante hanc Epistolam Ecclesiam aliquam fuisse Romæ. A' quo ea fundata, incertum est. Sed de hoc postea.

γ. *Sanctos*, respectu tùm *Vocationis*, tùm *Sanctificationis.*

C. Superest adhuc *Salutatio* & *Votum, v.7.b. Gratia sit vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.* Vbi considerandum,

1. *Quid* optet? *Gratiam*, ceu fontem, *Psal.73.25.2.Cor.12.9. Pacem*, ceu rivulum. Hebræis hæc vox omnem felicitatem notat, corporalem & spiritualem, temporalem & æternam.

Notetur autem benè, quòd *Gratia* sit in voto. Nulla enim est nobis esseq; potest pax cum Deo, nisi gratuita, id est, profecta ab ipsius solius gratia, exclusâ omni meritoriâ nostrâ dignitate, justitiâ, operibus. *Rom.11.5.* Hinc Papistæ

aliique Justitiarii pacem per τὸ ὕστερον πρότερον apud Deum quærentes per merita & satisfactiones proprias, oleum & operam perdunt.

2. *A quo?* Sicut duplex beneficium, ita geminum Authorem nominat; *Deum Patrem*, Gratiæ fontem, & *Filium*, Pacis procuratorem: non tamen excluso *Spiritu S.* tanquam pacis hujus in cordibus nostris arrhabone.

DE EPISTOLA IPSA.

Hactenus Epistolæ *Inscriptio:* sequitur nunc *Epistola ipsa*, tribus constans partibus, *Exordio*, *Ἐργασίᾳ*, & *Conclusione.*

I. EXORDIVM EPISTOLÆ.

EXORDIVM. Scopus ejus, benevolentia atque attentio Romanorum. Multum enim in eo situm, ad ædificationem, ut habeamus Auditores benevolos, dociles, attentos. Huc collimat Apostolus in hoc Exordio. Atque ideò

I. *Commendat* cum gratiarum actione erga Deum, & gratulatione ad Romanos, *Fidem* eorum, *v.8. Primùm quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum super omnibus vobis, quòd Fides vestra annunciatur in toto Mundo.* Vbi duo observanda,

α. *Quid* prædicet? *Fidem* Romanorum. *v.8.* Per *Fidem* intelligit veram Christi agnitionem, atque summatim Religionem Christianam, ad quam abjecto Gentilismo conversi fuerant. Hanc *fidem* vocat, ut intelligamus, inde pendere nostram pietatem. Non autem nudam fidem, sed *fidei celebritatem.* Dicit enim *v.8. fidem Romanorum annunciari in toto Mundo.* Vbi notandum, non intelligi simpliciter & collectivè omnes totius Mundi vel ætherei, uti Origenes philosophatus, vel elementaris atq; terrestris angulos. Reclamavit tunc & nunc experientia. Sed Ecclesias alias in Mundo tunc passim dispersas. Sic *1. Joh. 2. 2.* ut perperàm iterùm Novatores quidam hinc Vocationis ad salutem universalitatem exsculpere conentur.

Quæstio. Vnde fidem hanc Romani conceperint, sive à quo primùm fuerint conversi?

Resp. De Paulo satis constat, quòd non primus Romanos ad fidem perduxerit. Papistæ ergo contendunt, Petrum tanquam Fundatorem & Episcopum illius Ecclesiæ primum

stium Romæ concionatum. Hinc Bellarminus *lib.2.de Rom. Pontif.cap.2. Peto,inquit, quis hos Christianos fecerit, si Petrus non fuit Romæ?* Quasi verò non potuissent ab alio aliquo Dei Servo, de quo, ceu ἀνωνύμου, nobis non constat, converti. Clemens *lib.9. Recognition.* si fides ei habenda, testis est, ante Petri adventum Romæ Ecclesiam Christianorum fuisse collectam. Ipso die Pentecostes advenæ etiam Romani fuêre Hierosolymis, *Act.2.10.* & Apostolorum Christum prædicantium egerunt auditores, non absque fructu.

Iidem Pontificii ex *v.8.* conantur probare, fidem Ecclesiæ Romanæ etiam hodiernæ esse Catholicam. quasi verò celebritas Fidei priscæ arguat ejus constantiam & perpetuitatem. Certè quod magnus ille Jul.Cæsar Scaliger, quæsitus, *quid de hodierna Roma sentiret?* respondit: *Esse vini optimi acetum pessimum:* idem de hodierna Ecclesia Romana sentiendum venit, cujus fides, quantum a fide prisca, quam Paulus heic concelebrat, distet, progressus docebit. Vel ex gemino argumento id liquere potest. 1. Quòd Apostolus non aliam Romanorum fidem deprædicet, quàm quæ fundata fuit in Scripturis sanctis, *v.2.* cùm hodierni Romanenses suam fidem fundent in Verbo ἀγράφῳ, & traditionibus Humanis. 2. Quòd præcipua Pauli in hac Epistola Doctrina sit de Justificatione nostra coram Deo non ex operibus, sed ex fide in Jesum Christum: non per justitiam propriam & inhærentem. *Rom.10.3.* sed per justitiam imputatam, videlicet Christi, *Rom.3.25,26. & 4.6.* non per merita, sed gratis. *Rom.3.24.* cui Doctrinæ hodiernæ Ecclesiæ Rom. doctrina δὶς διὰ πασῶν contradicit. Neq; nomen *Catholicum,* quod Bellarminus inter notas veræ Ecclesiæ recenset, hodiernam Ecclesiam Romanam legitimare potest, cùm juxta August. *ii demùm veri Catholici sint, qui & veram Fidem & bonos mores sequuntur:* nisi *Donatistæ* olim pro vera Ecclesia fuerint habendi, qui nomen Catholicorum affectàrunt: ipsiq; *Ariani,* quorum hæresis tàm latè olim diffusa in toto Mundo, ut Hieron. scripserit: *Obstupuit Orbis, & miratus est, factum se esse Arianum.*

β. *Quomodo* prædicet? Per gratiarum actionem ad Deum. Ne videatur, Romanis potiùs, quàm Deo laudem adscribere. Ideò dicit *v.8. Gratias ago Deo meo per Jesum Christum super omnibus vobis.* Ait 1. *Deo meo,* non nostro, non solùm ad asserendam suam fiduciam, ab omnibus Fidelibus requisitam, *Johan.20.28.* sed & obsequium indigitandum, quod Deo præstet in hoc negotio, videl. annunciatione Verbi ipsius. Sic alibi, *Jesa.37.4.* 2. ait, *per Jesum Christum,* quia Cultus noster non nisi per Christum Deo gratus esse potest. *Exempl.* Precum, *Joh.16.23.* Gratiarum actionis, *Coloss.3.17. 1.Pet.2.5. Heb.13.15. Ratio.* Quia à Deo ceu fonte per Christum, ceu canalem, omnia in nos beneficia derivantur.

II. *Charitatem* suam, studium & benevolentiam erga Romanos comprobat

1. *Testimonio* Divino *vers.9. Testis enim mihi est Deus, quem colo spiritu meo, in Evangelio Filii ipsius. Cur* affert? Necessitas & utilitas ei hoc juramentum extorsit. Voluit enim ostendere, se non blandiri, sed sin-

cerè agere. *Quomodo* affert? *v.9. ᾧ λατρεύω,&c.* non frustranea verba: non affert ambitionis causâ, sed ad sinceritatem suam asserendam. Addit ergo, *ἐν πνεύματι*, Q.D. Deus testis est mihi, cui servio *ἀνυποκρίτως*, sincerè, in conscientia. Animum, cor, conscientiam sistit coram Dei facie. Subjungit, *in Evangelio ipsius*, scilicet annunciando fideliter.

2. *Argumentis artificialibus*. Benevolum suum affectum erga Romanos arguit,

a. Ex recordatione ipsorum continua. *v.9. me ἀδιαλείπτως mentionem facere vestri.*

b. Precatione pro ipsis. *v.10. semper in Orationibus meis rogantem.*

c. Desiderio aut studio proficiscendi ad ipsos. *v.10.&c.* Hoc postremum Apostolus fusiùs prosequitur. Occurrit heic

α. Ὅτι. *v.10,11. Si quomodo tandem aliquando prosperum iter mihi detur ex voluntate Dei, ut veniam ad vos.* Nota, quòd dicat, *ἐν τῷ θελήματι τοῦ Θεοῦ*. Sua enim vota pii debēt subjicere Voluntati Dei, monente *Jacobo cap.4.v.13,14,15.*

β. Διότι. Quo fine? Ad Vtilitatem, tùm Romanorum, *v.11. Expeto enim videre vos, ut aliquod impertiar vobis donum spirituale, ut vos stabiliamini. Μεταδοῦναι* intelligit vel doctrinæ, vel exhortationis, vel prophetiæ, vel etiam consolationis, tùm Pauli & Romanorum, *v.12. hoc est, συμπαρακληθῆναι ἐν ὑμῖν, per mutuam fidem, vestrā simul & meam.* Mutuam intelligit, vel exhortationem, ut vult Beza, Calvinus, Bucerus; vel consolationem, ex incremento fidei ipsorum; utì ego interpretor cum Origene & Ambrosio.

γ. Ἀνθυποφορά, confutatio Objectionis geminæ;

ℵ. Cur nō venerit, si adeò sit ipsorum amans, cupidus? Nam forsan ipsi occasiones non defuissent.

Resp. v.13. Nolim autem vos ignorare, Fratres, me sæpè proposuisse venire ad vos, (sed prohibitus

hibitus sui usq; adhuc) ut fructum aliquem haberem inter vos quoq;, sicut inter reliquas Gentes. Indicat, 1. Culpam *non esse* in se, aut voluntate sua: cupivisse, & cupere iterùm. *Ratio*, *διότι*, propter *fructum*, id est, ut posset confirmare fideles, infideles alios lucrifacere, docendo, admonẽdo, &c. 2. Culpam *esse* in impedimento extrinseco, *v.13.* potest id intelligi, tùm de *Deo*, ipsum impediente, & aliò vocante; tùm de *Ecclesiis* aliis, quę ipsius ope carere nõ poterant; tùm de *Adversariis*, quos passim contra Paulum suscitabant, ut eum in vocatione impedirent.

2. Alii dicere potuissent, Quid opus sit, ut ad ipsos veniat? Imò potuisset in arrogantiæ abripi suspicionem, quòd ipse velit Romanos erudire, prudentiâ & sapientiâ alios in toto Orbe antecellentes.

Resp. Apostolus ex suo officio *v.14,15.* Enthymematicè.

Antecedens. v.14. Et Græcis & Barbaris, tùm insipientibus, tùm sapientibus debitor sum. Per *Græcos* & *Barbaros* intelligit *Nationes*: per *Sapientes* & *fatuos* intelligit *Personas*.

Consequens. v.15. Itaq; quicquid in me situm est, promptum est, ad vobis etiam, qui Romæ estis, evangelizandum.

ΕΡΓΑΣΙΑ EPISTOLÆ.

Hactenus *Exordium*. Sequitur ΕΡΓΑΣΙΑ Epistolæ. Sicut Doctrina tota Christiana & Evangelica cõsistit in fide & moribus, *2.Tim.1.13.* ita Ἐργασία hujus Epistolæ est bipartita. Continet enim Doctrinam primùm *Fidei*, à *Cap.I.v.16. usq; ad Cap.XI. inclusivè*: deinde *Vitæ* & *Morum*, à *Cap.XII. usq; ad Epilogum* hujus Epistolæ.

Doctrinam FIDEI quod attinet, Apostolus primaria ejus Capita pertractat, atq; incipit à JUSTIFICATIONE FIDEI, quam ostendit contingere, non ex operibus nostris, sed ex sola fide Jesu Christi. Inde ad *Justificationis* fructus progreditur, *Cap.V.VI.VII.VIII.* videlicet *εὐθυμίαν* aut tranquillitatem animi & conscientiæ ex sensu reconciliationis nostræ coram Deo; *Sanctificationem* & *Salutis certitudinem*. Tandem ad Fidei, Justificationis, & totius Salutis nostræ *primariam Originem assurgit*, *Cap.IX.X.XI.* atq; ita undecim Capita in hoc tanquã primario loco, de Justificatione Electorum per fidem in Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, insumit.



Observanda autem heic veniunt sequentia.

I. TRANSITIO.

Transitio ab Exordio ad Εὐχαριστίαν, *vers. 16. Non enim me pudet Evangelii Christi.* Apostolus miro artificio in his verbis, partim vult confirmare superiora; quum *v. 14, 15.* dixit, *se debitorem esse, &c.* & inter alios quoq; Romanorum: partim occurrere tacitæ Objectioni.

Objicere enim quis potuisset Apostolo: Quid tu vis Evangelium prædicare, præsertim apud Romanos: quia 1. Evangelium est Doctrina in Mundo exosa & contempta. 2. Romani sapientiæ famâ in toto Orbe celebres. 3. Tu verò, Paule, Judæus es, Pharisæus, hactenùs apud Gentem tuam in magna existimatione?

Resp. Paulus *v. 16.* Ego verò ista omnia susque deq; habeo & floccipendo, Evangelii Doctrinam ejusq; prædicationem longè majoris facio, quàm ut deberem eam fastidire.

Ratio. 1. Quia est *Evangelium*, id est, Doctrina & nuntius lætus, de Salute & Reconciliatione Generis Humani; cui nec Lex, quam urgent Judæi, nec Doctrina ulla aut Sapientia humana Gentilium potest æquiparari.

2. Quia non est *Evangelium* meum, sed *Christi*, id est, α. à Christo, ceu Filio Dei patefactum: β. de Christo, totius Generis humani Servatore: γ. à Christo, mihi ceu Apostolo demandatum.

3. Quia est Doctrina salutaris & efficax, ad obtinendam Salutem æternam, mediante Fide, apud omnes, cujuscunq; sint Nationis, Judæos quidem primùm, quia his primò prædicari debuit Evangelium, pòst etiam Græcos, sive Gentes. Ideò ait *v. 16. b. Potentia siquidem est Dei ad salutem cuivis credenti, Judæo primùm, tùm etiam Græco.*

Hæc paucis summa Verborum, ex quibus duo potissimùm ista sunt observanda.

α. Heroica *resolutio* & *declaratio* Apostoli. *v. 16.* Apparet, quum dicit, οὐκ ἐπαισχύνομαι, non defuisse varia scandala, quæ ipsum remorari potuissent, qualia jam attigi. Ipse tamen ea susque deque habens, indicat suam constantiam, ac docet, quo loco Do-

Doctrina Evangelii habeatur

α. A' *Mundo*, quod ei ſit Doctrina exoſa, cõtempta, cujus Homines mundanos pudet. *1.Cor.1.23.* Rationes ſunt multæ.

Ratio. 1. Si Doctrinam ipſam ſpectes, Mundani ſimplicem nimis judicant, & faſtidiunt præ ſua *Δοξοσοφίᾳ*: præſertim quùm audiunt, Chriſtum, inter Latrones crucifixum, Servatorem credi debere Generis Humani.

2. Si ſpectes eos, qui eam rejiciunt & oderunt. ſunt Magnates in Mundo & Principes hujus ſeculi. *1.Cor.2.8.*

3. Si ſtatum eorum ſpectes, qui eam recipiunt. ſunt Homines pauci, contempti, omnium ludibrio expoſiti, perſequutionibus obnoxii. *1.Cor.4.9.&c.*

β. A' *Fidelibus* & *electis*. Paulus ſuo exemplo docet, in quo honore & pretio ſit eſſeq; debeat apud ipſos, *v.16.a.* quòd ſc. ſit talis Doctrina, cujus ipſos non debeat ſuppudere, ſed, quantum poſſint, eam magnifacere. Nimirùm monet

a. *Miniſtros Eccleſiæ*, ne pudeat ipſos Evangelii, ejuſq; Prædicationis, etſi ea de cauſa Mundi odium, probrum & perſequutionem incurrant.

b. *Chriſtianos omnes*, quanti debeant facere Doctrinam hanc: nempe, ut non ſolùm corde ei credant, ſed & ore cõfiteantur, neq; pudeat ipſos, publicè Evangelio Teſtimonium perhibere. Quod enim Paulus de ſe dicit, id omnes Chriſtiani dicere debent: *Non pudet me, &c.*

Quomodo? Nempe 1. ut quilibet acceptet per fidem, ejuſque obſequium: 2. ut creditum confiteatur, *Rom.10.10.* 3. ut propter Evangelium paratus ſit, Mundi odium, contumelias & perſequutiones ſuſtinere, imò fidem ſuam proprio ſanguine obſignare.

3. *Deſcriptio* præclara *Evangelii. v.16.b. Evangelium eſt potentia Dei ad ſalutem cuivis credenti, &c.* Obſervandum heic *Evangelii*

1. *Nomen.* Non intelligit tantùm Evangelium, quà ſcriptum, ſed &, quà prædicatum.

2. *Definitio.*

α. Poten-

α. *Potentiam* dicit, *δύναμιν*, nec simpliciter, sed addit, DEI. Non sensu Schvvencfeldiano. Non enim intelligitur Potentia, quę est in Deo: sed sumitur metalepticè pro Organo Potentiæ Dei; idque more & usurpatione Hebraicâ. *Psal.110.2. Jesa.53.1.* Vocatur autem sic, quia Evangelium est efficax medium, per quod Deus operatur salutem Electorum, eos illuminando, convertendo, consolando, atque in fide & gratia custodiendo usque in finem. Cavendus heic geminus Error, exorbitantium tùm

In defectu, Anabaptistarum & consimilium Fanaticorum, qui vel nihil, vel parum tribuunt Evangelio prædicato, vocantes illud *literam mortuam*.

In excessu, Hyperbolicorum Doctorum, qui virtutem salvificam, prædicationi Evangelii conjunctam, diffundunt in voces & sonos: per sacrilegium, quod solius Dei est, transferentes in Ministros, contra illud Pauli, *1.Cor.3.7.*

β. *Finem* indicat, quò Evangelii Doctrina tendat, videl. ad salutem Animæ æternam. Est enim Evangelium Doctrina non Salutis præsentis, sed æternæ.

γ. *Subjectum*. Finem ψ, quorum bono. *v.16.*

1. *παντὶ, Omni*, aut *omnibus*, ut indicetur Salutis & Evangelii, sive Vocationis universalitas. Hinc Evangelium prædicatur quibusvis.

2. *πιστεύοντι, Credenti*. Contra Patronos Vniversalis Gratiæ. Sic *Joh.3.16.* quum de Missione Filii Dei in Mundum agitur. Ergo sunt quidem Evangelii Promissiones universales, sed respectu credentium. Interea rectè *Omnium* fit mentio, cùm nemo in toto Mundo salvetur, nisi per Evangelium: sicut Sol dicitur totum Mundum collustrare, quia nulla in Mundo lux nisi ab ipso.

3. *Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι.* Per *Græcos* intelligit Synecdochicè Gentiles communiter. Sic autem appellat, quòd Lingua Græca tùm temporis fuerit diffusa in toto Orbe, teste etiā Cicerone *Orat. pro Archia Poët.* Deinde, quia Græci primi post Judæos in Evangelici fœderis communionem asciti fuerunt, ut annotavit Calvinus. Observ.

α. Quòd utrosque componat Paulus. Sic indicat Catholi-

tholicismum Evangelii & Ecclesiæ consistere in sublato veteri Judæorum & Gentium discrimine.

b. Quòd Judæos præponat, quia hi primum debebant habere honorem. Subest autem tacitum vaticinium de Salute auferenda à Judæis & transferenda ad Gentes. *Act.13.46.*

II. PROPOSITIO.

Propositio summaria *Doctrinæ de Justificatione* comprehenditur *v.17.* Summa est: Justificari nos coram Deo, non ex Operibus nostris, sed ex sola Fide. quæ Propositio deinceps ab Apostolo hoc & sequẽtibus Capitibus fusiùs amplificatur & demonstratur. Optimè autem cohæret cum superioribus verbis, ubi Evangelii dignitatem & efficaciam commendavit: *Evangelium est potentia Dei ad salutem.* Probat nunc hoc argumento: Quia in eo patefiat Justitia salvifica. Verba autem Apostoli benè sunt consideranda. *Justitia enim Dei,* inquit, *per illud retegitur ex Fide in Fidem, sicut scriptum est: Justus ex Fide vivet.* Vbi occurrit

I. *Sententia Apostolica:* In Evangelio revelari justitiam Dei de fide in fidem. Considerand.

1. Quid *Justitiæ* nomine intelligat? Non *α.* eam Justitiam, quæ est in Deo, & est ejus essentialis proprietas, quâ Deus suum cuique tribuit, puniens malos, conservans & remunerans bonos. Hâc enim Justitiâ, si servari deberemus, nemo servaretur. Quia hæc Justitia est contra nos, cùm simus omnes Peccatores. *β.* Neque intelligit heic aliquam Justitiam nobis inhærentem. Idcircò vocat *Dei.* nec obstat, quòd hæc Justitia sit à Deo, & nobis à Deo data aut infusa. Nam Apostolus postea *cap.3.22.* dicit, *hanc Justitiam esse patefactam absque Lege per fidem Jesu Christi.* Jam Justitia, quæ est in nobis, non potest dici patefacta absq; Lege. Lex enim Sanctitatem & Justitiam habitualem requirit.

Intelligit ergo *Justitiam* illam, quâ nos coram Dei tribunali consistimus, quæ *Dei* dicitur. 1. Quia illa coram Deo valet. 2. Quia ex gratia nobis à Deo imputatur. Hinc vocatur *Justitia imputata:* & quia in Evangelio patefit, *Justitia Evangelica,* ad differentiam *Justitiæ legalis* quæ nihil est aliud, quàm perfecta Legis impletio aut obedientia: *Justitia* item *fidei, Ratio,* quia fides eam apprehen-

dit: denique *Justitia Christi*, quia est in Christo, & Christus nobis eam acquisivit.

2. Cur dicat, *Revelatur*, & quomodo *Reveletur?* Non dicit tenuiter, docetur in Evangelio, sed emphaticè, *revelatur.* ut insinuet, Justitiam hanc Fidei esse summum Mysterium, quod Sapientiæ Humanæ & Legi absconditum, in Vet. Testamēto adumbratum, in Novo demùm per Evangelium prædicatum & patefactum est. Tripliciter autem revelatur in Evangelio.

   α. Quia ostendit & docet, Justitiam, quâ Peccator in Dei Judicio consistit & vivit, non esse Legis aut Operum, vel Ceremoniarum præstationem: secùs nō opus fuisset Evangelio, quia Lex mansisset in suo vigore; sed consistere in gratuita Peccatoris acceptatione, & Justitiæ imputatione.

   β. Quia docet nos Evangelium de Satisfactione Christi perfecta, quam præstitit non solùm bono, sed & loco nostro, obediendo usque ad mortem, *Philipp.2.8.* quæ Satisfactio demùm, sicuti in Novo Testamento exhibita & præstita est, sic in Evangelio revelatur. Et hæc est ipsa Justitia, quâ justificamur.

   γ. Quia Evangelium monstrat verum & unicum medium, quo Justitiam hanc possumus apprehendere, videlicet *Fidem.* Et hoc jam

3. Tertium est, quod in Apostolica hac Sententia observandum, quum additur: *ex fide in fidem.* Indicat enim Apostolus *modum,* & medium sive organum, quo hanc Justitiam obtineamus: nempe non operando, sive per aut propter meritum Operum; sed credendo, sive per medium Fidei.

Quæstio. Cur autem geminatione utitur, *ex fide in fidem?*

Resp. Nolo sententias aliorum recitare. Puto, hac geminatione voluisse Apostolum duo significare, 1. Fidei, quâ justificamur, incrementum: *ex fide in fidem*, id est, ex fide quotidiè crescente & augescente. quia quò magis in Fide quotidiè crescimus, eo majorem Justitiæ hujus sensum percipimus. Et notum est, phrasibus similibus Scripturam incrementa indigitare, ut quum dicitur, *Gratiam pro gratia. Joh.1.16. de virtute in virtutem, de turma in turmam, Psal.84.8. de gloria in gloriam, 2.Cor.3.16.* 2. Non dubium est,

est, voluisse Apostolum Fidei privilegium Justificationis in solidum adscribere, exclusis operibus: *ex fide in fidem*, id est, solâ fide, absque operibus, sicuti & *Gal. 2. 16.*

II. *Sententiæ Confirmatio*, ne videretur prorsus nova, adeóque absurda, ex Oraculo Prophetico *Habacuc 2. 4. Justus ex fide sua vivet.* Duo autem docet Paulus hoc oraculo, de quibus in præcedentibus verbis egerat. Nam quia duo dixerat, Salutem, quæ in Evangelio patefit, contingere credẽtibus; item Justitiam, quæ in Evangelio patefit, esse Fidei, sive ex, aut per fidem: utrumque hoc dicto probat. *Prius*, quùm dicit; *Justus ex fide vivit. Posterius*, quùm Justum ex fide describit. Nam utroq; modo & sensu potest sumi istud dictum: *Justus*, qui nempe ex fide justus est, *vivet.* Aut, *Justus vivet ex fide.* Perinde est, inquam, utrovis modo sumas, quia res eódem recidit. Nam sicuti Salus non est, nisi ex fide, sic nec Justitia, nisi ex fide. Omnia sunt ὑπάλληλα, conjuncta & consentanea, Fides, Salus.

III. CONFIRMATIO.

CONFIRMATIO sequitur Doctrinæ principalis de *Justificatione*, quæ hæc est: *Justitiam aut Justificationem non esse ex operibus, sed ex Fide.* Itaque Apostolus procedit I. Ἀποφατικῶς, *Negativè* Justificationem nostram ab Operibus removendo, *Cap. I. v. 18. usq; ad fin. Capitis, Cap. II. toto, & Cap. III. v. 1--20.* II. Καταφατικῶς, *Affirmativè* aut assertivè, Justificationem soli Fidei in Christum asserendo.

PARS PRIMA, ἈΝΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Disputationis Apostolicæ contra Justificationem ex Operibus.

Argumentum principale Pauli, quo constringit omnes Justitiarios tùm ex Gentibus, tùm ex Judæis, desumptum est ab universali omnium Hominum, citra ullam exceptionem, REATV coram Deo, quod particula causalis γὰρ, *v. 18.* insinuat. *Argumentum* autẽ huc redit.

Quicunque sunt peccatores, & propter peccata iræ Dei obnoxii, illi Justitiam coram Deo ex operibus non habent.

Atqui omnes Homines, citra exceptionem ullius nationis, ordinis ac status, sunt peccatores, hincque iræ Divinæ obnoxii.

Ergo nulli Homines ex operibus coram Deo justificantur.

Majoris Veritas patet: quia operibus bonis, peccata; Justitiæ ira & condemnatio sunt è diametro opposita.

Minorem Apostolus, tùm de Peccato, tùm de Pœna

A. *Proponit* summatim, *v.18. Patet enim ira Dei adversùs omnem impietatem & injustitiam.* Summa est: quòd omnes Homines sint rei coram Deo propter peccata, contra primam & secundam Legis Tabulam; & quidem peccata, non tantùm ex ignorantia, sed & scientia & petulantia commissa, dum Veritatem in Injustitia detinent. Occurrit heic

α. *Culpa* & *Reatus* omnium Hominum propter peccata, quorum commemorat Apostolus 1. *Species*, videlicet ἀσέβειαν, *Impietatem*, contra primam; & ἀδικίαν, *injustitiam*, contra secundam Legis Tabulam. 2. *Gradum* ac mensuram: *Veritatis in Injustitia detentionem* seu captivitatem: *ut qui Veritatem detineant in Injustitia. v.18.* Per *Veritatem* intelligo non solùm practicam, ut quidam vult, sed & theoricam: adeò ut utrique opponatur ἀδικία in sensu latiore, pro omni, non solùm veri cultus Dei, & æquitatis erga proximum; sed & veri de Deo sensus oppressione, quod satìs liquet ex versibus seqq. Hinc Beza reddit: *ut qui veritatem injustè detineant.*

β. *Pœna*, nomine *Iræ Dei*, quam dicit *patere è Cœlo*, ut innuat, maledictionem Dei propter peccata 1. diffusam esse in totum Orbem, supernè & infernè: *Rom. 8.20.* 2. quùm pœna in terris negligitur aut suspenditur, cœlitùs à Deo exspectãdam: *Job. 20.27.* 3. donec tandem die novissimo è Cœlo ultio plena sequetur. *2.Thess. 1.7,8.*

B. *Defendit* contra *Objectionem* tacitam. Quia enim fecit mentionem *Veritatis*, i.e. cognitionis Dei, potuisset quis *objicere*, quia de Gentilibus potissimùm loquutus est, 1. excusatos videri, propter Dei ignorantiam, eò quòd Lege caruissent: 2. adeóque immunes à pœna & condemnatione.

Respondet per Negationem, & docet, Gentiles non caruisse omni Dei cognitione. *Rat.* quia habuerint partim *Subjectivam & Congenitam*, γνωστὸν τοῦ Θεοῦ ἐν αὐτοῖς, *v.19.a.* id est, *in cordibus eorum*, utì postea explicatur *cap. 2.15.* partim *objectivam* & *acquisitam*, ex contemplatione Creaturarum, *v.20. Ipsius enim invisibilia jam inde à Creatione Mundi τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ex iis quæ fecit animadversa pervidentur.* Apostolus

ſtolus id probat ex notitiæ hujus

1. *Cauſa efficiente*, videl. Dei revelatione, *v.19.b. Deus enim eis manifeſtum fecit.*

2. *Modo.* Quia Deus non ſolùm lucem aliquam ſuæ notitiæ in ipſorum mentibus reliquam fecit; ſed & per lumen externum Operum ſuorum in Natura & animis cogitandam, & oculis contemplandã, propoſuit æternam ſuam *α. Potentiam, β. Divinitatem* conſequenter. *v.20.*

3. *Fine. Ibid.* Εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους: *ad hoc ut ſint inexcuſabiles.*

Quæritur I. Quid per τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ *v.19.* intelligendum veniat?

Reſp. Γνωστὸν ſignificat id, quod de Deo eſt *noſcibile*, ſicut τὸ νοητὸν ſignificat *intelligibile*. Rectè Beza: *quod de Deo cognoſci poteſt*: non, ut alius, *quod de Deo cognoſci debet*. An verò omne noſcibile de Deo? Novatores quidam extendunt hoc Γνωστὸν ad Gratiam univerſalem, adeò ut ſub ejus latitudine comprehendant etiam Gratiam in Evangelio patefactam de Redemptione univerſali omnium Hominum per Chriſtum. Atqui Paulus alibi vocat hanc *Sapientiam occultatam in myſterio, quam nemo Principum hujus ſeculi cognoverit*, 1. *Cor.* 2. quæq; adeò non per *Lumen* univerſale *Naturæ*, ſed *Gratia* ſeu *Verbi* tantùm poteſt innoteſcere Hominibus. ¶ Itaq; ſciendum, per Γνωστὸν hoc intelligi, uti jam docui, 1. reſiduam lucem internam mentis, poſt ὁλοκληρίαν primævum, lapſus primi pediſſequum: quo nomine intelliguntur communes ἔννοιαι, notiones de Deo, quòd ſit Deus, & quidem unus, quòd ſit juſtus malorum ultor, & bonorum retributor. Conſcientia quippe etiam impiiſſimorum huic notitiæ atteſtatur. 2. Lumen externum, ſcintillans in ſpeculo Naturæ ſeu rerum creatarum, uti expreſsè Paulus docet *v.20.* Hæc *Schola* vocatur *Natura*, cujus Deus eſſe voluit Diſcipulos omnes Homines, ἀπὸ κτίσεως κόσμου, adeóque etiam Gentiles: quæ nequaquam confundenda eſt cum *Schola Gratiæ*, cujus Diſcipulos Deus eſſe voluit ſolos Verbi ipſius Auditores, quales primùm ſub Veteri Teſtamento fuerunt Judæi: *Pſal.* 147.19, 20. *Rom.* 3.2. nunc ſub Novo etiam Gentes per Verbi prædicationem vocatas. *Epheſ.* 2.19, 20. Hinc Paulus notitiam inde hauſtam reſtringit ad Dei *potentiam* & *Divinitatem*, nempe ceu *Creatoris*, nequaquam autem dilatat ad Miſericordiam Dei *Redemptoris* in Perſona Chriſti. Itaq; poſtrema hæc φανέρωσις & Vocatio non eſt univerſalis.

Quæritur II. Quo ſenſu Gentiles per illud Γνωστὸν τοῦ Θεοῦ redditi fuerint ἀναπολόγητοι? *v.20.*

Reſp. Quatenus ſuis peccatis & impietati non potuerunt prætendere Dei ignorantiam, quod Apoſtolus poſtea *v.21.* explicat. Nam quanquam Deum per lucem congenitam quadantenus cognoverint, eamque per lucem in Natura augmentare potuiſſent, tamen 1. modis omnibus potius ſuffocare & extinguere eam ſtudio habuerunt. 2. Notitiâ non uſi fuerunt ad Dei gloriam, ſed abuſi ad Dei ignominiam & idololatriam & omnem iniquitatem. Atque id nunc Apoſtolus docet in ſeqq.

C. *Confirmat* ſpeciatim per partes, oſtendens, quomodo omnes Homines ſint ſub peccato. Agit autem de duplici Hominum genere, I. De *apertis* & *manifeſtis* Peccatoribus uſq; ad finem Capitis. II. De *Hypocritis*, Cap. II.

Priores quod attinet, ſicuti antea *Impietatis* eorum, contra primam,

& *Injustitia*, contra secundam Legis tabulam, meminerat *v.18.* ita utramque nunc perstringit, agens de eorum

I. *Impietate*, ἀσέβεια. Impietatis reos peragit duplici argumento: quia agnitione Dei & veritate

א. *Usi non fuerint* ad verum Dei cultum. Ostendit ergo, quòd Deo cognito negaverint verum ac debitum cultum, dicens *v.21.a. Propterea, quòd, quùm Deum cognoverint, tamen ut Deum non glorificaverunt, neq; gratias ei egerunt.* Ita eis Apostolus exprobrat tùm Dei contemptum, quo immensam ejus Majestatem; tùm ἀχαριστίαν & Ingratitudinem, quâ Dei, quà Creatoris & Conservatoris, generalem beneficentiam violârunt. Infert ex superioribus, quod indicat particula Διότι, *v.21.* Vult enim ostendere, Gentes esse inexcusabiles, eò quòd cognovissent Deum, utì jam dictum: adeóque peccent non inscienter, sed scienter & volenter. Argumentum Apostoli huc redit:

Quicunque Deum cognoverunt, & tamen non honorârunt, illi sunt rei peccati, quod est extra controversiam.

Atqui Gentes Deum cognoverunt, & tamen non honorârunt.

Ergo Gentes sunt reæ peccati.

Minorem probat experientia omnium seculorũ. Nam 1. Multi agnitionem Dei prorsus supprimere conati, ut negaverint apertè Deum esse, ut Caligula, Democritus, Epicurus, alii. 2. Quidam semet-ipsos in Deos transformârunt, ut Alexander Magnus, & Giganteo fastu Deo vel pares, vel superiores esse voluerunt, exemplo Regis Babylonii, *Jes.14.13,14.* Sanherib, Regis Assyriorum, *Jes.36.20.* 3. Multi Deum quidem agnoscentes negârunt ejus unitatem, & πολυθεότητα finxerunt, adeò ut Augustinus alicubi scribat, numerum Gentilium Deorum excessisse 30000. 4. Multi Providentiam Dei negârunt, & eam vel limitârunt cancellis Cœlorum, ut Peripatetici; vel Naturæ alligârunt, & causis inferioribus subjecerunt, ut Stoici. 5. Fuerunt, qui agnoverunt quidem, tamen noluerunt Deum honorare & colere. Hinc beneficia accipientes μὴ εὐχαριστοῦσιν.

ב. *Abusi fuerint*, sicuti antea dixerat: *Veritatem eos detinuisse in injustitia.* Id nunc porrò explicat & confirmat. Quia videlicet hac cognitione abusi sint,

α. Ad *Veritatis oppressionem. v.21.b. Vani facti sunt ἐν τοῖς διαλογισμοῖς, in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est desipiens cor eorum.*

Adeóque

Adeóque quum debuiſſent lucem acceptam retinere & augere, illam potiùs obſcurârunt, imò extinxerunt, ut, *cùm ſe ſapientes putaſſent, ſtulti evaſerint.v 22.* Hoc verè de Gentilibus dixit. Habuerunt quidem γνωςὸν aliquod Dei, ſed illud ſuis commentis offuſcârunt: fuit ad inſtar alicujus fulgetri nocturni, quod confeſtim à tenebris abſorbetur.

β. Ad *Idololatriam. v.23. Mutârunt enim gloriam incorruptibilis Dei in falſitatem, in ſimulachrum imaginis corruptibilis Hominis & volucrium, & quadrupedum & reptilium.* Ita meliùs quoq; Vanitatem Gentilium explicat, oſtendendo tùm

1. *Factum*, videlicet Cultus Dei corruptionem.
2. *Culpam* & turpitudinem *Facti*. 1. Quia mutaverint Deum, ſc. in cordibus ſuis, qui ſit immortalis & incorruptibilis. 2. Quia gloriam Dei mutârint. 3. Quia ſimulachrum ei fecerint, cui nihil aſſimilari poteſt. *Jeſa.40.18.* 4. Quia ſimulachrum fecerint ad ſimilitudinem creaturarum corruptibilium, & quidem non tantùm rationalium Hominum, ſed & irrationalium Brutorum: quod exempla Græcorum, Romanorum, Ægyptiorum, Palæſtinorum & conſimilium plus ſatìs evincunt.

II. *Injuſtitiâ* & *improbitate.* Hujus oſtendit

א. *Originem* & *fontem*. quem refert

1. Ad *Gentes, primò* & *principaliter*, videlicet ad prædictam eorum impietatem. Idcircò dicit, Διὸ, *v.24.* quæ particula eſt hoc loco cauſalis, non illativa. Et explicat id poſtea tùm *v.25.* tùm *v.28.* repetens ſuperiorem querimoniam de gemina contumelia Deo illata.

Prima eſt, dum *Veritatem converterunt in mendacium*, id eſt, veram Dei cognitionem ſuis dialogiſmis & vanis ratiociniis perverterunt. *v.25.a.* utì ſuprà *v.21.*

Altera, dum Cultum Dei & honorem in turpem Idololatriam commutârunt, *v.25.* quæ contumelia & Idololatria cum Sacrilegio conjuncta ſit: quia *Deum, qui ſolus eſt benedictus in ſecula*, gloriâ ſuâ ſpoliârunt, eamque tranſtulerunt in Creaturas, eas colendo ac venerando, *v.25.b.*

2. Ad *Deum, ſecundariò* & *judicialiter*, tanquã ad Judicem, ex *v.24.* iterum *v.26.* & *28.* Summa eſt, Gentes quidem ex propria malitia

litia ruiſſe in ſcelera, ſed tamen juſto Dei judicio, qui peccata peccatis puniverit. Quomodo?

α. Auferendo ipſis naturalem lucem, gratiam coërcentem & reprimentem, regimen Spiritus ſui.

β. Relinquendo illos ſibimet-ipſis. 1. *Menti* tenebricoſæ. *Cordi* impio, irregenito, ad omnia mala proclivi.

γ. Tradendo & emancipando eos in poteſtatem Diaboli ceu Carnificis, ut ampliùs ab eo excœcarentur & indurarentur.

2. *Species ac partes.* Deſcribit duplicem Improbitatem.

1. *Internam*, intùs in cordibus Hominum radicatam. Dicit enim *v.24. Tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ſuorum.* & *v.26. Tradidit eos Deus fœdis affectibus.* & *v.28. Tradidit eos Deus εἰς ἀδόκιμον νοῦν, in mentem omnis judicii expertem.* Indigitat Apoſtolus Malum latens tùm in

Corde, quum meminit *cupiditatum Cordium*, & *fœdorum affectuum.*

Mente, quum meminit *Mentis ἀδοκίμου*, quum videlicet Homo rectum Rationis judicium amittit, & extinctâ Conſcientiâ, in omne genus ſceleris ſine pudore ruit. Atq; hoc ponit Apoſtolus veluti pro fundamẽto aut radice Vitæ ſceleratæ Gentilium. Vnde enim ſcelera omnia, niſi ex fonte impuro Mentis obtenebratæ & Cordis per concupiſcentiam inquinati? *Jacob.1.14,15. Matth.12.35. & 15.18,19.*

2. *Externam.* Oſtendit nunc porrò, qui rivi ex hoc impuro fonte emerſerint, & qui partus ſint Cordis humani, ſibi-ipſi relicti. Docet Apoſtolus recenſione variorum ſcelerum, quibus olim Gentes peccaverint, tùm contra ſe-ipſas, tùm contra ſe invicem. Meminit

a. *Pollutionum* utriusque ſexus horrendarum *παρὰ φύσιν*, quibus etiam beſtias ſuperaverint. *v.26,27. Nam & Fœminæ illorum transmutârunt naturalem uſum in eum, qui eſt præter naturam. Similiter & Maſculi relicto naturali uſu Fœminæ exarſerunt ſuâ libidine alius in alium, maſculi in maſculis fœda perpetrantes, & compenſationem, quam oportuit, erroris ſui in ſe recipientes.* Indigitat tales turpitudines, quibus ſe contra Naturæ uſum Gentes olim fœdârunt, quas inter Chriſtianos non fas eſt nominari. Et iterum oſtendit, juſto Dei judicio in talia ſcelera deſpumâſſe, propter contemptum Veritatis & Dei.

b. *Scelerum* aliorum, magìs communium, quibus potiſſimùm contra proximum deliquerunt, qualia tunc temporis inter

Roma-

Romanos aliósve frequentata fuerant. Catalogum pertexit *v.28.29.30,31* peccatorum variorum contra præcepta secundæ Tabulæ: non quasi omnes & singuli Gentiles omnibus & singulis sceleribus dediti essent, sed quia plerisque. & quia ad omnia ista non Gentes solùm, sed omnes Homines naturâ proclives sunt. Meminit itaque

α. *In genere, Injustitiæ*, item *Malitiæ, πονηρίας, κακίας. v.29. Oppleti omni injustitiâ, malitiâ, improbitate.* & simul fontis, videlicet *Impietatis*, quum *v.30.* vocat *θεοστυγεῖς, Dei osores.*

β. *In specie*, variarum ejus specierum, contra

Præceptum 5. *Parentibus inobedientes. v.30.*

Præceptum 6. *Oppleti invidiâ, cæde, contentione, dolo, malignitate, v.29. charitatis expertes, implacabiles, immisericordes. v.30.*

Præceptum 7. *Oppleti scortatione. v.29.*

Præceptum 8. *Oppleti avaritiâ, v.29. injuriosi, inventores malorum, v.30. fœdifragi, v.31.*

Præceptum 9. *Susurrones, obloquutores, injuriosi, superbi, v.30.*

3. *Magnitudinem* deniq; & mensuram hujus *Improbitatis* indigitat Apostolus, quòd videlicet ei jungant extremam *Impudentiam. v. ult. 32. Qui Dei jure agnito, (nempe eos, qui talia faciunt, dignos esse morte,) tamen non solùm ea faciunt, sed etiam iis, qui ea faciunt, consentiunt.* Gradatim insinuat Apostolus

a. Quòd peccent contra conscientiam. Nôrunt enim *τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ*. Intelligit *Jus Naturæ*, quod *Dei* vocatur, ad discrimen Injustitiæ Gentium, & quod Deus hoc jus ipsis dictaverit & implantaverit. Hinc *cap.2.v.14.* scribit: *Gentes, quæ Legem non habent, naturâ, quæ Legis sunt, faciunt.*

b. Quòd peccent excusso omni timore & metu pœnæ.

c. Quòd non solùm ipsi ea committant, sed ea probent quoque in aliis, & iis in sceleribus patrocinentur.



CAPUT II.

CONTINUAT Apostolus hoc Capite Disputationem superiore Capite inchoatam de *Statu* ἀναπολογήτῳ omnium Hominum, ut tùm *Judæis*, tùm *Gentibus* adimat fiduciam & præsumptionem Justitiæ propriæ coram Dei tribunali. Sicut enim *Capite præcedente* Statum hunc demonstravit exemplo Hominum palàm sceleratorũ, inprimis *Gentilium*: ita nunc *hoc Capite* idem demonstrat exemplo HYPOCRITARUM, *Justitiariorum* nempe, qui turgent Justitiæ propriæ phantasiâ & imaginatione, tùm inter *Gentes*, tùm inter *Judæos*.

Partes Capitis principales sunt duæ.

Prima pertinet ad *omnes Homines*, etiam *Gentiles*, *v.1--16.*

Secunda ad *Judæos* in specie, *v.17. usq; ad finem Capitis.*

PARS I. CAPITIS.

Apostolus superiorem Doctrinam, de qua dictum est, continuando, agit de Gentium, imò omnium Hominum tùm *Culpa* atque *Reatu*, tùm *Pœna*.

A. *De REATU omnium Hominum.*

Observanda heic venit

א. Συζυγία, sive cohærentia hujus Capitis cum præced. quæ insinuatur particulâ διὸ, *v.1. quapropter.* Vult enim Apostolus aliquid ratiocinando cõcludere, quod hoc est: Omnes Gentes esse sub Reatu, & inter eas etiam illos, qui sibi videntur esse justissimi, aliorum Aristarchi & Censores.

Unde verò Apostolus id vult concludere? Dixerat Apostolus *Cap.I.v.32.* Peccatores crassos & manifestos esse ἀναπολογήτους, eò quòd nôssent Jus Dei, nec tamen facerent. Hinc nunc sic vult ratiocinari à minori ad majus.

Si peccatores crassi & manifesti, qui apertis sceleribus operam dant, & patrocinantur sui similibus, sunt ἀναπολόγητοι, propterea, quòd nôrunt *Jus Dei*, adeóque scienter & volenter peccant: sequitur, magis ἀναπολογήτους esse reliquos inter Gentes, qui sibi dictamen atque censuram sumunt in alios.

Rat. 1. Quia non solùm *Jus Dei* nôrunt, 2. sed & alios propter scelera damnant, cùm ipsi in eodem cum aliis peccatorum luto & cœno hæreant. *Bis enim* (verba sunt Cal-

Calvini) *tales sunt damnabiles*, tùm, *quia iidem* cum aliis *sunt obnoxii vitiis*: tùm, *quia ea in aliis carpunt & accusant. Nota est enim sententia, Legem sibi-ipsis indicere virtutum eos, qui ab altero rationem vitæ reposcunt; nec ullâ veniâ dignos esse, si eadem admittant, quæ sumpserint in alio corrigenda. Matth. 7. 3, 4, 5.*

Atqui verum est, quod antecedit.

Ergo & illud, quod sequitur.

2. *Propositio, Summa*, v. 1. *Inexcusabilis es. ô Homo, quisquis* alterum *damnas. Nam hoc ipso, quòd damnas alterum, te-ipsum condemnas: eadem enim agis* tu, *qui* alium *damnas*. Vbi considerand.

I. *Subjectum*: videl. cum quibus Apostolus disceptet. non cum manifestis peccatoribus, sed cum *Hypocritis*, uti dictum, aliorum Censoribus. Ideò dicit, *ἄνθρωπε, ô Homo*, emphaticè: item *πᾶς, quisquis es*, citra *προσωποληψίαν*. sis Magistratus aut Subditus, Actor aut Reus: sis plebejus aut ex sapientum ordine. Erant enim olim, ut & hodiè inter Gentiles non solùm infames peccatores, sed & propter virtutes morales atque politicas honoratiores Personæ omnium Ordinum, v. g. Philosophi, quales Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, &c. Judices & Legislatores, qualis Solon, Lycurgus, Aristides, Cato Censorius, alii. Et inter ipsos Idiotas alius alium antecellebat continentiâ, vitæ morumque externâ probitate.

II. *Attributum*: cujus rei ipsos arguat. *Reatus*, quòd sint Peccatores coram Deo *ἀναπολόγητοι*, adeóq; irâ Dei & æternâ condemnatione digni. *Αἰτιολογία*. quia eadem faciant, quæ damnant in aliis. *Argumentum* hoc est.

Quicunque sunt *αὐτοκατάκριτοι*, illi sunt *ἀναπολόγητοι*,

Atqui condemnantes alios propter peccata, sunt *αὐτοκατάκριτοι*, quia eadem patrant quæ alii.

Ergo sunt *ἀναπολόγητοι*.

Object. Atqui eadem non faciunt, quæ alii, cùm honestiùs vivant.

Resp. Eadem faciunt, si non *effectu* & *opere*, saltèm *affectu* & *corde*; si non *palàm*, saltèm *occultè*.

3. *Ἀνασκευή, Confutatio* proleptica tacitarũ *Objectionum* talium Hominum. Nunquam enim Hypocritis desunt suæ nequitiæ *προφάσεις* & excusationes.

4. *Object.* I. Cur nos aggregas numero Hominum perditissimo-

rum: cùm verſemur extra crimen cædis, adulterii, furti, rapinæ,&c.

Reſpondet Paulus per diſtinctionem Fori humani & Divini, Soli,ut ajunt,& Poli: item inter forum conſcientiæ propriæ & ſcientiæ alienæ, *v.2. Scimus verò judicium Dei eſſe ſecundùm veritatem adversùs eos,qui talia agunt.* Provocat ad teſtimonium 1. *Conſcientiæ:* *Οἴδαμεν,ſcimus.* Nam & ipſis Gentilibus Conſcientia dictabat & dictare poterat *Reatum*, utì patet ex *v.15.*hujus Capitis. 2. *Dei,* cujus *judicium ſit κατ' ἀλήθειαν, ſecundùm veritatem*, id eſt,*ἀδυνπόκριτον,* quo non ſolùm vita Hominis externa,ſed & interior cordis puritas ſive ſinceritas dijudicatur.

Object. II. At quis eſt, qui nos judicet aut damnet? Noſtrum eſt dominium in terris: aliis imperamus, judicari & condemnari neſcii.

Reſpondet Apoſtolus *v.3. Cogitas autem hoc, ô Homo,&c.* per invectivam. *ô Homo*, emphaticè, Q.D. Quis Tu es, qui te jactas eſſe aliorum Dominum,Imperatorem, Judicem? Cogita,quisquis es,& quocunq; loco es, te eſſe HOMINEM,adeóq; vanum,mortalem, peccatorem, cui nullum ſuperſit *καύχημα* apud Deum,ceu omnipotétem, omniſcium, juſtum & ſupremum Judicem. *Rom.3.6.23.*

Object. III. Atqui nos,præſertim Romani,vivimus in flore,abundamus potentiâ, divitiis, authoritate,omnisq; generis deliciis, ut vix videri poſſit, Deum nobis eſſe iratum propter ſcelera, adeóque immeritò æquiparamur aliis peccatoribus.

Reſpondet Paulus dupliciter,

1. Per *Νέμεσιν* & *Reprehenſionem* vehementem, &quidem *ἐρωτηματικῶς,interrogativè*, eorum tùm

   α. *Impietatis* & *contemptus Dei,v.4.a. An divitias benignitatis & tolerantiæ & lenitatis ejus contemnis?* Exprobrat eis contemptum.

      a. *Cujus rei?* Mentionem facit per *αὔξησιν* Dei 1. *Χρηστότητος,benignitatis*,quâ benefacere ſolet etiam impiis,*Matth.5.45.Act.14.17.* 2. *Ἀνοχῆς,tolerantiæ*, quâ Deus plagas varias promeritas ab impiorum liminibus & cervicibus arcet. 3. *Μακροθυμίας, longanimitatis*, quâ Deus non raró longo tempore ipſorum iniquitatem relinquit impunitam. *Rom.9.22.*

      b. *Quanta?* Vocat *πλοῦτον, divitias Dei benignitatis*, ut appa-

apparear, impios, hujus seculi filios, non raro à Deo præ aliis piis ditari & saginari veluti temporali & externâ felicitate, ipsis à Deo concessâ. *Job.21.v.7.& seqq. Jer.12.1,2.*

β. *Cæcitatis* & ignorantiæ malitiosæ, quòd videl. ignorent Divinæ beneficentiæ *Causam* tùm 1. *impulsivam*, Dei longanimitatem: 2. tùm *finalem*, resipiscentiam. *v.4.b. Ignorans, te benignitate Dei ad resipiscentiam deduci.*

γ. *Contumaciæ* & impœnitentiæ. Hinc v.5. exprobrat eis τὴν σκληρότητα καὶ ἀμετανόητον καρδίαν.

2. Per Ἀπειλὴν, *Interminationem*, sive denunciationem Judicii Divini, nequaquam emansuri, *v.5. Sed pro duritia tua & corde ἀμετανοήτῳ, resipiscere nescio, thesaurizas tibi-ipsi iram in diem iræ & patefactionis justi judicii Dei.* quibus verbis Apostolus indicat Impunitatem πρόσκαιρον, sive dilationẽ pœnæ, 1. non esse argumentum innocentiæ Gentium, sed Divinæ patientiæ & longanimitatis: 2. incitamentum esse ad veram pœnitentiam: 3. hac deficiente, prodromum esse gravioris sequuturi Judicii, cujus Apostolus insinuat

α. *Certitudinem*, videl. in Conscientia: *Σεαυτῷ, tibi-ipsi.*

β. *Occultationem*, similitudine *Thesauri*, qui custoditur in occulto.

γ. *Magnitudinem* & gravitatem. Iterum per verbum *θησαυρίζειν*, & nomen *Iræ Dei* & *Judicii*: ut denotet cumulum judiciorum Dei, tanquam in thesauro aliquo sensim aggregatorum, quibus sit tarditatem eorum compensaturus.

δ. *Tempus* & *patefactionem. In die iræ & patefactionis justi judicii Dei.* 1. *Diem* intelligit novissimũ. 2. Vocat *Judicii diem*, quia in eo apparebit Christus Judex viventium & mortuorum. 3. *Judicium* vocat *justum*. 4. *Diem ἀποκαλύψεως, patefactionis justi Dei Judicii*: propter Hypocritas, qui solẽt & possunt suam iniquitatem hoc in seculo tegere: in die verò illo lustrico & censorio à Christo omniscio & justo Judice retegendam.

B. *De* POENA *omnium Hominum.*

A *Reatu* nunc progreditur ad POENAM, occasione verborum præcedentium *v.5.* in quibus contemptoribus longanimitatis Dei & impœnitentibus interminatus fuit Dei judicium. Locum autem hunc Apostolus pertexit descriptione *Justitiæ Dei distributivæ*, quâ benè

agentes remuneratur, malè agentes punit. Syllogiſmus hic eſto.

Juſtitia Dei hoc exigit, ut benè agentes præmium, malè agentes pœnam accipiant, & quidem ἀπροσωποληπτῶς, citra reſpectum Perſonarum.

Atqui nulli Homines nec Judæi nec Gentes benè agunt, ſed omnes ſunt peccatores, citra diſcrimen.

Ergo nullis Hominibus præmium exſpectandum Vitæ cœleſtis; ſed omnes & Judæi & Gentes, citra diſcrimen, iræ Dei ſunt obnoxii, & judicio ejus tenentur.

Doctrinæ autem hujus de *Juſtitia Dei diſtributiva* occurrit

I. *Propoſitio*, θέσις, tùm

α. *In genere, v 6. Qui reddet unicuiq; ſecundùm opera ſua.*

Pontificii ex his & ſequentibus verbis conantur exſculpere *Meritum operum*. 1. Quia Deus dicatur daturus *unicuiq; ſecundùm opera ipſius*. 2. Quia Paulus utatur voce ἀποδώσει. 3. Quia contrariis malefactis, ceu meritis, aſſcribat iram Dei & condemnationem. *v.* 8, 9.

Reſp. Doctrina Pontificia de Operum meritis e diametro militat contra Doctrinam Pauli de Juſtificatione, quam urget hoc loco contra Judæos & Gentes, cujus ſumma eſt: Nullum Hominum bonis ſuis operibus & juſtitiâ propriâ poſſe juſtificari coram Deo, ſed tantum per Fidem Chriſti; cum omnes Homines ſint peccatores, & per conſequens ſine diſcrimine obnoxii judicio Dei. Argumenta Pontificiorum nullius ſunt ponderis.

1, Non dicit Apoſtolus: Deum daturum unicuiq; διὰ τὰ ἔργα, *propter opera*, ſed κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, *ſecundùm opera ipſius*. qualis loquutio non ſemper cauſam aliquam deſignat, uti inter alia videre eſt 1. *Sam.* 8.8. *Matth.* 23.3. Vult Paulus tantùm innuere Opera bona futura regulam Judicii Dei, tanquā teſtimonia & τεκμήρια fidei & ſalvandorum. *Apocal.* 22.12. Nam quòd in *Meritorum* cenſum venire non poſſint, inde patet. 1. Quia non ſunt noſtræ virtutis, ſed donationis & operationis Dei in nobis. 2. *Cor.* 3.5. 1. *Cor.* 12.6. *Philipp.* 2.13. 2. Quia ſunt debita. *Luc.* 17.10. 3. Quia ſunt imperfecta & variis nævis inquinata, *Jeſ.* 64.6. ut τὸ ἀκριβοδίκαιον Legis ſuſtinere non poſſint. 4. Quia inter ea & præmium ſeu gloriam Vitæ cœleſtis nulla eſt proportio. *Rom.* 8.18.

2. Ἀπόδοσις non ſemper deſignat retributionem meritam, ſed & gratuitam. E.G. *Matth.* 6.6. *precantibus in occulto* promittitur ἀπόδοσις ἐν τῷ φανερῷ, *retributio in propatulo*. Quis dicet, precando nos demereri Deum? Quis unquam audivit, pauperem mendicando mereri Eleemoſynam?

3. A' merito peccatorum, ad meritum bonorum operum, nulla eſt conſequentia, propter ſummam diſparitatem. Bona opera ſunt dona Dei: mala ſunt partus noſtri. Bona opera ſunt præcepta ex noſtro debito: mala ſunt prohibita, tanquam Deo ejusq; gloriæ & noſtræ ſaluti adverſa. Bona opera ſunt peccantibus nævis & infirmitatibus permixta: mala ſunt φαῦλα, ſimpliciter mala. Inter

ter bona opera & præmium Vitæ æternæ nulla proportio: malis autem proportionata est pœna; cùm vel minimum peccatum conjunctum habeat reatum læsæ Majestatis Divinæ infinitæ. *Jac.* 2.10.

β. In specie. Agit Apostolus

A. De *Justitia Dei Remuneratrice*, v.7. *Iis quidem, qui secundùm ὑπομονὴν, patientem exspectationem quærunt boni operis gloriam & honorem & immortalitatem, Vitam æternam.* Verba hæc continent quidem promissionem Legalem, & doctrinam de Justitia Dei remuneratrice, cujus nemo fit particeps, nisi perfectè Legem impleat, & Opera præstet perfectè bona. Interim, quia Sancti in his terris, Dei auxilio, quantum per infirmitatē Humanam licet, ἀνυποκρίτως in sinceritate Cordis ambulantes, bonis operibus incumbunt: facili negotio promissio Legalis potest converti in Evangelicam; quia quod deest Sanctorum operibus, id per gratiam Dei, in Evangelio promissam, remittitur, & per imputatam Christi justitiam tegitur & compensatur. Offert autem Apostolus consideranda sequentia.

1. *Judicem*, DEVM. *Ὃς, Qui reddet, v.6.* tanquam omniscius, omnipotens, justus, gratiosus, misericors. Intelligendus autem venit ex Scriptura & Evangelio DEI FILIVS, Dominus noster JESVS CHRISTVS. Hunc enim Deus Judicem ordinavit viventium & mortuorum. *Joh.* 5.22,27. *Act.* 17.31.

2. *Judicandos* per Justitiam remuneratricem. Hos describit ab *effectu* & *adjunctu*, videlicet

   a. À *bonis Operibus*: quo nomine intelligit non Opera humanitùs præcepta, in quibus Papani proram & puppim collocāt suæ pietatis & sanctimoniæ; sed Opera à Deo in S. Scriptura, tanquam solo Dei Verbo, & unicâ Vitæ nostræ regulâ, præcepta. Nulla enim coram Deo sunt bona opera, nisi quæ conjuncta sunt cum obedientia Verbi ipsius.

   b. À *Patientia* & *Perseverantia*. Vtraque designatur voce τῆς ὑπομονῆς. Vtraque requiritur ad salutem.

      Patientia quidem, propter impedimenta, pericula, insidias, à Satana, Mundo, Carne; manentes eos, qui currunt in stadio bonorum operum. Hinc abnegatione nostri ipsius, crucifixione & mortificatione Carnis nobis opus est.

      Perseverantia verò, quia in cursu cœpisse non sufficit, nec retrospiciendum, inprimis ingruentibus persequu-

ſequutionibus, ſed pergendum conſtanter ad metam. *Matth. 24.13. Luc. 9.62. Philipp. 3.14. Apoc. 2.10.*

c. A' *Fine* & *ſcopo*, quem ſibi in curſu bonorum operum proponant, Vitâ æternâ. Non mens eſt, ut mereantur eam benè operando; ſed indicat tantùm, quò reſpiciant, non in Mundum præſentem, ut placeant oculis Hominum & Mundo, & lucellum aliquod & vanam gloriolam venentur in hac Vita: ſed quòd cogitationes ſuas flectant & porrigant in Vitam aliam, ubi retributionem exſpectat in re, quam heic poſſideant tantùm in ſpe. *2. Cor. 4.17, 18.*

3. *Judicium* ipſum *βραβευτικὸν*, remuneratorium. Βραβεῖον indigitat nominibus *τῆς δόξης, gloria, τιμῆς, timoris, ἀφθαρσίας, immortalitatis*, & tandem generaliter *ζωῆς αἰωνίου, vita æterna*. Quot nomina, tot documenta Sanctorum felicitatis, inprimis, qui propter ſtudium pietatis & bonorum operum perſequutiones patiuntur. Talibus exſpectand.

Τιμὴ, honor, præconium in die Judicii. *Matth. 25.34. &c. & 5.10, 11, 12.*

Δόξα, gloria, quâ glorificabuntur corpore & animâ. *Philipp. 3.21. 2. Cor. 3.18. Joh. 17.22.*

Ἀφθαρσία, immortalitas, æternitas, gloriæ conjuncta, adeóque Vita æterna. *Jeſa. 35.10. & 51.11. Dan. 12.2. Matth. 25.46.*

4. *Tempus* Judicii exercendi & conſummandi, videlicet non in præſens, ſed in futurum. Ideò dicit, *ἀποδώσει, reddet*, quia nimirum Deus Sanctos durante hoc ſeculo exercere ſolet per *παιδείαν, δοκιμασίαν, &c.* variis judiciis: differt autem plenam eorum liberationem & glorificationem in ſeculum alterum. *2. Theſſal. 1.6. &c. Apoc. 14.13. & 21.4.*

B. De *Juſtitia* DEI *Vindicatrice*. Vbi conſiderand.

1. *Subjectum. v. 8. Litigioſis verò & veritati quidem non obedientibus, obedientibus autem injuſtitia.* Intelligit Homines impios & reprobos, quos deſcribit ex effectis.

α. *Τοῖς ἐξ ἐριθείας, qui ſunt ex contentione*, aut *litigioſos*, ut Beza reddit: ſive *Religionem*, ſive *Vitam* & mores ſpectes, uti ſunt Hypocritæ, qui correptiones ex Verbo Dei non ſuſtinent, ſed pertinaciter iis reluctantur. *Act. 7.51.*

β. *Ἀπειθοῦσι τῇ ἀληθείᾳ, inobedientes veritati.* Intelligit per *Veritatem*, regulam voluntatis, videlicet notitiam naturalem, utì ſuprà

ſuprà *verſ.18.* ſive Legem naturæ.

γ. Πειθομένοις τῇ ἀδικίᾳ, *obedientes* ſive mancipatos *injuſtitiæ.*

2. *Attributum. v.8.& 9. Excandeſcentia & ira, afflictio & anguſtia adversùs omnem animam Hominis perpetrantis malum.* Sententia eſt Judicialis, quâ Improbis his denunciatur

α. *Θυμὸς καὶ ὀργή, excandeſcentia & ira,* videlicet Dei, tanquam *cauſa.* Θυμὸς notat primum, eumq; velocem Iræ impetum per ebullientem bilem: ὀργή, incrementum & progreſſum ad vindictam: vox utraque conjuncta vehementiam & gravitatem. Ἀνθρωποπαθῶς autem utraq; Deo tribuitur, qui eſt ἄνευ πάθους, *Jac.1.17.* & deſignatur Juſtitia ejus vindicatrix peccatorum, ſive Voluntas puniendi.

β. *Judicia,* tanquam *effecta,* videlicet *θλῖψις καὶ στενοχωρία, afflictio & anguſtia:* pœnæ nimirum tùm Corporis, tùm Animæ; tùm temporales, tùm æternæ. Iterum junctæ voces pœnarũ certitudinem & gravitatem inſinuant.

II. *Applicatio* ſequitur, quâ Doctrinam præcedentem in *Hypotheſi* ad Judæos & Gentes accommodat. De *Gentibus* quidem hactenus potiſſimùm egit: quòd verò nunc *Judæos* iis aſſociet, ideò fit, ut aditum ſibi paret ad alteram hujus Diſputationis partem, quâ etiam Judæos vult convincere *Reatus univerſalis.* Itaque nunc retrogrado ordine, *v.9,10.* applicationem inſtituit *Juſtitiæ Dei*

1. *Vindicatricis* ad utroſque Judæos & Gentes, *v.9. Adversùs omnem Animam Hominis perpetrantis malum, Judæi inprimis, tùm etiam Græci.* α. *Animæ* facit mentionem, quia ea uti peccati, ita reatûs & origo & ſedes eſt propria. β. Totum Genus Humanum diſtinguit in duas Nationes, Judæorum & Græcorum, id eſt, Gentium, utì ſuprà dictum. γ. Judæos præmittit, non tantùm propter prærogativam veteris fœderis, ſed & propter gradum majorem Reatus, qui illam prærogativam, propter ipſorum inobedientiam, ſuit inſequutus.

2. *Remuneratricis, v.10. Gloria verò & honor & pax erit cuivis operanti bonum, Judæo primùm & Græco.* Obſerv. Δόξαν καὶ τιμὴν opponi *afflictioni & anguſtiæ,* de qua *v.9.* εἰρήνην, *pacem* verò *iræ* Dei. Atq; in his iterum Apoſtolus Vitam atque felicitatem æternam collocat.

III. *Vindicatio,* ἐκδίκησις, Juſtitiæ & Judicii Divini ſuccedit contra duas Judæorum & Gentium exceptiones.

Except. I. desumpta est à discrimine Personarum & Nationum. *Judæi* enim hactenus fuerunt Gens electa & sancta, tanquam fœderati Dei, quibus Deus se per Verbum & Legem patefecerat, *Rom.3.2. Gentes* autem ἀπηλλοτριωμένοι, *alienati a politia Israëlis, &* ξένοι, *extranei* à fœdere. *Eph.2.12.*

Respondet Apostolus *v.11,12.*

1. Per ἀφαίρεσιν, *remotionem* falsæ Causæ, videl. προσωποληψίας, quam Deus non attendit in Judicio, *v.11. Non enim est Personarum respectus apud Deum. Prosopolepsia* propriè significat *faciei aspectum*: & phrasis est frequens in Scriptura, quod rectè à Piscatore annotatum, *accipere faciem alicujus*, pro, facere aliquid in gratiam alicujus, consideratis externis illius adjunctis, quæ tanquam oculis conspicua favorabilem nobis reddunt Hominem. In Judicio autem Politico, quùm προσωποληψία usurpatur, *Persona* vocabulum externas circumstantias significat, quas quicunque perperàm respiciunt, paria paribus non præstant, atque hinc rei fiunt injustitiæ. Paulus hanc προσωποληψίαν negat de Deo, & indicat, ipsum non respicere dignitatem Judæorum præ Gentibus, sive demùm ipsorum genus, patriam, Legem, ipsumq; Dei Fœdus, in quo versati, species: sed illos æquè atque has sub uno reatu complecti.

Quæst. Cur ergo Deus in Veteri Testamento Judæos prætulit Gentibus? Cur in pari omnium Hominum conditione alios elegit, alios reprobavit?

Resp. Discrimen utrumque non profectum est à Dei προσωποληψίᾳ: quia Deus quosdam eligendo præ aliis, & Judæos in Veteri Testamento in fœdus cooptando præ Gentibus, non respexit caussam aliquam impulsivam, quæ esset in Hominibus naturâ paribus, sed egit pro libero & gratioso suo beneplacito. *Deuter.7.8. Matth.20.15. Ephes.1.5. Rom.9.15.*

2. Per θέσιν, *positionem* & assertionem veræ Causæ, videlicet paritatis Reatus utrorumque, tùm Judæorum, tùm Gentium, *v.12. Quicunq; enim absq; Lege peccaverunt, absq; Lege quoq; peribunt: & quicunq; cum Lege peccaverunt, per Legem damnabuntur.* Argumentum Pauli est:

Qui pariter peccant, pariter quoque puniuntur.
Atqui tùm Gentes, Lege carentes, tùm Judæi, Legem habentes, pariter peccant.
Ergo pariter quoque puniuntur.

Except.

Except. II. est *Instantia* ad *Responsionem* prioris. Nam & Judæi & Gentiles excipere per suos dialogismos potuissent, se non esse peccatores, ut judicio Dei teneantur.

1. *Judæi* quidem, quia sint Auditores & Custodes Legis, sibi à Deo traditæ.

Resp. Apostolus, *v.13. Non enim qui audiunt Legem, justi sunt coram Deo, sed qui Legem præstant justificabuntur.* Itaque Legis φανέρωσις & ἀκρόασις, patefactio & auditus non est causa ἀπολογίας; imò in casu inobedientiæ arguit majorem ἀναπολογίαν, & graviorem cõdemnationem, juxta dictum Christi, *Luc.12.47.*

Quæstio. An verba Apostoli stabiliant justificationem ex operibus?
Resp. Nequaquam. Loquitur enim ex hypothesi Judæorum, seu Justitiariorum, qui Justificationem quærebant in Operibus Legis. Indicat ergo tantum, ab iis, qui per Legem justificari volunt, requiri perfectam Legis præstationem, quæ nulli Hominum possibilis est, *Rom.8.3.* Similis locus occurrit *Matth.19.16,17.*

2. *Gentes* vicissim obtendere poterant Legis defectum, hincq; se excusare per ἄγνοιαν, ignorantiam Legis.

Resp. Apostolus *v.14,15. Nam quum Gentes, quæ Legem non habent, naturâ quæ Legis sunt faciant, isti Legem non habentes sibi-ipsis sunt Lex: ut qui ostendant opus Legis scriptum in cordibus suis, unà testimonium reddente ipsorum conscientiâ & cogitationibus sese mutuò accusantibus, aut etiam excusantibus. Respondet*, inquam,

1. Per *Concessionem*, Gentes *Legem non habere*, videlicet *scriptam* cùm Moses ipsis non fuerit missus, sicut Judæis.
2. Per *Distinctionem* τοῦ ἁπλῶς, & κατά τι: quòd aliquo modo Legem habeant, videlicet innatam, Legem Naturæ. Ideò dicit, *quòd sibi-ipsis sint Lex*. Item: *quòd Legem scriptam habeant in cordibus suis.*
3. Per *Probationem*. Probat hoc
   α. Ex *effectu*. Quia *faciant* τῇ φύσει τὰ ἔργα τοῦ νόμου, & sic demonstrent, Legem ipsis inscriptam. Quomodo? 1. *Operibus* externis Virtutum moralium & politicarum. 2. *Religionis* instituto. 3. *Legibus*, tùm *prohibitivis* scelerum, tùm *præceptivis* Virtutum.
   β. Ex *testimonio conscientiæ*, συνειδήσεως, quæ necessariò præsupponit εἴδησιν, sive scientiam, aut notitiam aliquam boni & mali. Nam ex hac dimanat in Gentium conscientia tùm

a. *Accusatio, Κατηγορία*, quando torquentur intùs propter malè facta.

b. *Excusatio, Ἀπολογία*, quando se sustentant benefactorum conscientiâ.

CAVTELÆ. Cavendus heic geminus error,

I. Patronorum Liberi Arbitrii, qui urgent verba *v.*14. & 15. Atqui 1. Paulus non loquitur de viribus Voluntatis, sed de Judicio Intellectus practici, quo Gentes naturâ discrimen aliquod nôrunt honesti & turpis in actionibus externis. Neque *Cordis* vocabulum obstat, quoniam non rarò pro intellectu sumitur, *Deut.*29.4. *Psal.*95.10. *Job.*9.4. *Luc.*24.26. 2. Licet per has vires mentis non raro Gentiles abstrahantur à malo, sive crassioribus sceleribus, hoc tamen non fit cum Voluntatis intrinseca ad ullum vere bonum inclinatione, sed potius cum metu pœnæ, aut studio gloriæ propriæ, & in primis auxilio gratiæ Dei communis, quam vocant reprimentem & coërcentem, quem etiam Scriptura vocat Spiritum servitutis, *Rom.*8.15.

II. Eorum, qui existimant, Homines naturâ plenam habere Legis cognitionem. Loquitur enim Apostolus non universaliter, sed indefinitè *v.*15. & indigitat, Gentibus suppetere tantùm semina quædam justitiæ, tanquam rudera aliqua destructæ Imaginis Dei in Homine, quas solent vocare *κοινὰς ἐννοίας*, tum theoricas, tùm practicas.

IV. *Conclusio, v.16. In die, quo judicabit Dominus de occultis Hominum secundùm Evangelium meum per Jesum Christum.* De Exequutione agit prædictæ Justitiæ, futurâ in die novissimo. *Rat.* Quia non rarò ea differtur in hoc seculo, quoad tùm bonorum remunerationem, tùm malorum pœnam. *Judicium* ergo *ultimum* Apostolus

α. *Proponit* & describit

1. A *Tempore. In die*, scil. ultimâ hujus Mundi. Cohærent benè verba cum *vers.*12. si *versus* 13, 14, 15. legantur *παρενθετικῶς*. Quòd si ad *versum* 15. proximum referre libeat, quod tamen coactius videtur, propter restrictionem horum verborum ad Gentes; sensus fuerit, juxta Calvinum, rationes accusandi & defendendi, nunc in Conscientia Gentium vigentes, tunc quoque, scilicet in ultimo die Judicii valituras.

2. A *Causa efficiente*, tùm *primâ*, DEO, tùm *subordinatâ*, IESV CHRISTO, cui à Patre, utì suprà dictum, omnis Judicii potestas tradita.

3. Ab *Objecto*: tùm *Personis*, Hominibus, omnibus scilicet, utì supra, *v.*5, 6. tùm *rebus*, actionibus non solùm *manifestis*, sed & *occultis*: scilicet non solùm dictis & factis externis, sed & cogitatis & concupitis: idque propter Hypocritas & eorum latentem impietatem.

4. A *Forma*, voce *Κρίνειν*. Insinuatur totus processus *τῆς Δικαιο-*

κρι-

κρίσιν Dei, scilicet cognitionis, patefactionis, judicationis tùm absolutoriæ, tùm condemnatoriæ, & tandem quoque finalis, ejusque æternùm duraturæ exequutionis.

ß. Confirmat testimonio *Evangelii*, quod *suum* vocat, propter Ministerium ejus prædicandi, sibi concreditum. Malo, particulam *κατὰ* esse *σημαντικὴν* confirmationis propositę Doctrinæ de ultimo Judicio, ex Evangelio à Paulo annunciato; quàm normæ & regulæ Judicii: præsertim cùm Gentes, Evangelio destitutæ, ex eo non sint olim judicandæ.

PARS ALTERA CAPITIS II.

Hactenus *in genere* de REATV omnium Hominum, potissimùm Gentium. Nunc *in specie* descendit Apostolus ad IVDÆOS, & hos quoque reos peragit peccati, hincq; pœnæ communi subjicere vult. *Διότι*; ut doceat, Justificationem neque Gentibus, neq; Judæis contingere ex Operibus Legis, ut patet ex *Cap.3.19,20.*

Occasio peropportuna ex præcedentibus, quum dixerat *v.12.b. eos, qui peccant cum Lege*, Judæos intellexit, *per Legem damnari.* Itaq; nunc ex professo eos adoritur, & docet, ipsos æquè atque Gentes esse peccatores coram Deo. Id facit

I. *Ἀνασκευαστικῶς*, per refutationem præcipuarum Objectionum & prætextuum Judæorum, hoc *Capite II.v.17. usque ad fin.* & *Cap.III.v.1--8.*

II. *Κατασκευαστικῶς, Cap.III.v.9--18.*

ΑΝΑΣΚΕΥΗ, REFVTATIO IVDÆORVM.

Agit Apostolus Judæorum Accusatorem & Refutatorem, adimendo eis præcipuos prætextus & *καυχήματα*, sive gloriationes. Ingreditur eam Apostolus per particulam *ἴδε, v.17. Ecce*, quanquam quædam exemplaria habeant, *εἰ δὲ, si autem*, ut Vulgat. Sed Lectio prior nititur majori Exemplarium parte, & magìs quadrat Apostoli scopo, quippe, qui hâc particulâ voluit Judæorum aures vellicare, eosque excitare ad Examen suæ hypocriseως.

Sciendum autem, Apostolum suam *Ἀνασκευὴν* reliquo Capite *inchoare*, quam postea Cap.III. *continuat* per Refutationem Instantiarum. Hoc Capite Apostolus occurrit triplici Judæorum gloriationi, *Gentis, Legis* & *Circumcisionis.*

I. Gloriationem Judæorum de sua GENTE 1. *proponit, v.17.a.* 2. sub finem Capitis *refutat, v.28,29.* Gloriatio autem hæc est: *Tu cognominaris Judæus.* Non dicit, *Tu es,* sed, *tu cognominaris.* Respicit enim ad eorum jactantiam, quòd scilicet se jactitent ex familia esse Regia, Filios, inquam, & posteros Judæ, cui olim Regia dignitas fuerat promissa, *Genes.49.10.* Sic alibi Judæi de Patre Abrahamo gloriati, *Matth.3.9. Joh.8.39.*

II. Gloriationem de LEGE ipsis à Deo data Apostolus

ℵ. *Proponit, v.17.b.--20.* alludens procul dubiò ad testimonia vetera Mosis, *Deuter.4.6,7,8.* & Davidis, *Psal.76.1. & 147.19,20.* Dicit ergo *v.17. Acquiescis in Lege,* id est, fiduciam tuam & præstantiam collocas in Lege. Ostendit dehinc, quam Judæi, propter Legem ipsis à Deo datam, jactent prærogativam, videlicet *Sapientiæ. v.17. Gloriaris in Deo,* id est, Dei cognitione: quamvis hoc etiam extendi possit ad Dei electionem & fœdus cum Judæis olim initum. Explicat postea *v.18.* per *exegesin.* Indicat enim Sapientiæ hujus tùm

α. Ὅτι, *quid* & *quomodo* cognoscant. *v.18. Nôsti voluntatem,* scil. Dei ex Lege; *δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα, exploras discrepantia,* scil. à Dei Voluntate & Lege. Sic Beza. Alii interpretantur, cum Vulgat. & Syro, *utilia.* Erasmus, *eximia.*

β. Διότι. *Unde* cognoscant: ex Catechesi seu Institutione Legis: *v.18.b. institutus ex Lege.*

γ. *Effect.* scil. Informationem aliorum. *vers.19.20. Confidis* (ita perstringit Judæorum *καύχησιν* & jactantiam) *te Ducem esse cæcorum, lucem eorum, qui sunt in tenebris,* nempe vel Gentium, vel rudiorum inter ipsos: *παιδευτὴν, eruditorem insipientium: Magistrum Infantium, νηπίων.* Intelligit Infantes non ætate, sed judicio & intelligentiâ, metaphoricè: quales Hebræi vocant *Petaim.* Hos enim LXX. *Psalm.119.130. νηπίους* interpretantur. Sic *Matth.11.25. Rationem* subdit, quòd videantur sibi *habere τὴν μόρφωσιν, informationem cognitionis ac Veritatis in Lege.* Videtur digitum intendere in Judæorum primores, Sacerdotes, Scribas, Pharisæos, tanquam reliquorum *παιδευτὰς* & Aristarchos, Corycæos.

ב. *Refutat,* damnans eam *Vanitatis, v.21,22,23.* Summa est: hanc gloriationem Judæis non solùm non prodesse, aut servire ipsorum excusationi, sed multùm obesse: quia Legem, quam habeant, nôrint, doceant, non observent, sed suâ prævaricatione, tùm sibi, tùm Deo contu-

contumeliam & opprobrium accersant. Argumentum huc redit.

Frustrà illi gloriantur de Lege, ejus videlicet cognitione, confessione & doctrinâ, qui ipsimet sunt maximi Legis transgressores. Nimirum

Turpe est Doctori, cùm culpa redarguit ipsum.

Atqui vos Judæi tales transgressores estis.

Ergo, &c.

Minorem Apostolus *proponit* per ἐπιτίμησιν & exprobrationem, & quidem ἐρωτηματικῶς, ut Judæos magis in ruborem det, *v. 21. Qui igitur doces alium, te-ipsum non doces? Confirmat* dehinc ex Transgressionis tùm

1. *Speciebus*, per Inductionem, arguens eos prævaricationis Tabulæ Legis tùm

α. *Secunda*, de Furto & Adulterio, *v. 21, 22. Qui prædicas, non furandum, furaris? Qui dicis, non mœchandum, mœcharis?* Pungit heic Judæorum, Hypocritarum potissimùm, (quales fuerāt Pharisæi, omnē sanctitatem in externa tantùm mandatorū obedientia collocantium) corda, plena avaritiæ & impuritatis: eâdem nimirum usus invectivâ, quâ Christus passim, inprimis *Matth. 23.*

β. *Prima*, de Dei Cultu, *v. 22. b. Qui abominaris idola, sacrilegium admittis?* Judæi equidem tùm temporis Idola atq; Imagines fuerant detestati, uti etiamnūm. Et meritò: quia sub nullo prætextu Imago Dei vel veri, vel falsi, erigi potest, sive demùm ad cultum prostet, sive non; quæ non redundet ad Dei contumeliam: qua de causa Deus expresse non solùm Idololatriæ, sed & τῇ εἰκονοπλαστίᾳ interdixit Præcepto 2. Decalogi, *Exod. 20. 4.* & alibi, *Deut. 4. 15. &c. Jes. 40. 8. &c. & 44. 12. &c. Act. 17. 29.* & tamen Imagines non solùm Pontificiis, sed & cōpluribus Papatus desertoribus etiamnum sunt in summis delitiis: quos Judaica Gens olim suo exemplo judicabit, quam major pars Christiani Orbis summo percellit scandalo. Sed an propterea Judæi erunt ex prima Legis Tabula ἀνεπίληπτοι, quibus Apostolus heic Sacrilegium objicit,

jicit, Idololatriæ affine scelus; sed & Christus Servator, quando cōquestus fuit, Judæos Templum ceu Domum Dei in speluncam latronum convertisse? *Matth.21.* Adulterârunt doctrinam Legis & Prophetarum, profanârunt verum Dei cultum suis traditionibus, per Simoniam involârunt in Sacerdotia, precibus, Nomine Dei & Religione abusi fuerunt ad rapinam & direptionem, &c. *Matth.23.13.*

2. *Effectus*, videlicet Contumelia Deo, tanquam Legislatori & benefactori, illata tùm

α. *Immediatè* ab ipsis *Judæis, v.23. Qui de Lege gloriaris, per Legis transgressionem Deum dedecoras?*

β. *Mediatè* per *Gentes*, quæ ex scandalis, à Judæis ipsis datis per Legis transgressionem, occasionem arripuerunt blasphemandi Nomen veri Dei: quod Apostolus confirmat testimoniis Prophetarum, *v.24. Nam Dei Nomen propter vos blasphematur in Gentibus, sicut scriptum est.* Alludit ad loca *Jesa.52.5. Jugiter Nomen meum irritatur. Ezechiel.36.22,23. Sic ait Dominus Jehovi: Non propter vos ego facturus sum, ô domus Israëlis, sed propter Nomen sanctitatis meæ, quod profanâstis apud Gentes, quò venistis, &c.*

III. Gloriationem de CIRCUMCISIONE, sub qua synecdochicè comprehenditur *Cultus externus* reliquus, ipsumque *Dei Fœdus*, cujus *Circumcisio* fuit signaculum *διακριτικόν*, seu discretivum Judæorum à Gentibus. Argumentum est hoc:

Quicunque habent Circumcisionem, illi Gentibus peccatoribus & maledictis non sunt accensendi, minùs æquiparādi.
Atqui nos Circumcisionem habemus.
Ergo Gentibus peccatoribus & maledictis non sumus æquiparandi.

Majoris probatio. 1. Quia, qui habent Circumcisionem, sunt in Fœdere Dei, cùm Circumcisio sit Fœderis signum. *Gen.17.10,11.* 2. Quia hoc ipso signo Judæi fuerunt à Gentibus aliis segregati, unde etiam discrimen nominum, ut *Judæi* dicti fuerint *circumcisi*; *Gentes* autem *præputiatæ*. 3. Circumcisio est pars Legis & Cultus Divini in Lege præscripti. Ergo qui circumciduntur, sunt Legis observantes.

Respondet Paulus, non negando Circumcisionem, sed præposteram,

ram, quam Judæi ex *Circumcisione*, & per consequens *Judaismo*, nexuerunt Consequentiam. Infirmat eam per *Distinctionem* geminam,

α. *Circumcisionis* fructuosæ & infructuosæ. Neque enim simpliciter vult cōcedere, Circumcisionē prodesse, sed tantùm κατά τι, si videlicet Lex servetur, cujus observatio est finis Circumcisionis. Observ. heic,

a. *Thesis* Apostoli, *v.25. Circumcisio quidem prodest, si Legem observes.* Tacitè subsumit: Atqui Legem non observatis. Ergo inutilis est vobis Circumcisio, & vana in Lege gloriatio.

b. *Confirmatio* theseωs.

1. Quia transgressio Legis æquiparat Gentilem præputiatum Judæo circumciso, ut hic illo non sit habendus melior. *v.25.b. Quòd si transgressor Legis fueris, Circumcisio tua facta est præputium*, id est, similis præputio, nec meliore & digniore loco habenda.

2. Quia (è contrario) observatio Legis ex præputio facit Circumcisionem, id est, ex Gentili Judæum: sive, facit, ut Gentilis præputiatus eodem apud Deum loco habeatur, quo Judæus circumcisus. *v.26. Itaque si præputium* (intelligit metonymicè Gentilem præputiatum) jura Legis observet, non'ne præputium illius pro Circumcisione reputabitur?

3. Hinc tertium colligit, quòd præputium, sive Gentilis, Legis observans, sit condemnaturus Judæum circumcisum in Dei judicio. *v.27. Et quod est ex natura præputium, si Legem servet, damnabit te, qui per literam* (intelligit externam & hypocriticam observantiam Legis) *& circumcisionem es transgressor Legis?* Sensus est, Gentiles, Legis observantes, exemplo suo Judæos, Legis prævaricatores, damnationis reos convincent, tanquam meliores illis. quo sensu alibi Apostolus de Sanctis dicit, quòd sint judicaturi Mundum, *1.Cor.6.2. Heb.11.7.*

β. *Judaismi*, qui à *Circumcisione* pendet, *v.28,29.* Heic demùm Apostolus, uti suprà num. I. de *Gloriatione Gentis*, dictum, cristas adimit Judæis, quas sibi sumpserant ex nomine & nobilitate sui stemmatis, uti dixerat *v.17. Ecce tu cognominaris Ju-*

dam. Redit autem hæc Diſtinctio eódem cum priore. Diſtinguit enim Apoſtolus *Judæum* & *Circumciſionem* in *externam* & *internam*.

1. De *externa* agit *v.28. Non enim, qui eſt* ἐν τῷ φανερῷ, *in propatulo*, (Judæus) ſive extrinſecùs, κατὰ δόξαν & apparentiam, *Judæus eſt*, ſcilicet ὄντως, re, & ἀληθῶς, verè: *nec ea, quæ eſt in propatulo* (Circumciſio ſcil.) *in carne, Circumciſio eſt*, nempe vera, Deo grata & acceptabilis.
2. De *interna* agit *v.29. Sed qui in occulto Judæus* eſt, & *Circumciſio Cordis*, quæ fit *in Spiritu, non literâ.* Probat à judicio Dei omniſcio & ἀπροσωπολήπτῳ, cùm Deus non judicet more Hominum, *v.29.b. cujus laus non* eſt *ex Hominibus, ſed ex Deo.*

QVÆSTIONES.

Quæſt. I. Quo ſenſu Paulus *v.24.* ex citatis locis, *Jeſa.52.5.* & *Ezech.36.22,23.* dicat, *Nomen Dei propter Judæos blaſphemari in Gentibus?*

Reſp. Apud *Ezechielem* manifeſta habetur exprobratio, quâ objicitur Judæis, quòd Gentibus, inter quas fuerant diſperſæ, occaſionem præbuerint ſceleratâ ſuâ Vitâ Nomen Dei blaſphemandi: adeò ut cauſa liberationis, ſive reductionis ex captivitate, non ſit quærenda in ipſis, eorum, inquam, innocentiâ aut meritis; ſed in ſolo Deo, videlicet zelo tuendæ gloriæ Nominis ſui contra Gentium blaſphemias. Apud *Jeſaiam* verò non quidem occurrant verba illa, *propter Vos*, quæ Paulus *v.24.* ex Verſ. LXX. Interpretum, tanquam tunc Judæis in toto Orbe diſperſis notâ & uſitatâ, allegat: aſt tacitè ſubintelliguntur. Cur enim dicitur *Nomen Dei* à Babyloniis, qui Judæos in captivitatem abduxerant, *irritatum?* Nimirùm, quia inſultando Judæis, tanquam Dei populo, *Pſal.137. v.8.* Deum, cujus cultum illi jactabant, probro affecerunt, ut qui Populi ſcelerati Deus hactenus fuiſſet, nec potuiſſet, vel etiamnum poſſet, Populū ſuum liberare e manu Babyloniorum: adeóq; fruſtrà Judæi liberationem ex pacto & fœdere Dei cum ipſis inito exſpectarent?

Quæſt. II. Cur dicatur Circumciſio prodeſſe ſub conditione obſervantiæ Legis, quâ remotâ Circumciſio facta ſit præputium? *v.25. Rat. quærendi:* quia obſervatio Legis in utroq; Veteri & Novo Teſtamento fuit impoſſibilis: hincq; videri poſſit Circumciſio non ſolùm in Novo, ſed & in Veteri Teſtamento fuiſſe inutilis: quod perabſurdum.

Reſp. 1. Paulus loquitur ex hypotheſi Judæorum, qui contra ſcopum & intentionem Dei, Circumciſionem præcipientis, juſtificari voluerunt per Circumciſionē, & ſalutem ſuam tantùm in externa præputii abſciſſione poſuerunt, minimum ſolliciti de circumciſione Cordis. 2. Neq; tamen Circumciſio in Veteri Teſtamento propterea fuit fruſtranea, ſed fuit ipſis argumentum peccati originalis, ſignaculum Circumciſionis ſpiritualis, monitorium obſervantiæ Legis, & pædagogus ad Chriſtum, *Gal.3.24.* in quo perfectam Legis obedientiam & ſatisfactionem pro peccatis ipſis adumbrabat. 3. Nunc in Novo Teſtamento prorſus inutilis eſt, tanquam in Chriſto conſummata, per ejus meritum abrogata, adeò ut Circumciſio nunc nihil ſit, *1.Cor.7.19.* & Judæi per eam à Chriſto & Gratia ſemet-ipſos excludant, *Gal.5.4.*

Quæſt.

Quæst. III. An Gentes, quæ Legem non habent, utì suprà dixit Paulus. *v.* 14. possint tamen Legem observare? *Rat.* quia *v.* 26. & 27. dicit: *Præputium* (sive Gentilem) *Legem observans reputari pro Circumcisione, & damnaturum Judæum circumcisum?*

Resp. 1. Loquitur Paulus non absolutè, sed hypotheticè, hoc sensu: Si contingeret, ut præputiatus Gentilis servaret Legem, æquipararetur Judæo circumciso, quia nimirum Judæi suam justitiam & prærogativam præ Gentibus, tantùm in externa Carnis circumcisione collocabant. 2. Paulus fideles incircumcisos ex Gentibus, Legis interim non quidem, vel per vires proprias, vel perfectè; attamen per Dei gratiam sincero corde observantes: vult opponere circumcisis Judæis, qui tùm temporis Gentibus incircumcisis, ad Christum licet conversis, insultabant propter τὴν ἀκροβυστίαν.

Quæst. IV. Quid sibi velit ἀντίθεσις γράμματος καὶ πνεύματος, *litera & spiritus, v.* 27. & 29.?

Resp. 1. Γράμμα oppositum πνεύματι Paulo denotat externam Legis observantiam, & quidem [NB.] separatim aut abstractè consideratam, absque interna, in qua justitiam quærebant Judæi: per allusionem ad Legem Dei olim scriptam in Tabulis lapideis. Ast per Synecdochen traducit hanc vocem ad Circumcisionem externam Carnis. 2. Hinc πνεῦμα ei est circumcisio interna Cordis & sincera Legis observatio. 3. Alibi Legem quoque vocat *literam*, & quidem *occidentem*, in respectu abstractivo & opposito ad Evangelium, 2. *Cor.* 3. 6.

CAPVT III.

CAPITIS hujus partes sunt duæ.

I. *Primà* continuatur Disputatio Apostoli de Statu ἁμαρτωλῶν IVDÆORVM.

II. *Alterà* ingreditur Apostolus *Doctrinam* καταφατικὴν *de Justificatione Hominis per fidem*, utì suprà monitum *pag.* 27.

PARS I. CAPITIS.

Pertexitur ea à *vers.* 1.--20. & agitur de Judæorum tùm *Reatu*, tùm *Pœna*, sicut etiam suprà de Gentium *reatu* & *pœna* egerat.

A. *De IVDÆORVM Reatu.*

Cœperat Apostolus Capite præcedente retundere triplicem Judæorum gloriationem, quâ è communi omnium Hominum Reatu se exemptos volebant: dum jactabant, *Gentem* suam, *Legem* & *Circumcisionem*. Indicavit tandem, ista omnia, quatenùs subsistunt in sola *litera*, & destituuntur *spiritu*, adeò Judæis non prodesse, ut Gentes incircumcisæ, si Legis sint observantes, ipsis sint præferendæ. Nunc pergit Apostolus ad diluendas nonnullas Judæorum *Instantias*.

Instant. I. habetur *v.1. Quæ est igitur præstantia Judæi, aut quæ utilitas Circumcisionis?* Sensus est:

Si ita se res habet, ut dicis, inutilis erit Judaismus & Circumcisio, & nullum erit discrimem Judęorū & Gentium.
Atqui posterius hoc absurdum est.
Ergo & prius.

Respondet Apostolus *v. 2. Multa per omnem modum. Primarium enim illud est, quòd eis credita sint τὰ λόγια τῦ Θεῦ, eloquia Dei.* Negat ergo consequentiam, & indicat, Judæos habere adhuc præ Gentibus magna multaq; privilegia & prærogativas. Infrà *Cap.9.* uberiùs eas exequitur. Hoc loco unius meminit privilegii, quod vocat *primarium*, aut palmarium, *quòd eis credita sint Eloquia Dei.*

Observ. 1. per τὰ λόγια τῦ Θεῦ intelligi Oracula Divina in Verbo ipsis patefacta, quibus Deus discrevit Judæos à Gentibus, *Deut.4.v.6,7,8.* nempe doctrina non solum *Legis*, sed & *Fœderis Dei*, cum Judæis initi, & *Promissionum Evangelicarum*, quibus passim scripta Prophetarum personant.

Observ. 2. Quòd dicantur *hæc Dei eloquia Judæis credita fuisse:* quo ipso Apostolus insinuare vult, hoc ipsum privilegium, διακριτικὸν Judæorum & Gentium, esse gratuitum Dei donum, non verò meritorium aliquod aut mercenarium debitum.

Instant. II. Quia Judæorum major pars propter suam infidelitatem se hoc privilegio indignam reddidit, potuisset quis excipere:

Frustraneum est eorum privilegium, qui habent eloquia Dei & fœdus, quo ipsi exciderunt per infidelitatem.
Atqui tales sunt Judæi. Habentes enim Legem, eam non servant, ut *Cap.præced.* monitum: habentes Fœdus, fœdifragi evaserunt.
Ergo frustraneum est prorsus hoc privilegium, adeóq; nulla Judæorum præcellentia.

Responsio Pauli habetur *v.3,4. Quid tùm enim, si infidi fuerunt quidam? Num ipsorum infidelitas Fidem Dei cassam reddet? Absit. imò esto Deus verax, omnis autem Homo mendax, sicut scriptum est: ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, quando tu judicas.*

Summa est. 1. Non omnes esse incredulos, sed quosdam: noluit dicere majorem partem, mitigandam acerbitatem. Hoc verò infrà

infrà *Cap.11.* fusiùs exequitur, distinguendo inter reprobos & electas reliquias Judaicæ Gentis. Hinc vult inferre prærogativam Judæorum perstare adhuc in Electis. 2. Infidelitatem reliquorum non abolere fidem Dei, id est, non reddere prorsus Fœdus Dei & promissiones inanes.

Confirmationem subdit ex gemino Scripturæ loco.

Primò ex *Psal.116.11. Omnis Homo est mendax.* Ex ἀντιθέσει Hominis & Dei vult evincere, Deum esse veracem.

Secundò ex *Psal.51.6. Ut justificeris in sermonibus tuis*, & *purus sis, quando tu judicas.* Quia graviter peccaverat David, vult hoc loco indicare, quicquid in se duriùs statuat, justum mansurum Judicem, & omnes impiorum latratus, qui justitiæ ejus se opponere velint, superaturum. Sed & si ejus iterùm sit miserturus, justum fore, quia suæ erga ipsum promissionis sit recordaturus, adeò ut scelera sua fidem Dei non sint evacuatura. Accommodat hæc verba Paulus ad rem præsentem, & indicat, Judæorum perfidiâ Dei sermones evacuari non potuisse. Quando ergo quorundam perfidiam vindicat suis judiciis, justum se & veracem declaravit in suis comminationibus: quando quorundam misertus est, quos scilicet ad fidem perduxit & servavit, justum sive veracem se declaravit in suis promissionibus. Hinc emergit:

Instant. III. quæ proponitur *v.5. Quòd si injustitia nostra Dei justitiam commendat, quid dicemus? Num injustus Deus, qui inferat pœnam?* Addit Apostolus παρενθετικῶς: *Humano more loquor*, ut innuat, non ex suo sensu se loqui, sed ex sensu carnali Hominum mundanorum. Sic enim quis regerere potuisset:

Si Dei fides non tantùm permaneat, quùm Homo τῇ ἀπιστίᾳ peccat, sed & illustrior reddatur: tunc sequitur, Deum nullo jure irasci posse peccatoribus & infidelibus. *Rat.* Quia injusta esse videtur ira erga illum, qui gloriam Dei ejusque justitiam promovet: secùs enim Deus sibi & gloriæ suæ esset contrarius.

Atqui Dei fides non solùm permanet, quùm Homo peccat, sed & illustrior redditur, uti tu protulisti ex Davide, cujus peccatum adeò Dei fidem non potuit abolere, ut potiùs inde illustrior fuerit reddita.

Ergo Deus nullo jure poteſt iraſci peccatoribus & infidelibus.

Reſponſ. Paulus ſimpliciter *negat* ſumpti conſequentiam, *v.6. Abſit.* & juſtitiam Dei *confirmat* ex Dei *officio* & poteſtate judiciaria, *ibid. alioquin quomodo Judex erit Deus Mundi?* q.d. Falſa eſt & impia conſequentia: quaſi nimirùm propter dictam cauſam vel delectaretur injuſtitiâ Hominum; vel injuſtè ipſis iraſceretur. Nam Judicium ultimum demùm patefaciet, Deum juſtè iraſci.

Hujus Reſponſionis veritas & certitudo inde patet: quia Hominum *ἀπιστία* & *ἀδικία* Dei *πίστιν* & *δικαιοσύνην* commendat non *per ſe*, ſed *per accidens* tantùm, non *cauſaliter*, ſed *occaſionaliter*. *Per ſe* enim eſt juſtitiæ Dei contraria: *per accidens* autē, ſcilicet interveniente Dei ſapientiâ & miſericordiâ, ſervit illuſtrandæ fidei Dei. Naſcitur autem hinc iterum

Inſtant. IV. in idem recidens cum priore, habens tamen aliquod additamentum, *v.7,8. Etenim ſi veritas Dei per meum mendacium redundavit in gloriam ipſius, cur ampliùs ego ut peccator condemnor? Ac non (ſicut de nobis male loquuntur, & ſicut quidam ajunt nos dicere) faciamus mala, ut eveniant bona?* Summa huc redit:

Si verum eſt, quod dicis, *Veritatem Dei*, ſive fidem, *glorioſiorem reddi noſtro mendacio* aut perfidiâ: tunc ſequitur, Peccatores non ſolùm injuſtè judicari, & à Deo tanquam Judice Mundi condemnatum iri, utì dixiſti: ſed potiùs jure & licitè peccatis indulgeri poſſe, nempe, ut habeat Deus occaſionem patefaciendæ ſuæ gloriæ.

Atqui verum eſt juxta te antecedens.

Ergo verum quoque eſt conſequens.

Reſponſionis loco Paulus ſubdit: *quorum damnatio juſta eſt.* Indignum ratus ſophiſma reſponſione multâ, & ſatìs ducens, 1. ſimpliciter id recitare. 2. Blaſphemiæ tacitè accuſare antagoniſtas. 3. Judicium æternum & juſtum ipſis denunciare. quid autem reſpondendum veniat, jam commonefactum. Non ſequitur, mihi eſſe peccandum, ut Deus meo peccato abutatur ad patefactionem ſuæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis: utì non ſequitur, ſi poſt oſſifragium aliquod Corporis mei Chirurgus in ejuſdem redintegratione ſuam induſtriam & fidelitatem patefecit; denuò me & petulanter illi periculo exponere debere.

Hactenus Ἀνασκευὴ, Refutatio Objectionum, quibus Judæi ſe à communi Reatu Generis Humani exemptos voluerunt.

ΚΑΤΑΣΚΕΥΗ, CONFIRMATATIO REATVS IVDÆORVM.

ΚΑΤΑΣΚΕΥΗ sequitur, quâ Paulus confirmat, Judæos eodem cum reliquis Gentibus Reatu teneri, *v.9.& seqq.* Occurrit

I. *Propositio*, quæ instituitur tùm

1. Ἐρωτηματικῶς, per *Interrogationem, v.9. Quid igitur? præcellimus?*
2. Ἀποφατικῶς, per *Responsionem*, absolutè negativam. *Ibid.b.Nullo modo.*

II. *Confirmatio.* Probationes arcessuntur

א. Ex *præcedenti* cum Judæis habita Disputatione, quâ Apostolus & Gentibus & Judæis omnem excusationem præripuit. Ideò dicit *v.9.c. Nam antè criminati sumus, & Judæos & Græcos omnes esse sub peccato.*

ב. Ex *novo*, ut sic dicam, armamentario, videl. Scriptura Sacra, Sicut enim disputaverat cum *Gentibus*, Scripturâ carentibus, ex Lege non scripta, & effectis: ita nunc cum *Judæis* congreditur ex Scriptura, propterea, quia ipsis, uti dixerat *vers.2.* τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ *fuerunt credita.* Cumulat itaque varia Scripturæ testimonia, ex Psalmis & Prophetis, quibus simul roboratur αὐθεντία & πανοπλία Scripturæ S. ut evincat, omnes Homines, nullo excepto, Judæos pariter atque Gentiles, esse peccatores. *Testimonia* hæc cōfirmant omniū Hominum Reatum, tùm

α. *In genere, v.10. Sicut scriptum est: Non est justus, ne unus quidem.* Respicitur ad *Psal.14 3. Non est faciens bonum, non vel unus.*

β. *In specie* ostendunt corruptionis communis tùm

a. *Gradus*, quoad Hominum omnium & singulorum

1. *Intellectum, v.11. Non est qui intelligat.* iterum ex *Psal.14.2. & 53.3.* Sic alibi, *1.Corinth.2.14. Tit.3.3.* ἀνόητοι. De *Gentibus* id patuit suprà ex *Cap.1 vers. 21,22.* de *Judæis* notū, quid ipsis fuerit denunciatum *Jesa.6.10. & 29.11,12:* atq; in ipsis impletum, *2.Cor.3.14. Rom.11.8,9,10.*
2. *Voluntatem. v.11.b. Non est qui exquirat Deum*, videlicet voluntate & desiderio Cordis sui. & *v.12. omnes deflexerunt*, scilicet per aversionem

Cordis

Cordis sui à Deo. Iterum ex *Psal.14.2,3. Non est requirens Deum, unusquisq; recessit.* Sic *Genes.6.5.& 8.21.*

3. *Vires omnes. v.12.b.Simul inutiles facti sunt*, ex *Psal.14.3.* ubi habetur in Hebr. *computruerunt*, aut, *pariter putridi facti sunt*, similitudine desumptâ ab arboribus putridis: ut sic insinuetur omnis ἀδυναμία ad bonum.

4. *Linguam* & *sermonem. v.13.Sepulcrum apertum guttur eorum, linguis suis ad dolum usi sunt, venenum aspidum sub labiis eorum.* Ex *Psal.5.10. & 140.4.Venenum ptyados subest labiis eorum.* Porrò *v.14* ex *Psal 10.7. Quorum os diris & amarulentiâ plenum est.* Observ. inter alia gemina similitudo:

   α. *Sepulcri patentis*, cui Os impiorum assimilatur, quia plenum est sordibus & fœtore blasphemiæ, obtrectationis, fraudulentiæ, mendacii; piorum ruina & præcipitium, nec satiatur aliorum infamiâ.

   β. *Aspidis*, cui iterum lingua impiorum assimilatur propter venenum blasphemiæ, execrationis, sycophantiæ, & maledicentiæ, quod in Deum & Homines alios ejaculatur, ad eos perdendos. sicut de *Ptyade* scribitur, quòd venenum suum procul exspuat, tantâ cum pernicie, ut læsis nullum sit remedium, nisi per amputationem partis læsæ.

5. *Opus* seu *Actionem*, videlicet tùm *Omissionem boni, v.12.b. Non est, qui faciat, quod bonum est, non est usq; ad unum*: tùm *Commissionem mali, v.15. veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. v.16. contritio & calamitas in viis eorum. v.17. & viam pacis non agnoverunt.* Ex *Jes.cap.59.v.7,8.* Depingit sic eorum hostilitatem, sævitiam, violentam oppressionem innocentum, turbas, quas excitant in Ecclesia, Repub. & omnis generis Ordinibus.

b. *Originem*, videlicet impietatem seu defectum timoris Dei, *v.18.* ex *Psal.36.2.Non est timor Dei coram oculis eorum.* Hic fons est omnium aliorum scelerum. Qui enim Deum non timent, quomodo timebunt Homines? & quomodo timore omni Dei excusso non ruent in omne scelus?

Hactenus de IVDÆORVM *Reatu, tùm ἀνυποδικαιῶς, tùm κατ᾽ ὑποδικαστικῶς. Sequitur nunc*

B. *De*

B. *De IUDAEORUM Pœna ex Reatu.*

Agitur de ea *v.19 20.* Confideranda veniunt duo.

I. *Universalitas* POENÆ, cui Judæi æque atq; Gentes obnoxii sunt. *v.19. Scimus autem, quæcunq; Lex dicit, iis qui in Lege sunt dicere: ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus Mundus condemnationi Dei.* Nimirum sicut suprà *Cap.II.v.2,3 5.&c.* ostendit, Gentes propter peccata obnoxias esse iræ & judicio Dei, idq; vi Justitiæ Dei, cujus sit, bonos remunerari, & malos punire; ita nunc id ipsum asseverat de Judæis: idque ideò, quia Judæi æquè sint peccatores atque Gentes, videlicet Legis transgressores. Argumentum Apostoli hoc est:

Qui ex Lege convincuntur esse peccatores, illi tenentur judicio Dei. *Rat.* Quia Lex non solùm prohibet peccata, sed & interminatur pœnam, *Deut.27.26.*

Atqui non solùm Gentes, sed & Judæi ex Lege convincuntur esse peccatores. Hoc enim Paulus novissimè probatum dedit ex Psalmis & Prophetis.

Ergo non solùm Gentes, sed & Judæi tenentur judicio Dei.

Quia autem Judæi potuissent excipere cōtra Minorem propositionem, loca illa citata non ferire ipsos, sed sceleratos inter Gentes, vult Paulus tacitæ objectioni hâc ὑποφορᾷ occurrere, *v.19. Scimus autē, quæ Lex dicit, iis qui in Lege sunt dicere.* Syllogismus hic esto:

Quæcunque Lex dicit, ea dicit iis, qui sunt sub Lege.

Dicit autem Lex, omnes ad unum esse inutiles peccatores.

Ergo dicit iis, qui sunt sub Lege. Subsume:

Atqui vos Judæi estis sub Lege, quippe qui de Lege gloriamini.

Ergo dicit hoc vobis, & per consequens per Legem obnoxii reddimini, unà cum reliquo toto Mundo, judicio & condemnationi Dei.

II. *Conclusio generalis* totius Disputationis ἀποφαντικῆς de Justificatione, in qua Paulus hactenus à *vers.18.Cap.1.* contenderat, Hominem non justificari coram Deo ex operibus, aut per justitiam propriam, *vers.20. Propterea ex operibus Legis nulla caro justificabitur in conspectu ejus. Per Legem enim agnitio peccati.* Observetur heic,

α. *Thesis* Apostolica: *Nulla caro ex operibus Legis justificatur in conspectu Dei.* Eadem occurrit *Gal.2.16.* Alludit Apostolus ad locum *Psal.143.2. Ne congrediaris judicio cum servo tuo: nam non esset justus coram te ullus vivens.*

1. *Carnis* nomine intelligit, pro more Scripturæ, integrum Hominem. *Genes. 6.12,13. Jesa. 40.5. Joël. 2.28. Job. 1.14. Act. 2.17. Rom. 3.20.* & alibi. *emphaticè* tamē, ad connotandam Hominis nativam corruptionem, uti alibi quoq; *Genes. 6.3.* quo sensu Homo irregenitus à Paulo dicitur *animalis*, oppositè ad *spiritualem, 1. Corinth. 2.14,15.* imò Paulus se-ipsum respectu imperfectæ suæ regenerationis, & reliquiarū peccati, vocat *Carnalem, Rom. 7.14.* *Omnis Carnis* facit mentionem, ut tollat discrimen Judæorum & Gentium, & ostendat utrorumque in hac causa paritatem.

2. Per *Opera Legis* intelligit Opera in Lege præcepta, eaque non tantùm ceremonialia, sed & moralia. *Rat.* α. Quia nullum facit discrimen. β. Quia longè facilior est Justificatio ex operibus ceremonialibus, tanquam externis, quàm ex moralibus. *Rom. 7.14.* γ. Conclusio Pauli non valeret. Nam si tantùm ceremoniis Paulus derogaret Justificationē, Judæi possent adhuc obtendere prætextum Justificationis ex Lege morali.

3. *Justificationis* vocem sumit, uti passim in Scriptura, sensu forensi, quo significat absolutionem & justi pronunciationem seu declarationem: idque non coram Hominibus, sed in conspectu Dei, sive coram ejus Tribunali.

β. Αἰτιολογία ab *usu* & *fine* Legis. *Per Legem enim agnitio peccati. v. 20. b.*

Argumentum est:

Per quod patefit peccatum seu transgressio Legis, per illud nemo justificatur. *Rat.* Quia patefactio peccati in se complectitur accusationem & cōdemnationem, Justificationi contrariam.

Atqui per Legem patefit peccatum seu transgressio. Nam ex ea tùm Gentes, tùm Judæi arguuntur esse peccatores, dum Legem transgrediuntur.

Ergo per Legem nec Judæi, nec Gentes justificantur.

QVÆSTIONES.

Quæst. I. Cur Paulus dicat *vers. 3. Hominum infidelitatem non cassam reddere fidem Dei? Rat. dub.* 1. Quia infideles hac ratione participes fierent promissionum Dei. Atqui Judæi postea *Rom. 11.17,20.* dicuntur *effracti propter incredulitatem.* 2. Quia *sine Fide Deo nemo potest placere: Heb. 11.6.* imò, *qui non credit, jam est judicatus. Joh. 3.18.*

Resp. 1. Paulus hoc voluit intellectum indefinite de Corpore Gentis Judaicæ quòd, licet majoris partis infidelitas se gratiâ indignam reddiderit, tamen Dei fides non

prior-

prorsus exciderit. *Rat.* Quia Deus Fœderis & promissionum suarum memor, servavit sibi in ea Gente electas reliquias: quæ tamen non fuerunt servatæ per infidelitatem, sed à Deo per singularem ejus misericordiam ad fidem perductæ, & sic servatæ. In exemplum se sistit ipse Paulus *Rom.*11.1.& alibi.1.*Tim.*1.*v.*12.*& seqq.* 2. Itaque Fœderis Dei firmitas non quærenda aut spectanda in Reprobis, qui ad Fœdus non pertinent; sed in Electis, qui etsi nondum credant, tamen suo tempore ad fidem perducuntur.

Quæst. II. Cur *vers.*4. ex *Psal.*116.11. *omnis Homo* pronuncietur *mendax, & Deus* solus *verax*: cùm multi Homines sint veritatis studiosi? Exemplo est ipse Paulus.*Rom.*9.1.

Resp. Paulus loquitur *συγκριτικῶς*, in comparatione Hominis cum Deo, cujus respectu omnis Homo mendax est, nempe per naturæ corruptionem & proclivitatem ad mentiendum. Hinc 1. etiamsi actu non mentiatur, tamen connatam habet inclinationem ad mentiendum. 2. Si veritatem loquatur, id non habet à natura, sed à gratia. 3. Et tamen, nisi à gratia sustentaretur, ad mendacium iterum prolaberetur. Quia ne ipsi quidem Angeli boni in veritate persisterent, nisi per gratiam perseverantiæ in ea retinerentur. *Job.*4.18. *Etiam Angelis suis Deus non crederet firmitatem:* cùm sciamus, magnam Angelorum partem in Veritate non perstitisse. *Johan.*8.44. *Jud.vers.*6.

Quæst. III. An non Paulus videatur præposterè *vers.*4.allegâsse locum *Psal.* 51.6.? *Rat.dub.* Quia Paulus hoc dicto videtur probare velle, Dei fidem in promissionibus non posse inanem reddi per Hominum perfidiam. Atqui David *dicto loco*, post confessionem peccatorum à se editam, Dei fidem & æquitatem prædicat in comminationibus & judiciis. Ut sensus sit: Fateor me gravem peccatorem, adeo ut hoc nomine me justè reprehendas per tuum Prophetam, & judicia tua, quæ mihi denuncias & exequeris, justa sint.

Resp. Pauli scopus est in hoc Parallelismo ostendere, Dei Fidem non posse inanem reddi per Hominum mendacium & perfidiam, sive demùm ea deprehendatur apud pœnitentes, sive impœnitentes. David ad se, ceu pœnitentem, accommodat ista verba; *ut justificeris in sermonibus tuis*: quia nimirùm confessione suorum peccatorum illustravit Dei justitiam. Paulus autem adhibuit hunc locum ad dicti sui confirmationem *per comparationem tacitam minoris* (verba sunt Francisci Junii) *in hunc modum: Si credentes, dum peccata sua confitentur Domino, profitentur Justitiam & puritatem illius, eamq́ supra res omnes creatas asserunt; quantò magis, obsecro, veritas, justitia, & invicta Dei puritas illustratur, si cum incredulorum mendacio & impietate comparetur? Quin imò incredulitas illorum ad asserendam Dei justitiam & veritatem facit, quia Deus non tantùm judex est apud eos, qui confitentur peccata sua, verùm etiam apud incredulos vincit, & omnibus modis vindicat justitiam suam.*

Quæst. IV. Quo sensu à Paulo Deo passivè tribuatur Justificatio ab Hominibus. *vers.*4.

Resp. Non quasi Deus Justitiæ *ἀξίωμα* ab Hominibus acciperet, qui ab æterno & à se justus est, imò Justitia ipsa: sed justificari dicitur, quando ab Hominibus justus esse agnoscitur & declaratur: quo sensu etiam *Matth.*11.19. dicitur *Sapientia à Filiis suis justificari.* Jacobus eodem sensu *Cap.*2.*v.*24. dicit, *Hominem justificari ex Operibus:* quia ex Operibus bonis, tanquam testimoniis fidei veræ, coram Hominibus justus esse agnoscitur & declaratur. 2. Quanquàm dici potest, Paulum loqui non tàm de Justificatione Dei ab Hominibus, quàm de Justificatione, quâ se Deus ipse justum erga Homines peccatores declarat per sua judicia.

Quæst. V. Cur absolutè Judæis prærogativa negetur ab Apostolo *vers.*9. *Præcellimus? nullo modo*: cum tamen *vers.*1.& 2. videatur contrarium pronunciâsse: *Quæ est igitur præstantia Judæi?* Multa per omnem modum.

Resp. Est tantùm ἐναντιοφανὴς. 1. *Versus* 9. intelligendus de Judæis in causa Justificationis coram Deo, in qua nullam habuerunt prærogativam præ Gentibus, propter communem utrorumque reatum. *Versus* autem 1.& 2. accipiendus de prærogativa externa Legis & Circumcisionis: 2. & quidem obtentâ per solam Dei *dignationem*, non per Judæorum *dignitatem*.

Quæst. VI. Cur *vers.*9. ex præcedentibus per illationem aliquam, quam arguit particula οὖν, eliciatur quæstio; cùm contrarium videatur colligi posse?

Resp. Rectè Quæstio illa attexitur: quia Paulus non solùm fecerat mentionem Oraculorum & Fidei Dei, sed & infidelitatis Judæorum, ac indicavit, quicquid haberent privilegii præ Gentibus, non pendere, uti modò dixi, ab ipsorum dignitate, sed à Dei solius indebita gratia, qui, Judæis non credentibus, tamen fidei, i.e. Veritati suæ fecerit locum. Itaque non habere, quòd glorientur de se ipsis, sed de Deo tantùm.

Quæst. VII. Cur *vers.*10. nullus Hominum justus esse dicatur, cùm in Scriptura multi *Justitiæ* nomine commendentur, v.g. Noë, Loth, Job, David, Joseph, alii?

Resp. Paulus loquitur de Justitia congenita, quâ omnes Homines carent, tanquam amissâ & deperditâ per lapsum primævum. Scriptura autem, commendans quorundam justitiam, loquitur de Justitia regenerationis, quæ tamen propter suam imperfectionem, *Justitiæ* nomen apud Deum non promeretur, sed necesse habet à Deo accipi cum venia, & imputatione perfectæ justitiæ Christi: quanquam non rarò Scriptura Politicam justitiam Sanctorum, quam habent coram Hominibus, commendet, quæ vocatur tùm *Personarum* respectu *integritas* & *innocentia*; tùm *rerum* ac *causarum* respectu Justitia causæ.

Quæst. VIII. Cur Paulus *vers.*13. & *seqq.* ex Psalmis & Prophetis omnes Homines absque exceptione reos peragat eorum scelerum, quæ ibi commemorantur: cùm non singulos omnibus & singulis illis sceleribus deditos esse doceat experientia?

Resp. 1. Verba Apostoli possunt *distributivè* intelligi, non *collectivè*, singula de singulis. 2. Dicendum, licèt non omnes actu talia scelera patrent, tamen naturalem habere ad ea inclinationem, quæ in actum quoque erumperent, si quilibet sibi-ipsi relinqueretur, nec per gratiam Dei refrænaretur, uti quoque superiùs ad *Cap.* I. *pag.*33. de Gentibus monitum.

Quæst. IX. Quo sensu *Justificationis* vox sumatur *vers.*21.?

Resp. Non de Justitiæ infusione, uti volunt Pontificii, sed sensu forensi de absolutione, seu justi-habitione coram Deo. Nam hoc eodem sensu *vers. praced.* 19. *Condemnatio* Justificationi fuit opposita. Sed hoc pleniùs & planiùs ex sequentibus innotescet.

PARS II. CAPITIS III.

Primam hactenus Disputationis de *Justificatione* partem & Agonem habuimus, quum ἀποφατικῶς, *negativè*, disputavit Paulus: *Justificationem non esse ex Operibus.* Nunc sequitur *altera*, *quòd sit ex Fide*. Ordo hic est.

1. Si-

1. Θετικῶς tractatur de Justificatione Fidei, *hoc Capite reliquo.*
2. Ὑποθετικῶς, Exemplo Abrahæ id ampliùs demonstratur *Capite IV. sequente.*

ΘΕΤΙΚΩΣ seu *generatim* agitur de *Justificatione Fidei*, exclusis Operibus, sic, ut Apostolus Doctrinam de *Justificatione* tùm *proponat*, tùm *confirmet*, tùm denique *vindicet* contra Objectionem.

I. *Propositio* habetur *v.21--26*. Postquàm enim Apostolus disseruisset de *Justitia Legali*, eamque rejecisset; nunc pergit ad *veram Justitiam*, cui innitendum, & indicat seqq.

א. *Vbi* & *unde* ista Justitia patefiat? *v.21. Nunc verò absq; Lege Justitia Dei patefacta est, comprobata testimonio Legis ac Prophetarum,&c.* Heic observand.

α. *Nomen.* Vocat *Justitiam Dei. Justitia* Deo tribuitur variâ significatione. 1. *Justitia* est in Deo *universalis*, id est, plenitudo omnis Sanctitatis & Virtutum. 2. *Justitia distributiva*, videlicet *Remuneratrix* bonorum, & *Vindicatrix* malorum. 3. *Veritas* & *Fides*. 4. *Bonitas*. 5. *Opera* Dei & facta, presertim *Judicia*. Hoc sensu heic nō sumitur. 6. *Effectivè* sumitur pro Justitia, quam ipse cōfert Hominibus. Et hæc iterum est vel *Legalis*, vel *Evangelica*. Heic indigitatur *Justitia Dei*, ad discrimen *Humanæ*, quæ videl. α. Deum habet Authorem. β. Approbatorem coram ipsius Tribunali.

β. Quòd dicat, *absq; Lege*. Sic indicat, non esse hanc Justitiam legalem, id est, non ex operibus Legis, utì hactenus disputaverat.

γ. Subaudit, *ex Evangelio*. Supplenda enim hæc verba ex *Cap. I. v.16,17.* adeóque indicat, Justitiam hanc esse Evangelicam, seu in Evangelio patefactā. Nullum enim aliud patefactionis medium, nempe vel Lex, vel Evangelium. Non Lex, utì probatum. Ergo Evangelium.

δ. Addit, *comprobata testimonio Legis & Prophetarum.*

Quæstio: Quomodo, dices, *Lex* & *Prophetæ* testantur de hac Justitia?

Resp. 1. Quod *Legem* attinet, testatur de ea α. *Indirectè*, per præcepta & comminationes. β. *Directè*, per promissiones Evangelicas ei passim annexas.

H 3

2. Quod *Prophetas* attinet, vaticinia innumera testantur, ab Adamo ad Abrahamum, ab Abrahamo ad Mosen, à Mose ad Davidem, à Davide ad Christum. *Joh.5.46. Act.10.46. 2.Corinth.1.20.*

3. *Quæ* & *qualis* sit hæc Justitia? Ostendit Apostolus,

1. *Implicitè, v.22. Justitia, inquam, Dei per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt: non enim est distinctio. v.23. Omnes enim peccârunt, & deficiuntur gloriâ Dei.* Indicat Apostolus

α. *Causam*, videlicet *principalem*, quum vocat iterum *Justitiam* DEI, sive quæ est à DEO, oppositè ad Humanam.

β. *Medium*, sive *Causam instrumentalem*, Justitiæ apprehensivam, *Fidem*. Hinc vocat *Justitiam Dei per Fidem*.

γ. *Subjectum*, in quo scilicet ea inveniatur & apprehendatur, *in* IESV CHRISTO.

δ. *Objectum*, cui ea à Deo in Christo per Fidem conferatur, aut, qui ejus sint participes. *Omnes* credentes sine discrimine.

Observanda heic iterum sequentia.

a. Quòd vocet *Justitiam Dei* denuò, oppositè scilicet ad *Humanam*, ne quidpiam in negotio Justificationis relinquatur Homini.

b. Quòd vocet eam *διὰ πίστεως Ιησοῦ Χριστοῦ*, oppositè ad *Opera*, quibus passim in hac Disputatione Fidem opponit. *Rat.* Quia, etsi Fides quoq; sit virtus & opus, tamen non justificat ut opus, sive per virtutem & dignitatem operis; sed *relativè* & organicè, quà respicit & apprehendit Christum, ejusque Justitiam. Idcircò addit, *Jesu Christi*, ut insinuet, Justitiam eam, quâ justificamur, quæque Dei est, non esse aut residere in nobis, sed in solo Christo. Fieri autem nostram per fidem.

c. Quòd Paulus eam *restringat* ad *credentes*, utì quoq; *Joh.3.16.* & passim: ne cum Patronis Vniversalis Gratiæ, qui solent subinde clamare, *Omnes, Omnes, Omnes*, eam extendamus ad omnes & singulos Homines promiscuè: & tamen simul eam *extendat* ad Catholicam Ecclesiam, quæ nescit nunc amplius discrimen Nationum, Judæorum & Gentium. Ideò ait; *Non enim est distinctio:* quod porrò *confirmat* à paritate communis miseriæ, tùm *peccati: Omnes enim peccaverunt*; tùm *pœnæ: & deficiuntur gloriâ Dei*, id est, participatione

patione & fruitione Gloriæ ipsius, olim in Vita æterna patefaciendæ, uti infrà *Rom.5.4.* Sic malo, quàm ut per *Gloriam* intelligam *gloriationem* apud Deum, cùm aliud sit *δόξα*, aliud *δοξολογία*.

2. *Explicitè*, Descriptio Justitiæ nostræ & Justificationis uberior continetur *v.24. Vt qui justificentur gratis*, id est, *ejus gratiâ, per redemptionem factam in Jesu Christo: v.25. quem proposuit Deus placamentum per fidem in sanguine ipsius, ad demonstrationem justitiæ suæ, prætereundo peccata, quæ antecesserunt in* illa *Dei tolerantia: v.26. ad demonstrationem justitiæ suæ præsenti tempore, ut sit ipse justus & justificans eum, qui* est *ex fide Jesu.* Digerit his verbis Apostolus admirabili brevitate & artificio quatuor Justificationis nostræ Causas, *Efficientes, Materiam, Formam,* & *Finem.*

α. *Causa efficiens*

1. *Principalis*, DEVS, quem propterea vocat *vers.24. Deum, qui προέθετο, proposuit*, sive æterno suo consilio & decreto præordinavit *Christum*, qui propterea *1.Pet.1.20.* vocatur *προεγνωσμένος πρὸ καταβολῆς κόσμου*. Item *v.25. justificantem.*

2. *Προηγουμένη, interna*, est *Gratia Dei*, excluso merito. Ideò dicit *v.24.* nos *justificari δωρεὰν, gratis.* addit exegeticè, *τῇ αὐτοῦ χάριτι, ipsius gratiâ.* Quid per *Gratiam* intelligat, dicam in Quæstionibus.

3. *Προκαταρκτική, externa* & *meritoria*, est *ἀπολύτρωσις, redemptio*, interveniente nimirum pretio facta, in Jesu Christo.

4. *Instrumentalis*, organica, est *Fides*, justitiam in Christo apprehendens. Hinc dicit *v.25.* Christum esse *propositum placamentum per Fidem*: non impetrationis reconciliationis, sed applicationis respectu: quia non potest actu Deus nobis placari, vel placatus à nobis sentiri, nisi per Fidem, id est, fiduciam, quâ Christum & in ipso Deum nobis placatum apprehendimus.

β. *Materia*, est CHRISTVS ipse, ceu Justitia nostra, *1.Cor.1.30. 2.Cor.5.21. Philipp.3.9.* Quomodo Christus nobis sit factus Justitia, indicatur *v.25.a. quem proposuit Deus ἱλαστήριον ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, placamentum in sanguine ipsius.* Ἱλαστήριον vocat Christum, *placamentum*, sicut alibi *1.Johan.2.2. ἱλασμὸν, propitiationem*, metonymicè, quia est noster apud Deum placator & reconciliator. Alluditur autem ad vetus propitiatorium Mosaicum, *Capporeth* di-

ctum,

ctum, *Exod.25.17.* quod typum gerebat Christi. Nam apud illud & super illo Deus olim se propitium exhibebat populo Judaico: eò precantium facies & vota debuerunt converti, & Cherubim suas eò inclinârunt facies, eò quòd *Angeli quoque olim cupierint in mysterium hoc introspicere.1.Petr.1.12.* Hinc vocatur *thronus Gratiæ, Hebr.4.16.*

Additur, *in sanguine ipsius*, ut modus placationis exprimatur, quòd scilicet non potuerit ea fieri & obtineri citra effusionem sanguinis Filii Dei: simul quoque propitiatio vera, quæ facta est per sanguinem Christi, discernitur à propitiatione typica, quæ olim facta per sanguinem pecudum. *Hebr.9.12.*

γ. *Forma* consistit in *Remissione peccatorum præteritorum, v.25 prætereundo peccata, quæ antecesserunt in* illa *Dei tolerantia.* Meminit *præteritorum peccatorum*, quòd sub Veteri Testamento peccata per Legem regnaverint, nec potuerint per eam aboleri. quia demùm in Christo exhibito, & in Evangelio patefacto, plenâ obtinemus justitiam, per Remissionem omnium peccatorum, & necessariò ei connexam Imputationem perfectæ ipsius, quâ Legis mandatis satisfecit, Obedientiæ.

δ. *Finis* est *ἔνδειξις, demonstratio justitiæ Dei, v.25. ad demonstrationem justitiæ suæ:* quod repetitur *vers.26. ad demonstrationem justitiæ suæ præsenti tempore* (scilicet Novi Testamenti, quia tempore Veteris Testamenti reconciliatio per actualem Christi satisfactionem adhuc exspectabatur,) *ut sit ipse justus*, id est, ut declaretur esse justus, videlicet 1. peccata non relinquendo impunita, ne quidem in Christo, tanquam vade nostro & fidejussore: 2. non absq; satisfactione ab ipso accepta ea nobis remittendo, & Vitam æternam nobis adjudicando.

II. *Confirmatio* Doctrinæ de Justificatione Fidei habetur *vers.* 27--30. *Argumenta* ea in se comprehendit duo.

A. Ab *Effecto*, videlicet *Gloriatione.* Sic ait Apostolus, *v.27. Vbi igitur gloriatio? exclusa est. Per quam Legem? Operum? Non: sed per Legem Fidei.* Sic vult argumentari Apostolus:

Ea demùm vera est Justificationis ratio, per quam excluditur gloriatio apud Deum. *Ratio.* Si enim Justificatio nostra esset cõjuncta cum nostra glorificatione apud Deum, tùm 1. non esset solius Dei justitia, contra illud, quod dixerat suprà *vers.21,22.& Cap.1.17.* 2. Frustrà ista esset

apud

apud Christum quærenda, quem solum Deus proposuit placamentum, *v.25.* 3. Vanum foret, quod de remissione peccatorũ attulit *ibid.* in qua nostram Justificationem collocant.

Haberent enim quod Homines gloriarentur apud Deum.

Observetur obiter, Paulum mentionem facere καυχήσεως, *gloriationis*, propter tùm Gentiles, tùm Judæos. *Illos* quidem; quia sapientiæ & virtutum moralium & politicarum famam aucupabantur. *Hos* verò potissimùm, quia sanctitatis gloriam ex Lege venabantur, se-ipsos justificantes præ Gentibus, imò & aliis rudioribus è populo, *Joh.7.48,49.*

Atqui non per Operum, sed per Fidei Justificationem aut justitiam καύχησις & gloriatio excluditur, *v.27.*

1. Non per *Operum justitiam. Ibid.* οὐχί, *non.* Vocat *Legem Operum*, utique non tantùm Ceremonialem, uti cum Lyrano delirant Pontificii, sed & moralem. quia gloriatio summa relinqueretur heic Judæis, imò ex parte quoq; Gentibus.

2. Sed per *Fidei Legem.* Quidam intelligunt Fidem ipsam, Melanchton, sicut Concupiscẽtia *Rom.7.23.* dicitur *Lex membrorum*: eodem sensu Bucerus interpretatur vim Fidei. Alii intelligunt Doctrinam de Fide, sive Evangelium. Manet in utroque sensu idem scopus.

Ergo vera Justificationis ratio hæc est, ut non fiat ex Operibus, sed ex Fide. Hæc est ipsa Apostoli conclusio, *v.28. Colligimus igitur, Fide justificari Hominem absq; Operibus Legis.*

B. A' *Subjecto, v.29. An Deus Judæorum solùm, an non & Gentium? certè & Gentium. v.30. Quandoquidem Deus unus est, qui justificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Apparet hinc, Paulum Judæis, potissimùm Justitiariis, litem intendere, & causam agere fidelium ex Gentibus. *Argumentum* ejus huc redit.

Si justificatio non solùm est Judæorum, (videlicet gloriantium in Lege) sed & Gentium πιστῶν, credentium in Christum: tunc sequitur Justificationem non esse ex operibus Legis, sed tantùm per fidem in Christum. *Rat.* Quia Gentes de Lege gloriari non possunt.

Atqui Justificatio non solùm est Judæorum, sed & Gentium credentium in Christum.

I

Ergo Justificatio non est ex operibus Legis, sed tantùm per fidem in Christum, sive spectes Judæos, sive Gentiles. Habetur hæc Conclusio *vers. 30.*

Assumptionis loco occurrit ejus probatio, *v. 29.* in hanc sententiam:

Omnium eorum est Justificatio, quorum Deus est Deus. *Rat.* Quia Deum esse alicujus Deum, insinuat Dei erga ipsum amorem, benevolentiam, juxta promissionem fœderis, *Genes. 17. 7.* & loca, *Psal. 33. 12. & 144. 15.*

Atqui non solùm Judæorum, sed & Gentium, (nempe utrorumque credentium) Deus est Deus.

Ergo utrorumque est Justificatio.

III. *Vindicatio* succedit Doctrinæ de Justificatione absq; operibus Legis, per fidem, contra Objectionem, *v. 31. a. Legem igitur cassam reddimus?*

Objectio. Si Homo non per opera, sed per fidem justificatur, tunc Lex est otiosa & inanis.

Respondet Paulus *v. 31. b.* 1. Ἀρνητικῶς, per *negationem: Absit.* 2. Κατὰ βίαιον, per *retorsionem: imò Legem stabilimus.* Explicabitur hoc in Quæstionibus.

QVÆSTIONES.

Quæst. I. An'non Paulus sibi videatur contradicere, scribens *vers. 21. Justitiam Dei esse patefactam absq; Lege,* uti quoque superiùs *Cap. 1. v. 17.* & tamen confestim subdens, *eam esse comprobatam testimonio Legis & Prophetarum?*

Resp. Calvinus sic conciliat, ut in primo lemmate *Lex* pro *Operibus* accepta intelligatur: in posteriore, pro *Doctrina Legis,* quam Paulus gratuitæ fidei justitiæ testem citet. Existimo, 1. Paulum in primo effato *Legis* nomen sumere strictè pro Doctrina mandatorum nobis contraria: *Coloss. 2. 14.* in secundo latiùs & generalius, pro tota Doctrina Mosis, quatenus comprehendit in se non tantùm τὰ πρακτικὰ, quæ occurrunt in præceptis, sed & τὰ πιστὰ in promissionibus Evangelicis: quo sensu Moses quoq; dicitur testari de Christo, *Joh. 5. 46.* 2. Quanquam etiam hoc verum sit, Legem de Operibus non quidem directè patefacere justitiam; indirectè tamen & occultè eam comprobare: tùm, quatenus, propter suam κατηγορίαν cōtra nos, est pædagogus ad Christum, *Gal. 3. 24.* tùm, quatenus, vi suâ condemnatrice contra nos deperditâ & amissâ, testatum facit, in Christo ei nostro loco satisfactum.

Quæst. II. Quæ'nam sit *Fides* illa, per quam dicimur justificari, *vers. 22.* & quomodo nos per *Fidem justificemur? Ibid.*

Resp. 1. Fides est non solum *theorica*, volitans in *mente* per γνῶσιν, aut etiam ἐπίγνωσιν Evangelii, sed *practica* inprimis, consistens in πληροφορίᾳ & persuasione solida *Cordis*, quâ credens promissiones Evangelii sibi firma cum fiducia applicat, quo sensu Abrahamum credidisse patefiet ex Cap. seq. quarto. Hinc describitur alibi per ὑπόστασιν τῶν ἐλπιζομένων *Hebr. 11. 1.* πεποίθησιν, & hinc natam παῤῥησίαν, *Hebr. 4. 16.* 2. Notandum est, Apostolum heic & alibi agentem de Justificatione, uti promiscuè phrasibus,

justifi-

justificari nos *πίστει, fide*; *ἐκ πίστεως, ex fide*; *διὰ πίστεως, per fidem*. Nullibi tamen *διὰ πίστιν*, id est, *propter fidem*, ne scilicet Justificationem videretur adscribere velle alicui virtuti, dignitati aut merito ipsius Fidei, aut quasi Fide tanquam Opere aliquo justificaremur: hoc enim militaret contra ipsius Disputationem, quâ Justificationem ex Operibus impugnat. sed hoc ipso insinuare voluit, Fidei nostræ in Justificatione nullum alium esse respectum nisi *organicum* & *relativum*, quatenus videlicet veluti instar manus apprehendit & credenti applicat Justitiam Dei in Christo. Ideò vocatur *vers.22. Fides Jesu Christi*, utique non *subjectivè*, sed *objectivè*. Sed de hoc pleniùs edocebimur in seqq.

Quæst. III. Quæ'nam sit *Gratia illa justificans*, cujus mentio fit *vers.25. Justificamur gratis ejus Gratiâ?*

Resp. Pontificii intelligunt Gratiam habitualem infusam, adeóque inhærentem in nobis, quæ solet vocari vulgo *Gratia gratis data*: nempe, ut imputatam justitiam cassam reddant, & suam propriam stabiliant. Sed falsa est Papistarum opinio. *Rat.* 1. Quia Justificatio nostra per & propter justitiam inhærentem, non tantùm esset gratuita, sed & meritoria: idque ideò, quia Pontificii dicunt, eam nobis contingere non tantum *δωρεὰν, gratis*, sed & per vires, imò ultimam & præcipuam causalitatem Liberi Arbitrii. 2. Quia Gratiæ huic à Paulo nostra per Christum Redemptio subordinatur tanquam effectus. Atqui Pontificii volunt, hanc Gratiam esse Redemptionis effectum. 3. Quia Gratia ista & justitia non potest conciliari cum illa justitia, cujus *ἔνδειξιν* Paulus dicit esse finem & effectum nostræ coram Deo Justificationis, *vers.25,26*. Gratia enim ista habitualis est imperfecta, nec potest sustinere *τὸ ἀκριβοδίκαιον* Justitiæ Dei. 4. Hinc Paulus infrà, *Rom.11.6. Gratiam* opponit *operibus*. Superest, ut intelligamus, per istam *Gratiam*, quam in Scholis vocant *gratis dantem*; residentem non in nobis, sed in Deo, gratuitum videlicet ejus amorem, favorem & benevolentiam: quo sensu gratiam Dei usurpari passim in Scriptura *ἀναμφισβητήτως* est. *Gen.6.8. Exod.33.19. 1.Cor.15.10.* & alibi.

Quæst. IV. Quæ'nam sit *ἀπολυτρώσεως, Redemptio* illa, cujus Paulus facit mentionem *vers.24.?* Movetur quæstio propter Hæreticum Socinum, qui finxit & pinxit tantùm *ἀπολύτρωσιν* metaphoricam, non propriè sic dictam: quæ fuerit simplex liberatio, absque interventu alicujus pretii, aut satisfactionis Justitiæ Dei debitæ. Nam nec agnoscit ille, Justitiam ullam esse vindicatricem in Deo, nec opus fuisse ullâ satisfactione; & misericordiam Dei suffecisse ad delenda omnia nostra peccata: imò satisfactionem, quam nos statuamus, dicit militare contra Dei misericordiam & gratuitam Remissionem peccatorum. Hinc Christum vult Servatorem dici tantùm Doctrinâ, Vitæ & Mortis exemplo; Sacerdotium autem Jesu Christi ejusq; Virtutum prorsus abolet.

Resp. Socini blasphemam hæresin examinare in ista *ἀπολογίᾳ* & *βραχυλογίᾳ* non est mei instituti, abundè id præstitum ab aliis. Ea tantùm persequor, quæ ad contextus illustrationem faciunt. Dico itaque, quanquam vox *Redemptionis*, apud Latinos; *ἀπολυτρώσεως* apud Græcos; addo etiam, vox *Gaal* apud Hebræos, non rarò accipiantur pro simplici liberatione, quæ etiam fit absque interventu pretii: tamen hoc loco, uti etiam aliis consimilibus parallelis locis (*Ephes.1.7. Coloss.1.14. Hebr.9.15. Matth.20.28. 1.Tim.2.6. &c.*) esse propriè accipiendâ, omnibus verè Fidelibus indubium esse debet.

Rat. 1. Quia *Redemptio* ista dicitur facta in Christo, *v.24.* & quidem tanquam placatore, propitiatore, *v.25.* utique non sui, sed nostri respectu; ut satisfaceret pro nostris peccatis, tanquam Vas, Sponsor & Fidejussor noster coram Deo: quo sensu *Jesa.53.7.* dicitur ab ipso *exacta* esse ab ipso, scilicet pœna omnium nostrûm, uti exigi solet debiti solutio à Sponsore. 2. Quia dicitur *v.25.* facta *per Sanguinem Christi*, nem-

pe tanquam λύτρον. 1. *Tim*. 2. 6. 3. Quia dicitur facta *ad demonstrationem Justitiæ Dei*, quæ salvâ Dei veritate non potuit vel in nobis, vel in alio, qui spopondit pro nobis, impunita dimittere peccata, nisi Dei Verbum & Voluntatem velimus arguere mendacii, *Gen*. 2. 17. *Deut*. 27. 26. ut taceam Dei immutabilem Naturam, à cujus sanctitate & justitia quicquid deviat, non potest non ejus iram atq; abominationem incurrere. *Psal*. 5. 5.

Quæst. V. Quomodo ἀπολύτρωσις ista possit conciliari cum gratuita Justificatione & Remissione peccatorum? *Rat. dub*. Videtur enim Satisfactio evertere Gratiam.

Resp. Conciliationem monstrat Paulus *vers*. 24. & 25. quando dicit, Deum & quidem gratis nobis Christum dedisse Redemptorem, ut *Justitiæ* quidem suæ consuleret per ejus satisfactionem: *Misericordia* interim suæ erga nos fenestram sibi aperiret, ne à nobis satisfactio exigeretur; sed eam extra nos quæreremus & inveniremus in Christo. Itaque non solùm Justificatio, sed & Redemptio, ejus causa, pendent a sola Dei gratia & misericordia.

Quæst. VI. Quid *Justitiæ* nomine intelligatur *vers*. 25. & 26.?

Resp. *Justitiæ* nomen quidem πολυσήμως de Deo in Scriptura usurpatur, ut designet nunc Sanctitatem Dei, nunc Veritatem, nunc Bonitatem quoq; & Misericordiam, nunc verò Justitiam Dei in specie, dictam διανεμητικὴν, sive distributivam, quâ bonos tuetur, & malos plectit: existimo tamen, Apostolum hoc in loco *Justitiæ* nomine non uti sensu aliquo extra hanc controversiam vagante de Justificatione: videlicet de illa ipsa Justitia, cujus mentio hactenus facta, & nominatim *vers*. 22. *Justitiâ* videlicet *Fidei*, in Evangelio patefactâ, in Christo præstitâ, quâ coram ipso justificamur. Exegesis docet in verbis seqq. *prætereundo peccata*, ut innuat, Justitiam hanc patefieri in Remissione peccatorum: quia nimirum per Christum Divinæ Justitiæ pro nostris peccatis satisfactum est: quâ ipsâ de causa *vers*. 26. repetitur idem membrum, *ad demonstrationem Justitiæ suæ*: ut scilicet insinuetur, Justitiam, quâ justificamur coram Deo, non residere apud nos, uti voluerunt Judæi, & hodierni quoque Justitiarii; sed apud solum Deum, qui eam nobis gratis donavit in Christo.

Quæst. VII. Qua de causa Paulus *vers*. 25. in descriptione *Remissionis peccatorum*, mentionem tantùm faciat *peccatorum præcedentium*? An ergo Satisfactio Christi pro nostris peccatis sit restringenda tantùm ad peccata præterita; & nobis incumbat, uti volunt Pontificii, Satisfactio pro futuris?

Resp. Non meliùs, succinctius & accuratius potest responderi, quàm Calvini verbis in hunc locum: *Paulum ad legales expiationes respexisse: quæ testimonia quidem erant futuræ satisfactionis, Deum verò placare minimè poterant. Similis locus est ad Hebr. 9. 15. quòd per Christum allata sit peccatorum redemptio, quæ sub priori Testamento manebant. Neq; tamen intelligas, non nisi superioris temporis delicta Christi morte expiata esse: quod delirium quidam Fanatici ex loco hoc insciitè detorto hauserunt. Tantùm enim docet Paulus, usq; ad Christi mortem nullum placandi Dei fuisse pretium; nec vero id præstitum vel impletum fuisse legalibus figuris: quare veritas usq; ad tempus plenitudinis suspensa fuit. Porrò eadem est eorum ratio, quæ nos quotidiè reatu obstringunt: nam una est pro omnibus placatio.*

Quæst. VIII. Quomodo per Fidei legem adimatur Homini gloriatio *vers*. 27. 28. è contrario verò per Legem ponatur gloriatio?

Resp. I. Quum Justificatio Fidei adscribitur, utiq; adimitur Homini omnis gloriatio. *Rat*. 1. Quia Fides Justitiam quærit extra Hominem in Dei misericordia, & Christi merito ex illa Dei misericordia. 2. Quia hoc ipso arguit, Homines esse naturâ pecca-

peccatores, adeóq; iræ Dei obnoxios. Quanquam fatear, eos, qui Fidei Justificationem adscribunt ex ipsius dignitate & virtute, non posse excludere gloriationem Hominis: præsertim cùm ad Fidem obtinendam relinquant Homini Liberum Arbitrium, sive ultimam Voluntatis àse-ipsa determinationem.

II. Per Legem autem Operum non mirum est poni gloriationem in Homine: quia qui Operibus nituntur, putant se Legem præstare posse, & hinc justificari. Hinc tales 1. vel nullo, vel exiguo loco habent Dei misericordiam, nec possunt verè & ἀνυποκρίτως credere Remissionem suorum peccatorũ, cùm nitantur suâ justitiâ. 2. Christi gratiam, meritum, satisfactionem aut pro nihilo ducunt, aut partiuntur cum suis meritis, adeóq; Christum hac ratione evacuant. Nam CHRISTO vel prorsus carendum, vel uno & solo fruendum.

Quæst. IX. Nunquid Paulo, *vers.* 28. dicenti, *Hominem absq; Operibus justificari Fide*: repugnet Jacobus *cap.* 2. *v.* 24. *Videtis igitur, ex Operibus justificari Hominem, & non ex Fide tantùm?* Sane hic quibusdam, ipsique Luthero scopulus fuit, in quem ita impegit, ut maluerit Jacobi Epistolam eliminare e censu Canonicorum Librorum Novi Testamenti.

Resp. Nulla est ἐναντιολογία, facilis conciliatio. 1. Non idem Jacobo scopus, qui Paulo. Hujus scopus, expresse agere de Justificationis causa & modo. Illius de Fide justificante, quænam vera sit, vel δοξαστική. 2. Paulus agit de Justificatione Hominis in respectu ad Deum: Jacobus in respectu ad Homines, & per Justificationem intelligit declarationem Fidei justificantis coram Hominibus per bona Opera. 3. Hinc porrò, quum Jacobus dicit, *Hominem justificari Operibus, & non ex Fide tantùm*, nihil vult aliud indigitare, quàm quòd Homo, qui jactat Fidem, non possit haberi pro verè justificato, tantum ex Fidei externa professione atque jactantia, quæ destituatur Operibus bonis: sed quòd demùm vera ipsius Fides, eamque consequens justificatio coram Deo non possit aliter nobis innotescere, quàm per bona Opera, ceu fructus fidei: quod etiam declaravit exemplo Abrahami, *v.* 21, 22, 23. & Rachabæ, *v.* 25. & similitudine Corporis vivi & mortui, *v.* 26.

Quæst. X. Quâ ratione Lex per Fidem stabiliri dicatur, *vers.* 31. *Rat. dubit.* Quia Paulus *Rom.* 7. 6. dicit, *nos esse liberatos à Lege.*

Resp. Lex est triplex, Ceremonialis, Judicialis, Moralis. Sic omnis ista Lex est sublata, ut tamen suo modo sit stabilita. 1. Ceremonialis, quantum ad observantiam ejus, quæ fuit tantum Veteris Testamenti; nunc est abolita, quantum ad nos: est autem stabilita in Christo per illius adimpletionem, in quo habemus illius Veritatem. 2. Forensis & Judicialis, quantum ad Politiam Judaicam attinet, quæ typica fuit, accepit & retinet suum stabilimentum in Christi Regno; & quoad jus commune, Legi naturæ & morali consentaneum, durantis quoque est observationis. 3. Moralis Lex, quamvis ejus & maledictio & dominium per Christum ablatum, tamen per fidem stabilitur dupliciter:

α. In *Christo*, quem Fides apprehendit: respectu ipsius Obedientiæ in vita, passionibus & morte: quæ nobis imputatur.

β. In *Nobis*: quia Fides in nobis non est exlex aut otiosa, tollens Legis Obedientiam, & Hominem impellens ad scelera: sed causa, fundamentum & radix Sanctificationis & omnium bonorum Operum, quæ Legi sunt consentanea.



CAPVT IV.

DOCTRINAM de *Justificatione Hominis* coram Deo per Fidem in CHRISTVM, hactenus ΘΕΤΙΚΩΣ propositâ, Apostolus nunc illustrat & confirmat ΥΠΟΘΕΤΙΚΩΣ, *singulariter*, exemplo ABRAHAMI, ceu Patris omnium credentium. Διότι. propter *Judæos* & *Gentes*. *Has* quidem, ne putarent se à justitia & fœdere Abrahamico alienas, quòd κατὰ σάρκα non essent ab eo nati. *Illos* verò, quia semen se esse Abrahæ semper jactârunt, & in carnali prærogativa proram & puppim salutis suæ collocârunt, utì suprà quoq; indicatum, *Cap.II.v.17.*

PARTES Capitis duæ sunt:

Prima continet *Descriptionem Justificationis Abrahamicæ.*

Altera Applicationem ejusdem ad nos, revocatâ *hypothesi* ad *thesin*, sub fin. *Cap.v.23,24,25.*

PARS I. CAPITIS.

Paulus exemplo ABRAHAMI nos erudit, de *Justificationis* 1. *Ratione & Modo.* 2. *Subjecto*, Judæis & Gentibus. 3. *Instrumento*, videlicet Fide, ejusque natura.

I. *De Justificationis ratione & modo.*

Incipit vers.1. Τί οὖν ἐροῦμεν, *&c. Quid igitur dicemus, Abrahamum Patrem illum nostrum, &c.* Vult occurrere cogitationibus Judæorum, qui semper gloriati sunt de Abrahamo, ceu Patre, quòd scilicet Filii essent Abrahæ κατὰ σάρκα, *Matth.3.9. Joh.8.39.* cujus quidem tessera ipsis fuit περιτομὴ in carne. Ergo Apostolus, præmissâ superiore Doctrinâ theticâ, nunc ipsos vult revocare ad exemplum Patris Abrahami: *Quid igitur dicemus, &c.* Q.D. Adestote nunc, qui de justitia vestra gloriamini, & de Patre Abrahamo: disceptemus invicem, quo modo & ratione ille fuerit justificatus.

Observatur ante omnia, firmum duci argumentum ab exemplo Abrahami in hoc negotio Justificationis, ut sensus sit: Quomodo Abraham fuit justificatus, ita quoque nos omnes. *Rat.* 1. Quia Abraham non fuit justificatus nisi ex Fœdere, quod Deus cum ipso pepigit. Hoc autem ei est commune cum tota posteritate, & omnibus electis. 2. Quia Deus non nisi unam justitiæ & salutis viam & rationem tenuit

nuit post lapsum primævum omnibus seculis. *Act.15.11.* 3. Quia Abraham in ratione & modo justificandi omnibus suis Filiis exemplo est.

Comprehendit autem hæc Disputatio Paulina

I. THESIN, de Abrahæ Justificatione, quæ

א. *Proponitur* negativè, *vers.1. Quid dicemus, Abrahamum, Patrem illum nostrum nactum esse secundùm carnem?* Interrogatio est, vim habens negationis. Perinde enim est, ac si diceret: *Nihil.*

1. De *Abrahamo* loquitur, quem vocat *Patrem nostrum: carnalem* quidem, respectu Judęorum; *spiritualem* verò, respectu credentium ex Gentibus. uti quidē postea eum vocat *Patrem omnium credentium, v.11.* Cum ipso fœdus primùm initum, cujus fœderis vi servantur Gentes atque Judæi.

2. *Attributum. Nihil nactus est secundùm carnem.* Τὸ κατὰ σάρκα Calvinus putat conjungendum esse Subjecto, ut sit epitheton Abrahami. Sed videntur verba esse Attributi. Significat ergo, κατὰ σάρκα nihil aliud, quàm naturaliter, in se, aut ex se, ut sensus sit: Abrahamum, si consideretur κατὰ σάρκα, nihil invenisse, de quo scilicet gloriaretur coram Deo, nullam, inquam, dignitatem, justitiam, merita, uti postea declaratur *v.2.* Quòd autem *Carnis* faciat mentionem, existimo factum propter Judæos carnales, gloriantes identidem de nativitate carnali ex Abrahamo, & de circumcisione carnali.

3. *Distinguitur:* ne videretur Abrahamo omnem justitiæ & boni operis gloriam derogare velle, propter Judęos obtrectatores.

Objicere potuissent: Quid? An tu Patri nostro Abrahamo, virtutum omnium speculo & exemplari, vis gloriam bonorum operum derogare?

Respondet Paulus cum limitatione, *vers.2. Nam si Abraham ex operibus justificatus fuit, habet, de quo glorietur, at non apud Deum.* Distinguit inter τὸ καύχημα, apud Homines, & apud Deum.

1. De *illo* concedit, habere scilicet encomium & ἀξίωμα pietatis, sanctitatis, justitiæ, apud Homines, quod ἐξαγώνιον est.

2. De *hoc* negat: *ast non apud Deum.*

Summa est: Justum quidem & sanctum Virum fuisse Abrahamum, eique laudem non immeritò deberi & haberi apud Homines: interim suâ justitiâ, sanctitate & bonis operibus nequaquam

coram

coram Deo esse justificatum. perinde ut alibi Paulus de se scribit: *In nullo mihi conscius sum; sed non per hoc justificatus sum. 1.Corinth.4.4.*

II. *Confirmationem* THESEΩS.*v.3. Quid enim Scriptura dicit? Credidit autem Abraham Deo, & imputatum est ei ad justitiam.* Syllogisticè sic potest proponi:

Syllogism. Quicunq; Justitiæ καύχημα habuit ex Fide, id est, qui justificatus fuit ex Fide, is non habuit illud καύχημα κατὰ σάρκα, & ex operibus.

Atqui Abraham ex Fide καύχημα habuit Justitiæ.

Ergo non κατὰ σάρκα & ex operibus.

Conclusio hujus Syllogismi posita jam fuit *v.1.& 2.* in *Thesi.*

Ergo duæ præmissæ restant demonstrandæ, *Assumptio* & *Propositio.*

α. *Assumptio*, seu *Minor propositio* probatur ex Scriptura, loco videlicet Mosaico, *Genes.15.6.* sicq; ostenditur, quàm verè dixerit suprà *Cap.2.v.21. Justitiam Dei esse comprobatam testimonio Legis & Prophetarum.* Ita autem apud Mosen locus habet: *Credidit Abraham Deo, & imputavit hanc ei justitiam.* Apostolus ex LXX. allegat: *Credidit Abraham Deo, & ἐλογίσθη αὐτῷ, imputatum est ei,* (passivè) *ad justitiam*: ut innueretur, imputationem hanc non Abrahamo, sed Deo, tanquam authori, esse asscribendam. Describitur autẽ his verbis FIDEI Abrahami

1. *Objectum. Credidit* DEO, videlicet ipsi loquenti per Verbum suum. Intelligitur autem Promissio ei facta de Semine, id est, CHRISTO, *Gal.3.16.* ut patet *ex v.18.& 20. hujus Capitis.*
2. *Formam & Modum. Credidit*, id est, firmâ fiduciâ apprehendit, ut iterum patet ex *v.20.* Hinc alibi ejus Fidei conjungitur *lætitia, Joh.8.56.*
3. *Effectum. Imputatum est ei ad justitiam.* Sic Justificationem facit effectũ Fidei Abrahami. Quomodo phrasis Pauli sit intelligenda, dicam in Quæstionibus.

β. *Major propositio* probanda restabat. Instituit eam Paulus

א. Ex *Argumento artificiali.* Potuisset quis regerere, esse fallaciam falsorum oppositorum, quia non sequatur: Si fide Abraham fuit justificatus, ergo non ex operibus. Paulus indicat, ἀντίθεσιν esse inter Justitiã Operũ & Fidei. Nam quod attinet ad *Justificationem ex operibus*, dicit, eam fieri non

non ex gratia, sed ex debito, *vers.4. Atqui ei, qui operatur, merces non imputatur ex gratia, sed ex debito.* Quod autem attinet ad *Justificationem fidei*, indicat, illam fieri non ex debito, sed ex gratia, *v.5. Ei verò, qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam.* Probatio Pauli huc redit.

Quorum sunt oppositæ causæ, ea ipsa quoque sunt inter se opposita. *Prosyllogism.*

Atqui Justificationis ex operibus, & Justificationis ex fide, oppositæ sunt causæ. Nam 1. Justificatio ex operibus nititur Operantis merito, adeóque cadit in debitum. 2. Justificatio verò ex fide nititur Dei gratiâ indebitâ. *Rat.* Quia confertur hoc beneficium α. in *non operantem*, sed *impium*, adeóque Justificatione indignum, imò dignum damnatione. β. In *credentem*, cui *fides imputatur ad justitiam*: quia videlicet justitiam extra se fide apprehendit, ei oblatam in CHRISTO.

Ergo Justificatio ex operibus & Justificatio fidei sunt opposita.

Notandæ heic veniunt variæ antitheses & oppositiones, quas instituit Apostolus.

1. *Subjectorum*, videl. *Operantium* & *Credentium*, quos vocat *non operantes*, & *impios*, scilicet τῇ φύσει: quamvis etiam ipsi credentes tùm credant, tùm per fidem bona opera edant, sed per gratiam.
2. *Effectorum*, scilicet *Mercedis*, quam consequuntur *operantes*; & *Justitiæ*, quam assequuntur *credentes*.
3. *Causarum*, *Debiti*, sive *Meriti*, ex quo debitum emergit; & *Gratiæ*.
4. *Modi*: *Imputationis*, quæ fit ex *debito*; & *Imputationis*, quæ fit ex *gratia*.

5. Ex *Testimonio Davidis*. Quod proximè dixit Apostolus, juxta Prosyllogismi Minorem propositionem, ad confirmationem Majoris, Syllogismi primarii; *imputari justitiam per fidem sine operibus*, tanquam sibi invicem contrariis: id nunc porrò Testimonio Davidico corroborat, ita tamen, ut ex eo totam suam Doctrinam de Justificatione Hominis gratuita coram Deo illustret & cõfirmet. *v.6. Sicut etiã David (Psal. 32.1 2.) declarat beatum eum Hominẽ, cui Deus imputat justitiam absq; operibus*, dicens, *v.7. Beati, quibus remissæ sunt Legis transgressiones, &*

quorum tecta sunt peccata. v.8. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Considerand. heic:

A. *Quid* Apostolus hoc testimonio sibi suscipiat probandum. *Thesin*, tùm

Affirmativam: quòd Justificatio sit Justitiæ gratuita imputatio.
Negativam: quòd Justificatio fiat χωρὶς ἔργων, *non ex operibus.*

Quæritur 1. Nunquid Apostolus mutet statum Controversiæ? *Rat.* Nam antea meminerat *imputationis Fidei ad Justitiam, vers.5.* nunc *imputationis Justitiæ ipsius.* Atqui phrases hæ non videntur pari ambulare passu: neq; enim Fides est imputata Justitia ipsa.

Resp. Nulla est pugnantia in re. Nam *imputatio Fidei ad Justitiam*, & *imputatio justitiæ absq; operibus*, Paulo æquipollent. *Rat.* quia Fides imputari dicitur ad justitiam non *propriè* & *absolutè*; sed *impropriè* & *relatè*. *Impropriè*, inquam, si per fidem intelligatur non fides, *quâ* creditur, ut loquuntur in Scholis; sed Fides, *quæ* creditur, sive res ipsa credita, Justitia, inquam, Christi, quæ Fidei est objectum. *Relatè* verò, quatenus Fides justitiam oblatam apprehendit. Nimirum, sicut os comedens, non sui, sed cibi respectu, Hominem saginare; sicut manus thesaurum accipiens, non sui, sed thesauri respectu, Hominem locupletare; sicut pixis medica, non sui, sed medicamenti, quod in se continet, respectu, Hominem sanare dicitur: sic Fides dicitur Hominem justificare, sive, quod eòdem redit, Homini ad justitiam imputari, non sui, sed justitiæ ei in Evangelio oblatæ, & ab ea apprehensæ & credenti applicatæ, respectu.

Quæritur 2. Quid Paulus per *Justitiam imputatam* intelligat, *v.6.*?

Resp. Non eam, quæ est *subjectivè in nobis*, quam vocant *inhærentem*; multò minùs, quæ est *à nobis*, id est, ex nostris viribus. Opponit enim eam *operibus*. Intelligit ergo Justitiam, quæ est *extra nos*, quam jam superiùs *Cap. II.* satis descripserat, quum vocavit eam 1. *Justitiam Dei*, id est, coram Deo valentem & consistentem. 2. *Justitiam Evangelii*, sive in Evangelio patefactam, *Rom.1.16.* prædictam autem in Lege & Prophetis. 3. *Justitiam fidei*, quam scilicet fides in Evangelio apprehendit. 4. *Justitiam per Redemptionem Christi:* Unde, si omnia excutiamus, apparet, nullam esse aliam Justitiam, nisi *Justitiam* CHRISTI.

Quæritur 3. Quænam verò sit illa *Justitia Christi*, nobis imputata?

Resp. 1. Quidam vocat Justitiam CHRISTI *effectivè* sic dictam, quia Chri-

Chriſtus eam nobis acquiſiverit ſuo merito. Quando verò urgentur, quid per illam intelligant, ajunt eſſe *Remiſſionem peccatorum*, confundentes *Juſtitiam*, id eſt, rem eam, quâ juſtificamur, quæ pertinet in notione abſoluta ad Categoriam *Qualitatis*; in relativa verò, ad Categoriam *Relationis*: cum ipſa *Juſtificatione*, quæ in Remiſſione peccatorum, quanquam non ſolâ, conſiſtit, quæ pertinet ad Categoriam *Actionis*. 2. Dico ergo, Juſtitiam Chriſti eam intelligendam, quæ ſit donativè & *imputativè* noſtra; *ſubjectivè* autem in Chriſto: non quidem Juſtitiam, Divinitatis proprietatem eſſentialem, utì deliravit Oſiander; ſed Juſtitiam Chriſti Mediatoris, quâ ipſe in aſſumpta Humanitate fuit ornatus, quæ conſiſtit in perfecta ejus conformitate cum Lege Dei, tanquam omnis Juſtitiæ normâ, & cui Chriſtus loco & vice noſtrâ fuit factus obnoxius. *Gal.4.4.* Quia enim Lex vi ſuæ *authoritatis* & dominii nos obligavit ad ſanctimoniam tùm naturæ noſtræ, tùm vitæ; vi *promiſſionis* vitæ æternæ, ei annexæ, ad perfectam obedientiam, *Levit.18.5.*; vi *comminationis*, ad pœnas exolvendas pro transgreſſionibus, *Deut.27.26.* CHRISTVS, tanquam Sponſor & Fidejuſſor noſter apud Deum, Juſtitia loco noſtro factus eſt apud Deum, *1.Cor.1.30.* quatenus videlicet omne *δικαίωμα τῦ νόμυ, Rom.8.4.* in ſe ſuſcepit, & noſtro bono Homo factus, in aſſumpta Humana Natura noſtro loco in Servi forma abſque peccato in ſanctitate concipi, in obedientia Legis, & tolerantia innumerarum afflictionum, totum Vitæ curriculum tranſigere, illudq; tandem poſtremâ Paſſionis & Mortis cruentâ tragœdiâ conſummare voluit: eum in finem, ut partim à comminatione Legis, adeóque pœnâ noſtris peccatis debitâ liberari; partim promiſſionis Legis, adeóque Vitæ, gloriæ & hæreditatis cœleſtis, participes fieri poſſemus. Vnde ſatis liquere poteſt, quæ'nam ſit illa IVSTITIA CHRISTI, nobis imputata, cujus Apoſtolus hoc *v.6.* facit mentionem: videlicet omne illud, quod Chriſtus noſtro loco, juxta Legis nobis incumbentem obligationem, *fuit, egit, paſſus eſt*: Sanctitas ſcilicet & Juſtitia habitualis, in qua natus eſt; Obedientia actualis, quam mandatis Legis præſtitit per totam Vitam; Paſſiones deniq; omnes uſq; ad mortem crucis, *Phil.2.8.* Quanquam enim paſſio & mors propriè & per ſe non poſſit appellari *Juſtitia*: tamen quia Chriſtus in paſſione ſua & morte conſummatiſſimam Legi obedientiam

præstitit, per *ἐπίδειξιν* summæ suæ tùm erga Deum, tùm erga nos charitatis; meritò ea quoque Justitiæ ejus accensetur, & per consequens nostra apud Deum justitia in ea collocatur, *2. Corinth. 5. 21.*

Quæritur 4. Quo sensu *Imputatio Justitiæ Christi* sit accipienda, cujus meminit Apostolus *vers. 6.?*

Resp. Intelligitur donatio Dei gratuita, quâ nobis totam Christi justitiam acceptam fert, ac si nostra esset: sive, quod idem est, quâ Deus nos propter Christum & in ipso pro justis habet. Nam 1. quia Christus absque peccato in sanctitate fuit conceptus & natus, Deus nos in ipso & propter ipsum habet pro sanctis, quasi peccatum originale nullum esset in nobis. 2. Quia Christus toto vitæ suæ curriculo justis actionibus suis Legi perfectã obedientiam præstitit, Deus nos eo loco habet, quasi nos ipsi Legi plenam obedientiam præstitissemus; hincque nos pro hæredibus acceptat vitæ æternæ. 3. Quia Christus propter peccata nostra passus & mortuus est, perinde apud Deum habemur, quasi nos ipsimet peccata nostra luissemus; hincque nos ab omni reatu nostrorum peccatorum absolvit.

Atque hæc est tota nostra Justificatio coram Deo, quæ, ut ex prædictis liquet, tanquam actus integralis constat duobus actibus partialibus:

1. *Remissione peccatorum*, sive *non imputatione peccatorum*, propter imputatam Christi pro nostris peccatis satisfactionem in passionibus totius Vitæ, inprimis verò in ultima Mortis tragœdia; propter quam absolvimur coram tribunali Dei ab ira Dei, Legis maledictione, & condemnatione æterna.
2. *Imputatione Justitiæ*, ceu veræ causæ Vitæ æternæ, quæ nihil est aliud, quàm perfecta conformitas Personæ, vitæ & actionum Christi cum Lege: quæ nobis imputatur ad *δικαίωμα* sive jus consequendum, vitæ, gloriæ, & hæreditatis cœlestis.

   Necessitas hujus posterioris beneficii inde patet, quia ad perfectam nostram felicitatem, *μακαρισμὸν*, non sufficit, nos Deo reconciliari per peccati, id est, culpæ & pœnæ peccati ablationem, ut restituamur v.g. in statum aliquem innocentiæ, in quo olim Protoplastæ ante lapsum vixerunt; sed insuper necesse est, *ἀξίωμα* & jus nobis

nobis conferri & donari illius *καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος δόξης, excellenter excellentis ponderis gratiæ æternæ atq; cœlestis*, 2.*Cor*.4.17. quod jus proximè dependet à Justitia Christi, quâ ipse Legi pro nobis satisfecit, quæ non aliter nobis accepta fertur, ac si nos ipsi eâ præditi essemus. Sed de his postea pluribus aliquid monebo in Quæstionibus sequentibus.

B. *Quomodo* probet Apostolus suam thesin ex Davidis testimonio, quod recitatur *vers*.7,8. Argumentatur à *Justificationis effecto*, videlicet Hominis *μακαρισμῷ*, seu felicitate & salute æternâ. Ratiocinatio Apostoli huc tendit.

Quomodo Homo beatificatur aut salvatur, eodem modo justificatur. Hæc propositio Paulo meritò est *ἰσαγώνιος*. *Rat*. 1. Quia Justificatio est pars *τοῦ μακαρισμοῦ* Hominis. 2. Quia est fundamentum & causa proxima consummationis illius, id est, plenæ nostræ in altera Vita glorificationis.

Atqui beatificatur Homo non ex operibus, sed per imputationem justitiæ absque operibus.

Ergo eodem modo justificatur.

Minorem Paulus porrò ex allegato testimonio Davidico sic vult probare:

Si *μακαρισμὸς* contingat 1. non justo Homini, sed *ἀνόμῳ*, Legis transgressori & peccatori: 2. per transgressionum & peccatorum remissionem, obtectionem & non imputationem: sequitur, Hominem non ex operibus, sed per imputationem justitiæ absque operibus beatificari & salvari.

Antecedens est verum, ex testimonio Davidico, quod ipse suo exemplo confirmavit *ibid.Psal*.32.3,4,5.

Ergo & consequens.

QVÆSTIONES, ex *Cap.IV.vers*.1--8.

***Quæst*. I. Quænam *Opera* intelligat Apostolus, *vers*.2. quum negat, Abrahamum ex operibus esse coram Deo justificatum?**

Resp. Pontificii dicunt, intelligi tantùm Opera, quæ fiant absque fide & gratia, non illa, quæ fiant per gratiam ex fide. Ast 1. Paulus nullum facit discrimen. 2. Opera bonâ absque fide nulla sunt, cùm *quicquid fit absq; fide, peccatum sit*, *Rom*.14.23. Quid ergo opus esset operibus malis derogare Justificationem? 3. Omnia opera intelligit,

de quibus possemus gloriari apud Deum, ut patet ex verbis seqq. *vers.2.* Atqui etiam opera ex fide edita possent conciliare Homini gloriationem aliquam apud Deum, quia virtute istorum operum Homo justificaretur apud Deum, adeóq. non *δωρεὰν*, *gratis*, ut suprà dixerat Apostolus. Adde, quod Pontificii opera illa non tantum gratiæ Dei, sed & libero Hominis arbitrio accepta ferant, imo statuant esse merita ex condigno. 4. Hinc merces operibus talibus contingit non ex gratia, sed ex debito, juxta Apostoli assertionem, *vers.4.* Statuendum ergo, Paulum simpliciter & universaliter intelligere hoc loco omnia opera, quibus etiam opponit Fidem, quæ justificare dicitur opposite ad Opera, ut nimirum hæc à Justificationis causis prorsus removeantur, & intelligatur, Fides justificare non effective, seu virtualiter & meritorie: sed tantum organice & objective. Hinc ait Augustinus: *Opera bona non præcedere justificandos, sed sequi justificatos.*

Quæst. II. Nunquid Paulus, negans *vers.2.* Abrahamum fuisse justificatum ex operibus; repugnet Jacobo *cap.2 v.21.* id affirmanti: cum videlicet obtulisset Isaacum filium suum super altari?

Resp. Nulla est *ἀντιλογία*, uti suprà quoque monitum. Quia Paulus loquitur de *Justificatione* Abrahami *apud Deum*, voce *propriè* sumptâ: Jacobus autem loquitur de *Justificatione*, sumptâ *impropriè*, *ostensivè* nimirum, *coram Hominibus*, & intelligit ratificationem & declarationem ejus ex effectis, nihilque vult aliud dicere, quàm Abrahamum ex operibus, tanquam testimoniis Fidei declaratum fuisse justificatum etiam antea per fidem. Et Jacobo, ut nuper dixi, ibi loci non est propositum, docere, quomodo vel Abrahamus, vel alius Sanctus justificetur coram Deo: sed tantum, quænam sit vera Fides justificans, quæ videlicet se efficacem exhibet per bona Opera, ut ex his tanquam testimoniis possit argui & Fidei & Justificationis apud Deum veritas.

Quæst. III. Quia *vers.3.* dicitur, *Abrahamum credidisse*, Fides autem requirat Verbum Dei, *Rom.10.17.* quodnam fuerit illud Verbum Dei?

Resp. Fuit *Verbum promissionis*, ut patet ex *vers.16. & seqq. hujus Capitis.* Hoc enim Verbum Promissionis est proprium objectum Fidei justificantis, cum notum sit, omne Verbum Dei, totamque Scripturam S. ei cum Fide historica esse objectum commune. Heic autem observandum, *Promissionem*, cui fidem adhibuit Abraham, non fuisse tantùm temporalem & corporalem, v.g. de multiplicatione Seminis; sed imprimis spiritualem & æternam. Fuit enim Promissio annexa Fœderi, *Genes.15.* cujus fundamentum fuit CHRISTUS, ex Abrahamo nasciturus, qui primariò nomine *Seminis*, Abrahamo promissi, intelligendus venit. *Galat.3.16.*

Quæst. IV. Quo sensu *eodem vers.3.* dicatur, Abrahamo, & *vers.5.* in genere omni credenti, Fides imputata ad justitiam?

Resp. I. *Papistæ* id sic accipiunt, quasi Fides propter suam dignitatem & virtutem fuisset Abrahamo imputata ad Justitiam. Itaq: Fidem faciunt causam meritoriam Justificationis, sed prorsus contra Apostoli scopum & mentem. *Rat.* 1. Quia sic Justificatio esset ex operibus, quod negaverat Paulus de Abrahamo, *vers.2.* 2. Quia sic *καύχημα* aliquod seu gloriationem habuisset Abraham coram Deo, scilicet Fidei, contra *eundem versum 2.* 3. Quia non solùm Fides, sed alia quoque præclara opera & virtutes Abrahæ venirent in censum Justificationis, v.g. desertio Patriæ, liberatio Lothi captivi, immolatio Filii, &c. Atqui Paulus Justificationem tantùm Fidei Abrahami adscribit. 4. Quia merces fuisset Abrahæ imputata ex debito, contra *vers.4.5.*

II. *Sociniani*, cum eorum similibus, sentiunt, non quidem Fidem Abrahæ imputatam ad Justitiam propter ejus virtutem, dignitatem, meritum; sed ex gratia, seu per gratuitam acceptilationem Fidei loco justitiæ, quia Deus loco justitiæ Fidem in nobis

acce

acceptet: sed falsum est dogma. Nam 1. imputari non potest, quod non est, fatente ipso Socino. Fides autem juxta eos non est justitia, sed tantùm loco-tenens & veluti vicaria Justitiæ: quomodo ergo imputabitur ad Justitiam? Itaque si Justitia imputatur, ut habetur *vers.6.* necesse est alienam imputari, scilicet Christi. 2. Quomodo sine Operibus imputatur justitia, uti habetur *vers.6.* si Fides acceptetur à Deo pro justitia? Nunquid Fides, & nominatim *τὸ Credere,* quod attribuitur Abrahamo *vers.3.* est opus & pars justitiæ?

III. Dicendum ergo, ad justitiam imputari Fidem, consideratam non *absolutè & in se,* sed *relatè* ad Christum, & justitiam Christi, quam Fides apprehendit in promissione Evangelii, & credenti applicat. Alii dicunt, Fidem dici imputari, non *quâ* creditur, sed *quæ* creditur, ut Fides sumatur metaleptice, pro re creditâ. Sensus tamen eòdem redit.

Quæst. V. Cur eodem *vers.3.* dicatur Abrahamo Fides, quâ credidit Promissioni Dei de Semine suo, imputata ad Justitiam? *Gen.15.6. Rat.dub.* quia in prima statim vocatione, quâ egressus fuit è Patria sua, fidem jam habuit, quâ Deo vocanti obedivit. *Gen.12.4. Heb.11.8.*

Resp. Intelligendum id de Abrahamo non per imputationis Fidei *inchoationem*; antea enim jam fuerat justificatus: sed per ejusdem *continuationem & progressum.* sicut etiam quotidie nobis peccata remitti dicuntur: & singuli actus fidei secum ferunt renovationem hujus beneficii Justificationis, quoad ejus sensum in nobis.

Quæst. VI. Nunquid Justificatio Operum possit colligi ex *vers.4.* quia dicat Apostolus: *operanti mercedem imputari ex debito?*

Resp. Minimè gentium, quia Apostolus ex hypothesi loquitur: si quis videlicet esset, qui Legi perfectam Obedientiam præstaret, & Opera perfectè bona ederet, uti præsumebant sapientes ex Gentibus, & Justitiarii inter Judæos. quanquam ne sic quidem Merces ex debito, propriè dicto, operibus competeret, cùm Deus nullius Hominis sit debitor, *Rom.11.35.* & omnia nostra bona Opera, tametsi perfecta essent, tamen debita essent, *Luc.17.10.* sed tantùm ex gratioso & benefico Dei pacto, quo benè operantibus mercedem promittit, *Levit.18.5. Ezech.18.5.&c.* Atqui nullus Hominum est sub Sole, qui ullum aliquod perfectè bonum opus edere, nedum Legem perfectè præstare possit, uti suprà monitum *Cap.3.19,20.*

Quæst. VII. Cur dicat Apostolus, *Operanti,* si quis videlicet perfectè Legem servaret, Deum *mercedem imputaturum ex debito, & non ex gratia? Rat. dubit.* quia jam dictum, Deum ne benè quidem operantium fore debitorem.

Resp. Quum *debitum gratiæ* opponitur, debet intelligi *Debitum* non *simpliciter,* sed *κατά τι*: non *absolutè,* sed *comparatè.* 1. *Debitum* videlicet, quatenus benè operans non esset promeritus peccato suo mortem æternam, mercedi bonorum Operum oppositam. 2. *Comparatè,* quatenus videlicet propter Pactum legale Merces bonorum operum, v.g. Vita æterna, videri posset debita, non gratuita, respectu illius gratiæ, quæ fit Homini peccatori non operanti, cui Salus obtingit per Remissionem peccatorum. 3. Dici potest, dictum hoc esse non ex rei veritate, sed ex operarii opinione. Nam *ἐργαζόμενοι,* operarii, tanquam Mercenarii, semper urgent sua merita, & Deum sibi volunt esse debitorem, non gratuitum remuneratorem.

Quæst. VIII. Cur Paulus *vers.5.* dicat, *Deum justificare impium*: cùm alibi videatur dici contrarium, 1. *Reg.8.32.*?

Resp. 1. Locus in libro Regum intelligi potest de *Justitia* non *Personæ,* ut vocant,

cant, sed *causa*. 2. Si extendatur ad justificationem Personæ, nomen ***Justificationis*** accipiendum metonymicè, pro remuneratione justorum, ut verba sequentia insinuant, quæ sequitur eorum justitiam, sed non nisi cum venia defectus ejus & imperfectionis. 3. Ita justificat Deus impium, ut nihil agat contra justitiam suam. Justificat enim eum per suam misericordiam, propter justitiam & satisfactionem Christi ei imputatam. Neque ipsum in impietate relinquit, sed per Spiritum suum sanctificat, ut impietatem deserat.

Quæst. IX. Quomodo possit Justitia, tanquam aliena, quæ sit extra nos, nobis imputari? Pontificiis hoc perabsurdum videtur. Ajunt enim, perinde esse, atque si quis diceret indoctum, ægrotum, mortuum posse per imputationem alterius doctrinæ, sanitatis, vitæ, dici doctum, sanum, vivum?

Resp. Non est prorsus ἄτοπον. *Ratio* est, quia, ut quis habeatur doctus, sanus, vivus, requiritur ut talis sit subjectivè & inhærenter: nec tales possunt in judicio vel Divino, vel Humano ullâ ratione imputativè sumi. Sunt enim attributa mere personalia, quæ per imputationem in judicio forensi cum altero communicari non possunt. Sicut non possum ego dici dives per alterius divitias, solâ imputatione, nisi simul illæ divitiæ ad me transeant per donationem, hæreditatem, aut alio modo. Alia longè ratio est Justitiæ Christi nobis imputatæ. Quanquam enim subjectivè ea sit propria ipsius Christi, tamen propter Christi sponsionem & fidejussionem fit nostra imputativè: sicut etiã peccatum primum Adami, quod Pontificii negare non possunt, nostrum est imputativè. *Rom.* 5.12. *Rat.* Quia in Judicio Dei ea consideratur in ordine ad eventum aliquem forensem, videlicet abjudicationis pœnæ, & adjudicationis præmii. *Simil.* Ut quum mihi ceu Sponsori, alterius debitum imputatur ad præstandam illius solutionem. Semper Pontificii ludunt confusione Sanctificationis, quæ requirit virtutes inhærentes, & Justificationis, quæ tota est forensis significationis & usurpationis, quanquam etiam necessariò secum trahat inhærentem, quamvis non justificantem justitiam.

Quæst. X. Quia Apostolus *vers.* 6, 7, 8. ex Remissione peccatorum concludit gratuitam Justitiæ imputationem: an non Remissio peccatorum & Imputatio justitiæ æquipolleant; adeóque tota Justificatio comprehendatur sub ambitu & peripheria Remissionis peccatorum?

Resp. I. Fatendum est, beneficia ista individuo nexu in actu integrali Justificationis nostræ esse conjuncta. Cuicunq; enim à Deo remittuntur peccata, eidem quoq; imputatur justitia. Ac sanè, sicut obedientia Christi, quam vocant passivam, non potest divelli ab activa, à qua nomen obedientiæ ducit; & vicissim activa non fuit absq; passionibus: ita utriusque fructus seu effecta, illius quidem, Remissio peccatorum; hujus autem, Imputatio justitiæ à se invicem divelli nequeunt.

II. Interim certum est, duo esse distincta beneficia. Nam sicut aliud est beneficium, quum Judex facinorosum à morte absolvit, condonando ei delicta: aliud, quum ipsum Senatoriâ dignitate dignum judicat, perinde ac si eam suâ virtute promeritus esset: ita aliud est beneficium, quum Deus remissis peccatis nos, propter passionem & mortem Christi, absolvit à pœna & condemnatione; aliud, quum propter imputatam nobis Justitiam Christi, id est, perfectam Obedientiam, quâ ipse mandatis Legis loco nostro satisfecit, nos dignos judicat præmio Vitæ & Gloriæ cœlestis. Sicut differunt peccatum & justitia, ita differt Remissio, sive non imputatio peccatorum, ab Imputatione Justitiæ. Videat Lector, si placet, quæ pluribus in hanc rem scripsi in Vindiciis ad Lib. III. Instit. Calvini, Cap. 11. *Theatr. Sapient. Cœlest. pag.* 420. *& seqq.*

Object.

Object. Atqui Paulus videtur *verf.6,7,8.* ex testimonio Davidis innuere Imputationis justitiæ & Remissionis peccatorum æquipollentiam. Indicat enim, Davidem Hominis μακαρισμὸν constituere in Imputatione justitiæ absq; operibus: quia eundem μακαρισμὸν collocet in Remissione peccatorum.

Resp. Paulus non argumentatur ab æquipollentia, sed ab ἀκολουθίᾳ, individuo nexu, & mutua consequutione utriusque beneficii, quæ nititur individuo nexu caussarum utriusque, ut dixi, non quidem ex natura rei, sed ex Dei gratiosa & liberali ordinatione, qui nemini remittit peccata, cui non imputet justitiam. Confert enim Deus Homini utrumque beneficium in Christo & propter Christum, qui utrumque promeruit Homini suis tum activis passionibus, tùm actionibus passivis, adeò, ut qui dicit unum, dicat, id est, inferat & alterum. Paulus alibi *Charitatem* dicit *esse impletionem Legis, Rom.* 13.8. non quod Lex tota sit posita in charitate proximi; sed quia ad hanc consequitur tota impletio Legis. Nam ubi est charitas proximi, ibi quoque Dei. 1. *Joh.* 4. 21. Sic dicit Paulus ex Davide, Μακαρισμὸν & Justificationem esse sitam in Remissione peccatorum, non quòd in sola illa sita sit, sed quia secum trahit imputationem justitiæ.

Chrysostomus ad hunc locum arbitratur, Paulum argumentari à minori ad majus: *Si enim, inquit, beatus est, qui Remissionem peccatorum gratuitò accipit; multò magis, qui justificatus etiam est, fidemq; ostendit. Ubi verò beatitudo fuerit, tàm abest, ut dedecori sit locus, ut etiamnùm quàm plurima illic obtineat gloria. Quid enim aliud est beatitudo, quàm excellentia quadam & gloria præmiorum? &c.*

II. *De Justificationis Subjecto.*

De SUBIECTO Justificationis nunc agit Apostolus, *Credentibus* videlicet ex *Gentibus* & *Judæis.*

Διότι. *Scopus* Apostoli, 1. propter *Gentiles,* ne illi viderentur à Justitia exclusi. 2. Propter *Judæos,* ne hi in Circumcisione externa, & Lege, contemptis & posthabitis fidelibus ex Gentibus, gloriarentur, more solito.

Summa huc redit: 1. non solùm *Judæos,* sed & *Gentiles,* videlicet fideles ex Gentibus, esse Justitiæ participes. 2. *Judæos,* qui justitiam consequuntur, ejus fieri participes, non per aut propter Circumcisionem, & Legem, (in quibus tantoperè gloriabantur;) sed per fidem tantùm, insistentes scilicet vestigiis Patris Abrahami. Utrumque hoc præclarè Apostolus demonstrat tùm *Gentilibus,* tùm *Judæis.*

א. *Exemplo* ABRAHAMI.

Demonstrationem hanc persequitur Apostolus *verf.9--12.* In ea sequentia consideranda:

I. *Thesis,* quæ ab Apostolo proponitur ἐρωτηματικῶς, *v.9.a. Ista igitur beatitatis prædicatio in circumcisionem* solùm, *an & in præputium* cadit? Observand. heic,

1. *Nexus,* indigitatus particulâ οὖν, *igitur,* qui fit per illationem ex

superioribus, ubi Abrahami exemplo docuit, Justificationem fieri per fidem, ex gratia, non ex operibus, & proximè illud confirmaverat & illustraverat testimonio Davidico, *Psal. 32. 1.* Q. D. Quia res ita se habet, quòd videlicet beati sint, non operarii, *ἐργαταὶ τοῦ νόμου*, sed credentes, quibus Deus peccata remittit.

2. *Summa*: Quæro nunc, an *Μακαρισμὸς* iste pertineat tantùm ad Judæos, an verò quoque ad Gentes? *Μακαρισμὸς* Apostolo non est simpliciter *salus*, sed *salutis ratio*, aut *salvandi modus*: *Circumcisio* ipsi sunt Judæi: *præputium*, Gentes. Interrogatio autē ista vim habet affirmationis, ut summa huc redeat: *Μακαρισμοῦ hujus participes sunt non solùm Judæi, sed & Gentes*, sive partim *Judæi*, partim *Gentes*.

II. *Hypothesis*, quam substernit sequenti *Confirmationi*, fundamenti instar. Repetitur hæc ex verbis præced. *v. 9. b. Dicimus enim imputatam fuisse fidem Abrahamo pro Justitia.* Hoc principii instar præsupponit, ad demonstrationem sequentem. Non necesse est ulteriùs explicari hoc dictum, quod Apostolus antea ex *Gen. 15. 6.* depromserat. In eo ratio justificationis Abrahæ aut modus indicatur, videlicet per Fidem.

III. *Confirmatio*, à Paulo ex hoc principio deducta, quæ desumpta, ut dixi, ab exemplo & persona justificati Abrahæ. Potest autem ea in hunc Syllogismum redigi:

Quæ ratio est justificati Abrahami, eadem ratio est omnium aliorum, qui justificantur.

Atqui justificati Abrahami hæc est ratio, ut non in Circumcisione existens (aut circumcisus) sed in præputio (antequàm circumcisus esset) credens tamen (aut per fidem) fuerit justificatus.

Ergo eadem est ratio omnium aliorum Hominum, qui justificantur: & per consequens 1. non soli circumcisi, id est, *Judæi*, sed & præputiati *Gentiles*, modò credant, exemplo Abrahæ, justificantur. 2. Circumcisi ipsi, id est, *Judæi*, non propter circumcisionem, sed per fidem justificantur, exemplo Abrahæ.

Hic Syllogismus transpositis propositionibus integer invenitur hoc loco. Nam

1. *Primo loco* ponitur *Assumptio*, & ostenditur ab Apostolo ratio Justificationis Abrahæ, *v. 10.* per interrogationē & respon-

ſponſionem, *v.10. Quomodo ergo imputata eſt? quum eſſet in circumciſione, an quum eſſet in præputio? Non in circumciſione, ſed in præputio.* Summa eſt, Abrahamum diù antè fuiſſe juſtificatum, antequam circumciſus fuiſſet. Et cōſentit hoc cum hiſtoria Moſaica & tempore (quod Apoſtolum apparet, tanquam diligentem Lectorem, accuratè ſupputâſſe,) videlicet ante annos 14. Nam promiſſionem, cujus fide dicitur juſtificatus, *Geneſ.15.6.* accepit anno confirmatæ pactionis, *Gal.3.17.* qui fuit 10. poſt ingreſſum in Cananæam, ætatis 85. quo Agaram ancillam Vxorem duxit, ex qua ſequente anno 86. Iſmaëlem ſuſcepit. *Geneſ.16.4 15.* Circumciſionem verò accepit demùm anno ætatis 99. Iſmaële annos jam 13. nato, ut videre eſt *Geneſ.17.1,25.* Vnde evidenter patet, Abrahamum non in circumciſione, ſed in præputio fuiſſe juſtificatum.

Occupatio. Quia autem potuiſſet quis objicere Paulo: Quid ergo Circumciſione opus fuit, ſi jam antè juſtitiam accepit, & non per Circumciſionem fuit juſtificatus?

Reſp. Vult Paulus hanc Objectionem prævenire *v.11.a.* dicens: ***Et ſignum accepit Circumciſionis***, quod eſſet *ſigillum juſtitiæ fidei, receptæ in præputio.* Vbi indicare vult Apoſtolus, non propterea inutilem fuiſſe Circumciſionem. Nam etſi non fuerit utilis ad hoc, ut juſtitiam afferret Abrahamo: tamen fuiſſe utilem ad hoc, ut juſtitiam fidei jam acceptam ipſi magis confirmaret. Idcircò dicit *v.11. quòd obſignârit Juſtitiam fidei, quæ fuerat in præputio.* Conſider. heic,

α. *Subjectum, Signum Circumciſionis*, i.e. Circumciſio, quam vocat *Signum*, quia aliud fuit, aliud ſignificavit.

β. *Attributum. Accepit.* Indicatur relatio dantis & accipientis, i.e. Dei & Abrahæ. *Finis: σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ.* Vbi *uſum* & *Finem* notat Circumciſionis, metaphorâ aut ſimilitudine deſumptâ à Sigillo, quod appenditur literis aut Teſtamento. Sicut enim Sigillo muniuntur literæ, & Teſtamentum, atque in eo voluntas Teſtatoris ſubarrhatur: ita Deus Circumciſione Abrahamo injunctâ ipſi corroboravit Fœdus, in quo promiſerat ipſi, quòd ſit, propter ſemen, videlicet Chriſtum, futurus ipſius Deus, quam promiſſionem Abraham fide apprehendit. Idcircò meminit *Juſtitiæ Fi-*

dei, ac dicit, *Circumcisionem* fuisse *Sigillum*. NOTA. Apostolum non tantùm dicere, *Fidei*, sed, *Justitiæ Fidei.* nam Circumcisio non tantùm demonstrabat *Fidem* Abrahami, sed etiam beneficium fide apprehensum obsignabat, videlicet *Justitiam.*

2. *Secundo loco* ponitur *Major Propositio, vers.11.b. ut esset Pater omnium credentium in præputio.* Quæ enim ratio est Patris ad Filium, eadem ratio Abrahami ad justificatos.

Notandum heic, ipsum vocari *Patrem credentium* & justificatorum, seu qui justificantur, non *effectivè*, quasi Abraham futurus esset Fidei effector in omnibus, aut generaturus ex se fideles. Nam hoc respectu solus Deus per Spiritum S. est Pater fidelium: quippe *qui non ex sanguine, neq; ex libidine Carnis, neq; ex libidine Viri, sed ex Deo gignuntur, Joh.1.13.* juxta illud Tertulliani: *Fiunt, non nascuntur Christiani.* sed analogicè, (verba sunt Clariss. Parei) *propter gratiam Fœderis et datam eâ lege & jure, ut sicut Patres ad Liberos naturales hæreditatem & jura sua transmittunt; sic ipse Patris instar ad omnes fideles justitiam Fidei. & κληρονομίαν gratuitum, fœdere, doctrinâ & exemplo suo propagaret.*

3. *Tertio loco Conclusio* ponitur, tanquã Applicatio exempli Abrahamici tùm ad credentes *Gentiles*, tùm ad credentes *Judæos.*

α. De *Gentilibus, v.11.c. ut imputetur etiã ipsis justitia:* ubi apertè concludit, etiam credentes in præputio, id est, Gentiles, participes esse Justitiæ.

β. De *Judæis, v.12. Et Pater Circumcisionis iis, qui non solùm sunt ex Circumcisione, sed qui etiam incedunt vestigiis fidei Patris nostri Abrahami, quæ fuit in præputio.* Vbi cõcludit, Judæos circumcisos participes esse Justitiæ, ast nõ per Circumcisionem, sed per Fidem, &c. Idcircò dicit: *Pater circumcisionis, τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον, sed qui etiam, &c.* ubi τὸ μόνον non est διακριτικὸν aut distinctivum Judæorum à Gentibus, sed Judæorum, in carne tantùm circumcisorum, ab iis, qui etiam circumcisi sunt spiritualiter. Q. D. Concedo, Abrahamum esse Patrem circumcisorum, eosque ad ejus exemplum justificari, sed non propterea, quòd circumcisi sunt, sed quia insistunt vestigiis Patris sui, videlicet Abrahami, id est, quia credunt.

3. *Ex*

3. *Ex Promissione* DEI *Abrahamo facta.*

Sequitur Demonstratio Pauli, quæ desumpta est à *Promissione Dei*, Abrahamo facta, quâ quidem duo Apostolus probat:

A. *Judæos* circumcisos non aliter Justitiæ participes esse & salutis, quam per fidem. Hoc nunc deinceps confirmare vult, & tria ista ostendere. 1. Abrahamum Judæorum salvandorum esse Patrem, non Circumcisionis, sed Fidei respectu; & per consequens, quà salvandos, non alio respectu, filios esse ipsos Abrahami: Relatorum enim idem est judicium. 2. Neque aliter quoque apud Deum justificari. 3. Hinc neque aliter salvari. Quæ quidem erant ex superioribus probanda.

Videndum nunc, quomodo probet? Ex Promissione Abrahamo & ejus semini factâ, *v.13. Non enim per Legem Promissio cessit Abrahamo, aut semini ejus, ut hæres esset Mundi; sed per justitiam Fidei.* Potest Pauli argumentum in hunc Syllogismum redigi.

Per quod Abrahamo & Semini ejus facta est promissio hæreditatis, per illud etiam contingit ipsis hæreditas, & per consequens Justitia, quæ hæreditatis est fundamentum.

Atqui Promissio facta est Abrahamo & semini ejus seu posteris non per Legem, sed per Justitiam fidei. ubi occurrunt observanda sequentia.

1. Quam intelligat *Promissionem*; non priorem de semine, sed posteriore de hæreditate Mundi, ut patebit ex *Quæstionibus.*
2. Quam intelligat *Mundi hæreditatem.* Quidam intelligunt Nationes totius Mundi, ad fidem in Novo Testamento adducendas. Alii terram Canaan, sed sub ejus typo Mundum, quoad jus; & Mundum venturum sive cœlestem, quoad exspectatam fruitionem. Sed de his plura in *Quæstionibus.*
3. Quod dicat, non *per Legem*, neque moralem, neque ceremonialem, neque naturæ:
4. Sed *per Fidem*, quia credendo Abraham consecutus fuit promissionem priorem.
5. Quod adjungat *Justitiam.* Nam Justitia prior est hæreditate & salute; sicut Justificatio prior est Glorificatione.

Ergo sequitur, Judæis, tanquam filiis Abrahami, hæreditatem,

ſalutem, & per conſequens Juſtitiam contingere, non per Legem, ſed per Juſtitiam fidei.

Minorem probat Paulus juxta utrumque λῆμμα.

א. Non per *opera*. *Rationes* ab abſurdo.

α. Quia ſic fides redderetur inanis, *v.14.a. Etenim ſi ii, qui ex Lege ſunt, hæredes ſunt, inanis facta eſt Fides.* Sic *Gal.3.18.& 2.21. Ratio*: quia oppoſita ſunt, ſalus ex Lege vel operibus, & ſalus ex Fide. Nam ſalus ex Lege & operibus eſt meritoria: ſalus autem ex Fide gratuita eſt. Ita ſuprà *verſ.4.& Cap.11.6.*

β. Quia promiſſio, adeóque ſalus & hæreditas redderetur inanis. *v.14.b. & caſſa reddita eſt illa promiſſio. Ratio* eſt à contrario effectu: quia Lex iram efficit, id eſt, mortem & condemnationem. Ergo non ſalutem. *Probatur*: Vbi non eſt Lex, ibi neque eſt transgreſſio: Ergo ubi eſt Lex, ibi eſt transgreſſio. *v.15. Nam Lex iram efficit: ubi enim non eſt Lex, ibi nec transgreſſio eſt.* Sic oſtendit & probat impotentiam Legis ad ſalutem: quia oſtendit, patefacit, & coarguit transgreſſionem, & minatur mortem.

ב. Sed per *fidem*. *Probat* Apoſtolus ex *Promiſſionis*

1. *Cauſâ impulſivâ*, Gratiâ DEI. *v.16.a. Propterea ex fide eſt hæreditas, ut ſit per gratiam.* Q. D. Si ex gratia, ergo ex fide, & non ex operibus, & contrà. Atqui ex gratia, ſeu gratuita eſt promiſſio. Ergo.

2. *Adjunctâ* firmitate, conſtantiâ, *verſ.16. ut firma ſit ἐπαγγελία.* Q. D. Si firma debet eſſe promiſſio Semini, tùm ex Fide, & non ex operibus. *Rat.* Quia *Fides* nititur Dei gratiâ & benevolentiâ, quæ perennis & immutabilis eſt: *Opera* autẽ nituntur Humanâ Juſtitiâ, quæ mutabilis eſt. Atque hoc primum probandum erat ex promiſſione, Abrahamo factâ, de *Judæis* ſcilicet.

B. Sequitur nunc *alterum* de *Gentibus*. Sicut enim nuper ex *tempore* & *exemplo* juſtificati Abrahami (videlicet in *præputio*) probaverat, Juſtitiam quoque pertinere ad *Gentes* præputiatas, modò credant: ita idem nunc vult probare ex promiſſione Abrahamo factâ.

1. Quia Promiſſio ſit facta non uni parti ſeminis, ſed *toti ſemini*, id eſt, non ſolùm Judæis fidelibus, ſed & Gentibus, qui ſemen Abrahæ ſunt per fidem, *v.16. ut firma ſit promiſſio toti ſemini,*

mini, id eſt, *non ſolùm ei, quod* eſt *ex Lege, verùm etiam ei, quod* eſt *ex fide Abrahami.*

2. Quia Promiſſio ſit facta *ipſi*. (Relativum heic habet vim cauſalem) ceu *Patri omnium noſtrûm*, non ſolùm Judæorum, ſed & Gentium. Idcircò addit *ibid. v. 16. qui eſt Pater omnium noſtrûm.* Id probat ex promiſſione alia, *(Gen. 17. 5.) v. 17. ſicut ſcriptum eſt : Patrem multarum Gentium conſtitui te.* ubi habetur promiſſio *Paternitatis* facta Abrahæ. Atque, ut ratio iſtius Paternitatis intelligatur, explicat eam Paulus à modo & forma quadam ſua, cùm addit: *Patrem eum factum coram Deo*, id eſt, non carnali generatione, ſed ſpirituali modo, Dei æſtimatione & imputatione. Et innuitur ſimul *Cauſa* tùm *impulſiva*, quæ non lateat vel in Abrahamo, vel in Gentibus, ſed in ſolo Deo: tùm *instrumentalis, Fides* Abrahæ: idcircò habetur in periphraſi DEI; *cui credidit.* ſimul Fidei hujus fundamētum monſtrat, videlicet DEI *omnipotentiam*, quæ ex duobus *effectis* & documētis oſtenditur, videlicet 1. Vivificatione mortuorum: 2. Creatione ex nihilo: quum deſcribit DEVM, *vivificantem mortuos, & vocantem, quæ non ſunt, tanquam ſint.*

QVÆSTIONES,
ex *Cap. IV. verſ. 9--17.*

Quæſt. I. Quo ſenſu *Circumciſio* vocetur à Paulo *verſ. 11. Signum*, itemq; *Sigillum juſtitiæ fidei?*

Reſp. Signi Vox, quæ generalior eſt, denotat id, quod aliud eſt, aliud ſignificat. Sic *Sacramenta* vocantur ab Auguſtino *Signa viſibilia inviſibilis gratiæ*: quæ non tantùm habent conjunctam ſignificationem, ſed & analogiam & ſimilitudinem cum rebus ſignatis. quo ſenſu Auguſtinus iterùm ſcribit: *Si Sacramenta non haberent ſimilitudinem cum iis rebus, quas ſignificant, non fore Sacramenta.* Circumciſio quoq; hactenus *ſignum* eſt & vocatur à Paulo, & Deo ipſo, *Gen. 17. 11.* quia fuit *Signum fœderis*, quo Deus Abrahamum ejuſque ſemen voluit diſtinguere à Gentibus, & ſimul commonefacere de interna & ſpirituali Circumciſione Cordis. *Col. 2. 11. Deut. 30. 6.*

Σφραγὶδος, *Sigilli* vox plus denotat, nempe non tantùm ſimplicem ſignificationem, ſed huic connexam obſignationem rei ſignatæ, quæ fit ei, cui ſignum confertur. Ita ſigilla & σφραγῖδες vocantur, quæ Literis, teſtamentis, & diplomatis Regiis appendi ſolent, ad eorum ratificationem. Origenes *Circumciſionem* putat vocari *ſignaculum*, eo ſenſu, quo res occultæ ſolent pro tempore in cuſtodia ſervari, donec reſignentur: quia myſterium, quo Abraham *Pater multarum Gentium* fuit à Deo deſignatus, in Veteri Teſtamento, ſaltèm incredulis, fuerit occultatum; noviſſimis demùm diebus patefaciendum. Hæc verò gloſſa arguta potiùs eſt, quàm ſolida, & ex mente Apoſtoli, qui ſatis indicat, Abrahamum ſignum Circumciſionis accepiſſe, non ad occultandam, ſed potiùs à Deo in ipſo & ejus poſteris, omnibuſq; credentibus, patefaciendam juſtitiam Fidei. Perperàm item alii *Signaculum* hoc interpretantur tantùm de uſu διακριτικῷ ſeu diſcretivo Judæorum à Gentibus.

Dicen-

Dicendum itaque, Paulum intelligere per *Sigillum*, Signum obsignatorium, quo Abrahamo confirmata fuit Promissio Dei ipsi in Fœdere facta. Cujus rei & beneficii? *Justitia Fidei*. Non *Justitia* aut Justificationis ex operibus. Neque enim Abraham per merita suorum operum ad Fœdus Dei & promissionem pertigit; quippe quem Deus primùm in Idololatrarum colluvie versantem, gratiosâ suâ vocatione dignatus fuit, *Jos.* 24.2,3. sed *Justitia Fidei*, id est, ejus Justitiæ, quam Abraham per fidem apprehendit & adeptus fuit in semine sibi à Deo promisso, id est, CHRISTO optimo maximo, ex ipso nascituro.

Obiter heic observentur duo:

1. Convenientia Sacramentorum Veteris & Novi Testamenti in eâdem substantiâ seu RE significata, juxta illud Augustini: *Sacramenta Veteris & Novi Testamenti specie diversa, re & significatione paria sunt*: ne cum Fanaticis Patribus Veteris Testamenti relinquamus umbram tantum, & solis fidelibus Novi Testamenti veritatem admetiamur, contra expressa Scripturæ testimonia. *Joh.* 8.56. *Act.* 15.11. *Heb.* 13.8.
2. Διάνοια & Sententia orthodoxa Phraseologiæ, quâ passim in Veteri & Novo Testamento Signis tribuitur nomen rei signatæ, utiq; non propter nexum essentialem & corporalem, sed Sacramentalem sive σημαντικὸν & σφραγιστικόν. Hinc, quo sensu *Circumcisio* dicitur *Fœdus*, quia fuit *Signum & Sigillum Fœderis*: eodem sensu *Baptismus*, ejus ἀντίτυπον, vocatur *lavacrum Regenerationis*, quia ejus est signum & σφραγίς. An Paulus Sacramentum Circumcisionis evacuavit gratiâ & Justitiâ Fidei, quum vocavit eam *sigillum* ejus: sicut Adversarii nostri identidem vociferantur, nos Signa sacramentalia evacuare, quòd signata de iis non per essentialem, sed Sacramentalem attributionem prædicari dicamus?

Quæst. II. Quo sensu Abraham vocetur ab Apostolo *Pater omnium credentium*, *vers.* 11. *Pater omnium nostrûm*, *vers.* 16. *Pater multarum Gentium*, *vers.* 17?

Resp. I. Jam in analysi aliquid monitum est, *Patrem* vocari *credentium* non naturæ & generationis physicæ respectu; cùm nec fides sit naturæ germen, nec omnes secundum carnem ab Abrahamo geniti fuerint credẽtes, imò major pars degeneraverit: sed 1. gratiosi Dei cum ipso initi fœderis & promissionis respectu. Habuit enim nõ tantum filios carnis, sed & promissionis, *Rom.* 9.8. 2. Per suum exemplum, tùm fidei, ut declaratur *vers.* 12. quando *Filii* dicuntur, *qui insistunt fidei Patris Abrahami*: tùm justitiæ per fidem imputatæ, ad cujus similitudinem aliis credentibus eadem justitia imputatur.

II. Quando Paulus vocat eum *Patrem omnium nostrûm*, vocem [*Omnes*] distributivè extendit ad omnes credentes, citra discrimen Nationum, tam Gentes, quam Judæos. Hinc eum quoq; *v.* 17. ex Mosaico testimonio vocat *Patrem multarum Gentium*: allusione procul dubio factâ ad nomen novissimum *Abrahami*, qui primùm *Abram* vocabatur, id est, *Pater excelsus*: subinde per interpositionem literæ aspiratæ *He*, à qua incipit apud Hebræos vox *Hamon*, significans *multitudinem*, à Deo vocatus fuit *Abraham*, *Gen.* 17.5. ut hâc ipsa nomenclatione ei promissio subarrharetur de ipsius paternitate, non restringenda ad filios carnales, Judæos; sed extendenda ad myriades filiorum spiritualium, sive credentium ex Gentibus.

Quæst. III. An præputiati quoque in Veteri Testamento fuerint consortes justitiæ atque salutis? *Rat. dub.* Quia Apostolus *vers.* 11. docet, Abrahamum jam in præputio fuisse justificatum.

Resp. Postquàm Deus cum Abrahamo fœdus iniit, quod postea ei per Circumcisionem

ſionem fuit obſignatum, ordinariè non niſi circumciſi, vi illius fœderis, juſtificati & ſalvati fuerunt: excepto illo tempore, quo, dum Iſraelitæ peregrinabantur in Ægypto & deſerto Circumciſio fuit ſuſpenſa. Et tamen novimus, extraordinariè nonnullos extra familiam Abrahæ juſtitiæ atque ſalutis fuiſſe participes factos, e.g. Melchiſedecum, Jobum cum Amicis, Jethronem Moſis Socerum, Naamin Syrum, Ebedmelechum, &c. in quorum præputiatorum ſalute Deus olim adumbrare voluit futuram in Novo Teſtamento Vocationem Gentium.

Quæſt. IV. Quo ſenſu *Abraham* dicatur eſſe *Hæres Mundi*, *verſ.* 13?

Reſp. Placet mihi eorum ſententia, qui, quum promiſſionis de hæreditate Mundi fit mentio, exiſtimant, Paulum reſpicere non ad Promiſſionem de *hærede ſemine*, videl. Mundo omnium electorum credentium; ſed ad promiſſionem *Gen.* 15.7. de *hæreditate Terræ*. Nam poſteaquàm Abraham credidit Promiſſioni de Semine & Hærede, eique credendo iuſtificatus fuit: tum demùm promiſit ei Deus hęreditatem Terræ Cananææ, quæ Synecdochicè heic *Mundi* nomine venit: quia ſub Cananææ terræ typo Abrahamo ejusque ſemini, inprimis vero Capiti Seminis, CHRISTO fuit promiſſa hæreditas totius Mundi, non ſolum præſentis, ſed & futuri atque cœleſtis. Puto ergo, promiſſionem hanc de Mundi hæreditate diſtinguendam eſſe ab altera promiſſione *de Semine*. *Rat.* Quia Paulus hoc *verſ.* 13. indicat, promiſſionem de *hæreditate Mundi* factam eſſe non ſolum *Abrahamo*, ſed & *Semini* ipſi. Et ſic poſtea *verſ.* 16. dicit, *Promiſſionem factam toti Semini*. Nam quòd poſtea *verſ.* 17. Promiſſionis fit mentio de Semine, id παρενθετικῶς factum eſt, ut explicaretur, quòd ſub finem *verſ.* 16. Abrahamum vocârit *Patrem omnium noſtrûm*, ut non ſit illa promiſſio, cujus *eodem verſ.* 16. mentio fit.

> *Object.* Aſt quomodo cohærebit *verſ.* 12. cum *verſ.* 13. per particulam γὰρ, tanquam ratiocinativam? quia videtur Paulus *verſ.* 13. voluiſſe probare, Abrahamum non per Legem, ſed per Fidem factum fuiſſe Patrem non ſolùm circumciſorum, ſed & credentium præputiatorum ex Gentibus?
>
> *Reſp.* Optima eſt συζυγία. quia quum Paulus *verſ.* 12. Abrahamum vocavit *Patrem omnium credentium* ex Gentibus atq; Judæis: hoc ipſo docuit omnes, hos eſſe Filios, & per conſequens Hæredes: adeò ut ſicut Abraham à Deo hæres Mundi conſtitutus, ſic quoque Filii ejus omnes in ipſo.

Quæſt. V. Quid Paulus *eodem verſ.* 13. per *Legem* intelligat?

Reſpondeo cum Calvino: *Commentum eorum, qui de Ceremoniis* vocem *Legis* interpretantur, *nullo negotio refellitur: quia, ſi quid afferrent opera ad Juſtificationem, dicendum potiùs erat, non per Legem ſcriptam, ſed per Legem naturæ. Atqui non ſpiritualem Vitæ ſanctitatem opponit Ceremoniis Paulus, ſed Fidem ejusq; juſtitiam.*

Quæſt. VI. Quo ſenſu *Lex* dicatur *operari iram*, *verſ.* 15?

Reſp. Non *per ſe* & ſuâ naturâ, ſed *per accidens*, Hominum prævaricatorum culpâ, uti poſtmodùm Apoſtolus explicat *Cap.* 7. *verſ.* 13. Sed cur fertur ea non tantum peccantibus, ſed ſimul iis, qui non poſſunt non peccare? *Reſp.* 1. propter peccantium Hominum debitum manens: 2. Propter ἀδυναμίας obedientiæ culpam hærentem in ipſis, ex primævo lapſu Protoplaſtorum, ex quo propter juſtam (ex fœdere Dei cum ipſis, & in ipſis cum tota poſteritate inito) ejus imputationem; omnes Homines in iſtam ἀδυναμίαν inciderunt, quæ Deo & Legi non aufert jus exactionis obedientiæ.

Quæst. VII. Cur dicat Apostolus *eodem vers.15. Ubi non est Lex, ibi non esse transgressionem?* An ergo Gentes, quæ Legem non habent, *Rom.2.14.* non sunt peccatores, contra illud, *Galat.2.15. Nos sumus naturâ Judæi, & non ex Gentibus peccatores?*

Resp. Apostolus non loquitur de simplici transgressione, à qua nemo Hominum eximitur. Hinc Gentes quoque, licèt Legem scriptam non habeant, tamen quia Legem habent cordibus insculptam, ab eadem in Conscientiis suis peccati convincuntur, uti suprà vidimus, *Rom.2.13,14.* Loquitur ergo de transgressione, quæ fit cum destinato proposito violandæ Legis, & justitiæ in ea à Deo patefactæ, ut sensus sit: Qui Lege scriptâ à Deo non est institutus, eum, si peccet, non esse reum tantæ transgressionis, quantæ convincitur is, qui Legem Dei contumaciter violavit. Comparate ergo Pauli dictum est intelligendum.

Quæst. VIII. Qua de causa Apostolus *vers.17.* objectum fidei Abrahami statuat Deum, cum hac periphrasi, quòd *vivificet mortuos, & vocet ea, quæ non sunt, ut sint?*

Resp. Opportunè hoc factum ab Apostolo, quia Deus ejusdem potentiæ, quâ mortuos vivificat, & ex nihilo omnia creavit, documenta edidit 1. in Abrahamo & Sara, quibus Deus promiserat Semen ex corporibus effœtis ac velut emortuis, uti postea *vers.19.* indigitatur. 2. In Gentibus, quas veluti aridas atq; emortuas in communionem fœderis ascivit, & cùm priùs vocarentur *non populus*, tandem vocatæ fuerunt *populus Dei, & filii Dei viventis, Hos.1.10. & 2.23. Rom.9.25,26. 1.Pet.2.10.*

III. *De Justificationis Instrumento, scilicet* FIDE IVSTIFICANTE, *ejusq; natura.*

Hactenus Apostolus hoc Cap.IV. agens in *hypothesi* de Justificatione nostra per fidem absque operibus, exemplo Abrahami docuit, tùm *Modum* & rationem, quâ justificamur, videlicet per imputationem Justitiæ (ἀρνητικῶς) non ex operibus; sed (θετικῶς) per fidem: tùm *Objectum* catholicum, Credentes omnes non solùm ex Judæis, sed & Gentibus. Nunc proporrò descendit Apostolus, in eadem hypothesi Abrahamici exempli persistens, ad descriptionem FIDEI IVSTIFICANTIS.

Occasio ei ex verbis præcedentibus *v.17.* quando dixit, *Abrahamum credidisse Deo, vivificanti mortuos, & vocanti τὰ μὴ ὄντα, ὡς ὄντα.*

Ordo hic est. Describit Abrahamicæ Fidei

I. *Naturam.* Ostendit enim ejus

1. *Modum, formam, quomodo* crediderit, *v.18.a. Qui contra spem sub spe credidit.* Chrysost. *Credidit contra spem, nempe Humanam; sub spe Dei.* Paucis: contra spem naturæ & carnis, quæ desperavit in effœta senecta ex effœta & sterili Conjuge sobolem, utì docetur postea, *v.19.* sub spe promissionis & gratiæ per fidem apprehensæ. Sed de hoc postea in *Quæstionibus.*

2. Ob-

2. *Objectum, quid* crediderit. *v.18.b. Credidit fore, ut ipse fieret Pater multarum Gentium*, quod jam attigerat *v.16,17.* & nunc proporrò iterum ex alio loco, *Genes.15.5.& 22.* confirmat, addens: *secundùm id, quod ei dictum fuerat; Ita erit semen tuum.* Sensus est, ut patet ex parallelismo seu collatione hujus & Mosaici loci: Abraham credidit, Semen, sibi à Deo promissum, tàm numerosum & gloriosum fore, atque sunt Stellæ innumerabiles & splendidæ in Cœlo.

Observetur autem heic diligenter, ut nuper monui, Abrahami fidem non tantùm inhiâsse corporali & temporali beneficio propagationis sui seminis in terra; sed potissimùm & prim rió recubuisse in Seminis hujus Caput, CHRISTVM, inquam, ex ipsius lumbis proditurum, & æternam in ipso justitiam, salutem & gloriam adipiscendam. Hic enim est primarius Apostolicæ hujus Disputationis scopus, quando Paulus Abrahamum in Theatrum producit.

II. *Agonem, certamen & pugnam, v.19,20,21.* In qua considerand.

1. *Tentationes* dubitationis & infidelitatis, quibus Abrahami fides fuit impetita. Has suggessit Caro, consideratio videlicet impotentiæ naturalis, tùm suæ, tùm Vxoris, Saræ. Erant enim, utì dixi, ambo grandævi, & ex parte steriles. Hinc ille risus Saræ, *Genes.18.10.*

2. *Ἀντίςασις* Abrahami, quâ tentationibus fuit reluctatus. Indicat Apostolus luctæ hujus & resistentiæ

A. *Modum*, idque tùm

a. *Ἀρνητικῶς. v.19. Minimè fuit factus infirmus.* Hoc magnum quid fuit, quòd fides ejus tàm gravibus tentationibus non cesserit, multò minùs succubuerit. Profectò miraculi loco habendum, quòd Dei nutu, Patriâ desertâ, clausis velut oculis in terram peregrinam, molestiis & periculis sibi infestam, se traduci passus fuit: quòd centenarius ex Conjuge effœta & sterili, audito Dei verbo, nec tamen confestim in effectum dato, exspectaverit semen, & quidem tale, quod suâ multitudine & copiâ esset superaturum Stellas Cœli & arenam Maris: imò quòd, quum Filium uni-

cum Isaacum ex Sara suscepisset, ex Dei mandato *(Genes.22.v.1. & seqq.)* manibus Patris jugulandum & concremandum, in ipsis Filii exspectatis cineribus fidem suam & spem non contumulaverit. Adde, quod Hæredem se terræ promissæ crediderit, in qua, præter sepulcrum, ne vestigium quidem plantæ pedis proprium habuerat, *Act.7.5.*

b. *Θετικῶς. Ibid.vers.19.b. ἀλλ' ἐνεδυναμώθη τῇ πίστει, sed corroboratus fuit fide.* Hoc vero longè plus & majus fuit: quòd fides ejus sub pondere tentationum creverit, & ad-instar palmæ, oneribus pressæ, majores subinde vires acquisiverit.

Β. *Media* & *fulcra*, quibus Abraham suam fidem sustentavit. A' se, id est, corpore suo & Saræ effœto convertit se ad DEVM, ejusq; promissionem. Idcircò porro dicit *v.20.c. Gloriam dedit Deo*: videlicet credendo & fidem adhibendo ejus promissioni. qui summus est honor, quem Deo in rebus dubiis & adversis debemus exhibere. Indicat autem Apostolus, quòd Fides Abrahami, ad sui sustentationem, in Deo spectaverit

a. *Fidem* & *Veritatem* Dei in promissionibus. *vers.21. πληροφορηθεὶς, plenè certioratus est, Deum, quod promiserat, effecturum.*

b. *Potentiam* Dei. Ideò statim addit: *posse etiam efficere.*

Γ. *Eventum*, fructum. Victoriam scilicet & triumphum. *vers.22. Quapropter etiam hoc imputatum est ei ad justitiam.* Observetur iterum, Justificationem Abrahami Fidei asscribi, non ex merito & virtute fidei, sed propter promissionem de Semine, in quam fides ejus recubuit.

PARS II. CAPITIS IV.

Hactenus ὑποθετικῶς de Justificatione Abrahami per fidem absque operibus egit Apostolus. Nunc sub finem Capitis per APPLICATIONEM ad omnes alios, juxta exemplum Abrahami credentes, *Hypothesin* revocat ad *Thesin, v.23,24,25.* Applicatio ista

I. *Proponitur, v.23. Non scriptum est autem propter eum solùm, quòd hoc imputatum fuerit ei, v.24.a. sed etiam propter nos.* Indicat Apostolus, quæ de Justificatione Abrahami per fidem à Mose fuerunt perscripta; pertinere ad omnes, qui sunt Fidei Abrahamicæ, sive ex Judæis, sive ex Gentibus.

II. *Explicatur*, quid & quomodo ad nos pertineat exemplum Abrahami justificati. Itaque ostendit,

1. *Sub-*

1. *Subjectum* hujus beneficii non esse tantùm Abrahamum, sed omnes credentes, *v.24. sed etiam propter nos, quibus futurum est, ut imputetur, iis* nimirum, *qui credunt.*

2. *Modum* hujus beneficii consequendi, videlicet per *Fidem.* Ideò, uti jam citavi, addit: *iis, qui credunt.* Non enim alia est nostræ, quàm Abrahamicæ justificationis ratio. Ne verò putaretur alia ratio aut natura fuisse Fidei Abrahami & nostræ: ideò Paulus convenientiam Abrahami & nostræ Fidei voluit verbis postremis hujus Capitis insinuare, *v.24. Qui credunt in eum, qui suscitavit IESUM, Dominum nostrum, ex mortuis.*

   α. Sicut Abraham credidit Deo, ejusq; promissioni, sic nos.

   β. Sicut Abraham credidit Deo vivificanti mortuos, & vocanti, quæ non sunt, ut sint, *v.17.* sic quoque nostram Fidem esse comparatam. *Rationes* appendit Apostolus, desumptas à consideratione beneficii hujus Dei, tùm

      a. Erga *Christum, v.24. Qui suscitavit Jesum, Dominum nostrum, ex mortuis.* In hoc utique se Deus patefecit esse vivificatorem mortuorum.

      b. Erga *nos* in & per Christum. *v.25. Qui traditus,* (scilicet in mortem) *propter offensas nostras, & suscitatus ad nostri Justificationem.*

         Præclarum hoc ἐπιφώνημα & clausula istius Capitis, quæ pangit totum Mysterium nostræ per Christum Redemptionis.

         1. *Causas efficientes.* α. *Originariam* & primam, Deum Patrem. *Traditus,* scilicet à Deo. β. *Mediantem,* Christum, qui traditus. γ. *Impulsivam,* respectu Justitiæ Dei vindicatricis peccata, scil. in Christum conjecta. *2. Cor. 5. 21. Jesa. 53. 5.*

         2. *Objectum* redimendos: *propter offensas nostras,* nempe credentium, ut patet ex *vers. 24. præcedenti.*

         3. *Formam* & *Modum.* Facta Redemptio per modum tùm *Meriti,* videlicet *Traditionis* Christi in mortem: tùm *Efficaciæ* & applicationis meriti, per ejus *Resurrectionem.*

4. *Effecta* & fructus Redemptionis, videlicet
Remissionem peccatorum, quæ *Morti* Christi attribuitur.
Justitiam, quæ tribuitur *Resurrectioni*, ostensivè, quia Christus suâ Resurrectione palàm fecit, nō solùm *peccata* fuisse *obsignata*, sed & *æternam justitiam* nobis ab ipso comparatam, juxta oraculum *Dan.9.24.*

QVÆSTIONES,
ex *Cap.IV.vers.18.usq; ad fin.Cap.*

Quæst. I. Quo sensu Abraham *v.18.* dicatur *credidisse contra spem sub spe?* *Rat.quærend.* Quia Paulus videtur sibi contradicere.

Resp. In verbis est ἀντανάκλασις, propter diversam *Spei* acceptionem. Credidit Abraham contra spem *Carnis*, quam scilicet naturæ consideratio negabat. Credidit dehinc sub spe, videlicet *Spiritus*, quam ei faciebat consideratio Divinæ promissionis, potentiæ & benevolentiæ.

Quæst. II. Cur *vers.19. corpus Abrahami*, cùm centum annos circiter natus esset, dicatur fuisse *emortuum?* *Rat.dubit.* Quia etiam post mortem Saræ ex Cethura, Conjuge alterâ, liberos suscepit, *Genes.25.1.& seqq.*

Resp. Distinguendum inter id, quod est *naturæ*, cujus respectu Abrahami corpus fuerat effœtum & quasi mortuum, si consideretur non solum ætas grandæva, sed & innumeri labores, molestiæ, peregrinationes, pericula quibus Vir sanctus fuerat exhaustus & attritus: & inter id, quod est *gratiæ & virtutis Divinæ*, quâ in extrema senecta vires ei aquilæ instar fuerunt restauratæ, juxta promiss. *Jes.40.29,30,31.*

Quæst. III. An Fides fidelium possit esse perfecta, carens omnibus infirmitatibus, uti Origenes ex *vers.19.* argutatus: quia dicatur *minimè infirmus fuisse in fide, sed* potius (*vers.20.*) *roboratus?*

Resp. Fallacia est à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter. Abrahamus dicitur *minimè infirmus fuisse in fide* non simpliciter, sed secundùm quid, quatenùs nempe nulli tentationi succubuit, sed omnes fidei virtute superavit. Distinguendum ergo inter eam infirmitatem, quæ tentationibus adversis cedit, quâ caruit Abraham; & eam, quæ licèt Fidei adhæreat, eam tamen non extinguit, sed cum tentationibus tamdiu luctatur, donec victrix emergat Fides.

Quæst. IV. Quænam sit Fidei justificantis natura?

Movetur *Quæstio* propter Pontificios, qui damnant Fidei πληροφορίαν, eamque arrogantiæ & temeritatis insimulant, & contendunt, fideles fluctuare debere in perpetua dubitatione de gratia Dei & sua salute; aut si spem ejus aliquam concipiant, esse tantùm στοχασμὸν, & moralem aliquam conjecturam. Atqui Apostolus longè aliam nobis pingit Fidem Abrahami, quem dicit, *non addubitâsse per diffidentiam, v.20.* sed fuisse πληροφορηθέντα, *vers.21.*

Excip. Aliam fuisse Fidei Abrahami rationem, quàm nostræ.

Resp. Falsum est. *Rat.* 1. Quia, quod de Abrahamo Paulus dixit, id postea ad omnes credentes accommodatur, *vers.23.* 2. Quia exemplo justificati per fidem Abrahæ Paulus vult hoc toto Cap. docere, quæ sit ratio quoque

nostræ

nostræ Justificationis & fidei. 3. Hinc Abraham suæ fidei respectu *Pater* vocatur *omnium credentium*, ut appareat eorum filiationem niti participatione ejusdem cum ipso fidei.

Quæst. V. An Fides infirma justificet? *Rat. dubit.* Quia Abraham dicitur justificatus fide firmâ & roboratâ, *vers.* 19, 20.


Resp. Distinguendum inter Justificationis *actum* & *sensum*. Si *actum* consideremus, Fides non justificat, respectu suę vel firmitatis, vel infirmitatis; sed respectu sui correlati & objecti, CHRISTI videlicet ejusq; justitiæ, quam apprehendit. Et hactenus Fides infirma æquè atque firma justificat, quia non minus atque firma Christum apprehendit. Si *sensum* spectemus, pro gradu Fidei vel intensioris, vel remissioris, sensus quoque est vel intensior, vel remissior, atque ex eo animi quoq; vel major vel minor tranquillitas.

Quæst. VI. Quomodo *Fides* Abrahami de semine sibi à Deo excitando, ei possit dici *imputata ad justitiam, vers.* 21, 22? *Rat dubit.* Quia Promissio illa videtur fuisse tantùm benedictionis temporalis & corporalis.

Resp. Abraham in Promissione illa sub typo & figura corporalis & temporalis benedictionis apprehendit quoq; per fidem spiritualem atq; æternam. Principaliter enim respexit in Semen benedictum, videlicet CHRISTUM ex Isaaco olim nasciturum, interprete Apostolo alibi, *Galat.* 3.16. *Abrahamo dictæ sunt promissiones & semini ejus. Non dicit, & seminibus, ut de multis; sed, ut de uno: & semini tuo, qui est* CHRISTUS, *in quo benedicimur omni benedictione spirituali in cœlis. Eph.* 1.3.

Quæst. VII. An Resurrectio Christi sit pars meriti ejus: quia Apostolus *v.* 25. dicit, *Christum esse suscitatum ad nostri Justificationem?*

Resp. Quantumvis meritum Christi propriè pertinuerit ad Statum Humiliationis, quippe quod positum fuit in subjectione & obedientia Legis, & pœnarum, pro nostris peccatis persolutione, tamen Resurrectio non est prorsus à Merito divellenda. *Rat.* 1. Quia fuit veluti complementum & consummatio meriti. 2. Quia per eam meriti perfectio fuit ostensa & declarata. 3. Quia efficacia à merito Christi non est divellenda. Sicut autem mors Christi pertinuit ad ejus meritum: ita Resurrectio ad efficaciam meriti, quâ Christus efficaciter nobis applicat ea beneficia, quæ suâ morte jam nobis promeritus est. Nisi enim Christus resurrexisset, nunquam justitiæ ejus & vitæ facti fuissemus participes. quia Spiritus S. per quem, uti fides, ita beneficia Christi nobis conferuntur, nobis datur virtute glorificationis illius, *Joh.* 7.39. Itaque virtute Resurrectionis Christi applicatur nobis illa justitia, quâ coram Deo justificamur.



CA-

CAPUT V.

POSTQUAM Apostolus Capp. præcedentibus docuisset, quâ ratione & modo coram Deo tàm Judæi quàm Gentes justificentur, adeóque de CAUSIS Justificationis egisset, quòd scilicet nequaquam ex Operibus Legis, sed per Fidem in Christum, adeóq; solâ Dei gratiâ & Christi justitiâ justificemur: nunc progreditur quoque ad ejusdem EFFECTA, ex quibus simul superior Doctrina de Justificatione amplius confirmatur.

Effecta illa numero tria recenset.

I. *Εὐθυμίαν & felicitatem* Justificatorum, quâ fruuntur apud Deum. CAP. V.

II. *Sanctificationem & Regenerationem.* CAP. VI. & VII.

III. *πληροφορίαν & Certitudinem salutis.* CAP. VIII.

Quod ergo primum attinet ex Justificatione emergens Beneficium, de eo Apostolus hoc Capite agit dupliciter:

א. *Absolutè*, explicando felicitatem Justificatorum.

ב. *Comparatè*, per *σύγκρισιν* & collationem *Status Gratiæ*, in quem per Fidem & Justificationē transferimur: cum *Statu peccati & miseriæ*, qui Justificationem antegreditur.

PARS I. CAPITIS.

Felicitatem Hominum fidelium & justificatorum Apostolus tùm *proponit*, tùm *confirmat*.

A. *Propositio Felicitatis justificatorum.*

Gradatim Apostolus eam proponit & describit. Mentionem enim facit 1. *Pacis cum Deo*: 2. *Προσαγωγῆς & liberi accessus ad Deum, ejusq; gratiam*: 3. *Perseverantiæ*: 4. *Spei & exspectationis gloriæ cœlestis*: 5. *Consolationis & lætitiæ in adversis.*

I. De *Pace cum Deo* agit *vers. 1. Justificati igitur ex fide pacem habemus apud Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum.* Quibus verbis Apostolus indicat,

1. *Quænam sit hæc Pax*, non externa, mundana, videl. cum Mundo, *Joh. 14. 27.* Fidelibus enim perpetuum certamen cum Mundo, *Genes. 3. 15. Luc. 10. 51. Joh. 15. 19. & 16. 2.* sed spiritualis, interna.

Ideò

Ideò vocat Apoſtolus *Pacem apud Deum*, quæ nihil eſt aliud, quam *εὐθυμία*, ſive conſcientiæ & cordis Humani tranquillitas, quæ conſiſtit,

- *α.* In gratia, amore & benevolentia Dei paterna erga Hominem.
- *β.* In ſenſu hujus amoris & gratiæ, qui eſt in Homine, quum videlicet Homo non ſolùm cum Deo reconciliatus eſt, ſed etiam de hoc beneficio in ſuo corde perſuaſus eſt.

2. *Quis iſtius Pacis Author ſit*, IESVS CHRISTVS, Dominus noſter, tanquam unicus Mediator inter Deum & Homines, *1.Tim.2.5.* Procuravit autem nobis hanc Pacem, per λύτρον ſanguinis ſui, quo juſtitiæ Dei loco noſtro ſatisfecit pro noſtris peccatis, quibus iram Dei contra nos theſaurizavimus. *Eph.2.13.&c. Coloſſ.1.20.* Hinc vocatur *Pax noſtra, Eph.2.14. Princeps Pacis, Jeſ.9.6.*

3. *Quomodo Pacis hujus participes fiamus.* Apoſtolus indicat id fieri per Fidem, quâ juſtificamur: *Juſtificati igitur ex fide pacem habemus,&c.* Nam *Fides* in Juſtificatione apprehendit Chriſtum, atque in eo remiſſionem peccatorum & juſtitiam: unde neceſſariò Pax iſta conſequitur. Vbi enim eſt remiſſio peccatorum, ibi quies & ſilentium conſcientiæ: ubi imputatio juſtitiæ, ibi ſimul gaudio perfunditur cor, quia Homo certus eſt, ſe Deo in Chriſto placere, quippe qui ſit veſtitus juſtitiâ Chriſti.

II. De Προσαγωγῇ ſeu *Acceſſu ad Deum, ejusq; gratiam*, agitur *verſ.2. Per quem* (Chriſtum) *etiam fide adducti fuimus in hanc gratiam.* Obſerv.

1. Acceſſum nobis liberum patére ad thronum Dei. quod privilegium eſt filiorum Dei, non alienorum. *2.Corinth.6.14,15,16. Epheſ.2.19.*
2. Acceſſum nos habere ad *gratiam Dei.* Juſtificati enim non ampliùs experiuntur Deum Judicem, ſed gratioſum Patrem. *Rom.8.15.*
3. *Per Jeſum Chriſtum.* Ipſe enim, uti pacem nobis procuravit apud Deum, ita liberum quoque aditum ad ejus gratiam, *Eph. 2.18.Johan.14.6.* Hinc vocat ſe *oſtium, Johan.10.7.* Aditum autem hunc nobis
   - *α.* *Fecit* per mortem ſuam, rumpendo velum, *Hebr.10.19,20.* & aſcenſionem in Cœlum, *Hebr.9.24.*

β. *Facit* indesinenter apparendo & intercedendo pro nobis apud Patrem in cœlesti Sanctuario. *Hebr. 9.24.*

γ. *Faciet* plenè in altero suo glorioso adventu. *Joh. 14 3.*

4. Addit, *Accessum nos* hunc *habere τὴ πίστει.* Utique non per operum merita, quæ hactenus Capp. præcedentibus oppugnavit; sed per fidem: quia fide pervenimus ad Christi, & per consequens Dei communionem. *Hebr. 11.6. & 10.22.*

III. *Perseverantiam* porrò insinuat Apostolus, quum subdit: *in qua*, scilicet gratia, *stamus*. Multum dixit, *nos pacem habere apud Deum*, nos liberum *aditum habere ad ejus gratiam.* Nunc plus dicit, *quòd in hac gratia stemus* & perseveremus. Hoc iterum privilegium est justificatorum. Quanquàm enim imbecillitatis suæ respectu cespitare, nutare, labascere possint; tamen *virtute Dei per fidem custodiuntur ad salutem, 1. Pet. 1.5.* Principum terrenorum gratia *μεταμέλητος* est: at Dei, quâ suos in Christo complectitur, gratia *ἀμεταμέλητος* est. *Rom. 11 29.*

IV. *Spem gloriæ futuræ* indigitat Apostolus, addens: *& gloriamur sub spe gloriæ Dei.* Ad hoc beneficium transit proleptice.

Objicere quis potuisset: Præclara quidem esse hæc beneficia pacis, *προσαγωγῆς* ad gratiam Dei, & perseverantiæ; interim fideles cruci & innumeris afflictionibus esse obnoxios, ut miserrimi esse videantur omnium Hominum, *1. Cor. 15 19.*

Respondet Paulus: *Gloriamur sub spe, &c.* Q. D. Crux istam felicitatem non impedit vel aufert: quia fideles in cruce sustentat spes gloriæ cœlestis, quod similiter Paulus insinuare voluit citato loco, *1. Corinth. 15. 19.* *Observetur*

1. *Spei* mentio. Hæc est fidei justificantis proles. Nam cùm spes sit exspectatio promissorum bonorum, necesse est eam præcedere fidem, seu fiduciam promissionum. Hinc non rarò pro eodem sumitur credere & sperare, fiduciam reponere in Deum & in eo sperare. Sic quoque *spe servari* dicimur, *Rom. 8. 24.*

2. *Objectum* Spei, *gloria Dei.* Non intelligitur absolutè & simpliciter gloria illa, quæ est in Deo, *ἀπερίοριστος*, *1. Tim. 6. 16.* sed *effectivè* ejus gloriæ fruitio & participatio, quam consequemur in altero seculo.

3. *Adjunctum* aut *effectum* hujus Spei, *Καύχησις, gloriatio.* Sic indicat hujus Spei certitudinem, quæ tàm firma est, ut de felicitate sperata fideles non minùs exultent, quàm si reapse eâ fue-

eâ fruerentur. Atq; hinc iterum Sanctorum perseverantia arguitur.

V. *Consolationem* tandem & *lætitiam in adversis* Apostolus persequitur *v.3.Neque* id *solùm, sed etiam gloriamur de afflictionibus, scientes, quòd afflictio tolerantiam efficiat: v.4. tolerantia verò experientiam, experientia verò spem. v.5. Porrò spes non pudefacit, eò quòd charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

Pergit in his verbis Apostolus in prædictæ tacitæ Objectionis, de cruce & afflictionibus fidelium in hoc seculo, refutatione, idque in solatium fidelium Romanorum & aliorum, quibus tùm temporis ab infidelibus Gentilibus atque Judæis variæ persequutiones erant sustinendæ. Multum videbatur iterum dixisse, quòd fideles *in tribulationibus glorientur sub spe gloriæ Dei.* Nunc verò aliud & magis mirandum inculcat, quòd insinuant verba, *οὐ μόνον δέ: non hoc verò solùm, sed etiam &c.* Considerand.

1. *Thesis* Apostoli: *Gloriamur de afflictionibus.*

Afflictionum nomine non intelligit calamitates, quas, ceu justas pœnas, improbi suis sceleribus sibi accersunt, de quibus gloriari non possunt; sed eas, quas fideles innocentiæ & inprimis Christi causâ patiuntur. *1.Pet.4.15,16.*

Gloriamur &c. Observandum, Apostolum non tantùm hoc dicere velle, quòd fideles *afflictionum non pudeat*; neq; hoc tantùm, quòd *in afflictionibus glorientur,* sicuti jam id innuerat *versu præced.* sed, ut Beza rectè transtulit, quòd *glorientur de afflictionibus:* adeò ut afflictiones sint materia & causa gloriationis illorum. Hoc utique paradoxum Christianum magnum est: cùm communiter afflictiones causentur magnam tristitiam, lamentationes & querimonias.

2. *Probatio Theseos:* quæ desumpta est ex *Afflictionum effectis,* virtutibus videlicet variis & salutaribus, quas Deus mediantibus afflictionibus in nobis operatur; inprimis verò *Spe gloriæ cœlestis.* Vtitur autem Apostolus gradatione eleganti, in forma Soritis hoc modo:

Afflictio efficit patientiam:
Patientia experientiam:
Experientia spem:
Ergo afflictio efficit spem.

Exhibet ergo Apostolus nobis in verbis suis Virtutes præcla-

ras, quæ emergunt ex afflictionibus tanquam rosæ ex spinis. Earum

1. *Patientia. Afflictio patientiam efficit.* Quò enim magis Homo cruci assuescit, eò tolerantior redditur: cùm è contrario qui delitiis assueti sunt, impares sint ferendæ cruci, si quando præter morem eorum & exspectationem eâ premantur.

2. *Experientia,* quæ emanat ex *patientia. Tolerantia verò,* ait Apostolus, *efficit experientiam.* Afflictiones per se Hominem reddunt expertum, quia deducunt ipsum in notitiam suæ imbecillitatis & vanitatis. Quòd si *patientia* accedat, ejus beneficio Homo deducitur in experientiam Divinæ

   a. *Potentia* atque *virtutis*, quâ in calamitatibus sustentatur, ne prorsus succumbat. *2.Cor.12.9.*

   b. *Sapientia*, quâ mirabiliter suos, præter ipsorum cogitationes, gubernat. *Psal.4.4. Jes.55.9.*

   c. *Bonitatis* & *misericordia*: quia Deus fideles in afflictionibus non deserit, sed auxilio suo ipsis præstò est, eosque tandem eripit. *Psal.22.25. Jes.49.14, &c. Lament.3.31. Heb.13.5.*

   d. *Veritatis*: quia Deus semper memor manet suarum promissionum erga fideles. *Jer.31.20.*

3. *Spes,* quam parit & auget *experientia. Experientiâ* enim præteritæ atq; præsentis Dei virtutis, sustentationis & auxilii in tribulationibus, edocti fideles; spem quoque concipiunt futuri auxilii & liberationis. *Exempl.* inter alia Davidis, *1.Sam.17.36.* Hinc Apostolus *Spem* amplificat ab adjuncta *firmitate: Spes non pudefacit.* quia fideles re speratâ nunquam excidunt, sed tandem eâ certò potiuntur. *Psal.22.6.*

B. *Confirmatio Felicitatis justificatorum.*

Confirmat nunc porrò Apostolus hanc doctrinam de *felicitate fidelium,* in qua argumentis gravissimis probat id, quod hactenus asseruit, potissimùm illud, quod de *Spei,* & per consequens speratæ Salutis fidelium immobilitate proposuerat verbis proximè præcedentibus. Docuerat enim, tantum abesse, ut afflictiones impediant salutem;

ftitem; ut modis omnibus potiùs eam promoveant: ficque adeò fatis indicavit, quàm certa, firma & immobilis fit Salus fidelium. Hoc ergo nunc probat argumẽtis principalibus duobus, defumptis à caufis hujus falutis & felicitatis Fidelium, videlicet;

I. A' *Charitate Dei, verf.5. eò quòd Charitas Dei effufa eft in cordibus noftris per Spiritum Sanctum, qui datus eft nobis.* Vbi primùm fundamentum firmitatis fpei & falutis noftræ ponit, videlicet certitudinem amoris Dei erga nos. *verf.5.* Vbi confiderand.

α. *Subjectum.* Quid per *Charitatem* intelligat. Eft amor feu charitas Dei alia in nobis erga Deum; alia in Deo erga nos: fumiturque adeò tùm *activè*, tùm *passivè*. Papiftæ fumunt *activè*, & putant, Charitatem, quâ nos Deum diligimus, effe caufam meritoriam falutis: quod falfiffimum eft. De hac enim charitate non loquitur Paulus. Patet, 1. Quia repugnaret fcopo. Nam ex hac Charitate vult Apoftolus cõcludere firmitatem Salutis. Atqui ex noftra charitate erga Deum, ceu caufa, non poteft concludi; quia eft imperfecta. 2. Quia poftea *verf.8.* in eadem perfiftens materia exprefsè nominat *Charitatem Dei erga nos.* 3. Quia Charitas ifta eft caufa Mortis Chrifti. Atqui de noftra charitate hoc non poteft dici; quia Chriftus non pro diligentibus ipfum, fed pro inimicis mortuus eft. *1.Joh.4.10.*

β. *Attributum.* Quid dicat de *Charitate* hac. *Effufa eft, &c.* Vbi tria notanda veniunt:

a. *Beneficium* ipfum charitatis Dei. Non fimpliciter intelligit amorem Dei, fed amoris hujus fenfum in cordibus noftris, quo cor noftrum fentit, fe à Deo diligi.

b. *Adjuncta* beneficii largitas. Chryfoft. *Non dicit, data eft, fed diffufa eft in cordibus noftris, ut largitatem & abundantiam manifeftet.* Sic enim alibi quoque verbum *effundendi* fumitur, *Jef.45.3. Joël.2.28. Zach.12.10.* Indigitatur ergo heic, *corda noftra impleri charitate Dei*, id eft, ejus πληροφορίᾳ, perfuafione & fenfu.

c. *Origo* beneficii. Non ex nobis, quia fumus naturâ inimici Dei, & filii iræ. Ergo aliunde, videlicet per Spiritum S. Atque ut appareat, donum Spi-

ritus Sancti esse gratuitum, addit, *qui datus est nobis*.

II. A' *Morte Christi, vers.6--11.* quo 1. *immediatè* Apostolus vult confirmare, quod proximè dixerat de charitate Dei erga nos. 2. *Mediatè*, thesin principalem de felicitate Justificatorum per fidem. Sic autem vult Apostolus ratiocinari:

Major. Quos Deus dilexit existentes adhuc peccatores & inimicos, eos multò magìs diliget, & per consequens servabit jam reconciliatos.

Minor. Atqui Deus nos dilexit, quum adhuc essemus peccatores & inimici. *Probat* Apostolus ex *effecto* Dilectionis Dei, videlicet *Morte Christi*: quam

α. *Ponit, v.6. Christus enim, quum adhuc nullis viribus essemus, præstituto tempore pro impiis mortuus est.* Q. D. Ex eo manifestū est, quantoperè nos diligat Deus, quia Christus Filius Dei pro nobis mortuus est præstituto tempore. Dilectionis argumenta sunt à consideratione

a. *Personæ*, quæ mortua est, videlicet CHRISTI, qui Filius Dei est.

b. *Nostri*, pro quibus mortuus est, qui fuimus ἀσθενεῖς, qui nihil habebamus virium, inepti ad bonum, *impii, in peccatis mortui*, ut alibi, *Ephes.2.1.*

c. *Meriti Christi*, quum dicitur, *quòd mortuus fuerit*, quæ Mors fuit maledicta, ignominiosa, videlicet Crucis.

d. *Temporis præstituti*. Quidam ad statum referunt peccati, ut καιρὸς referatur ad antecedens ἀσθενῶν. Alii meliùs referunt ad sequens ἀπέθανε, *mortuus est*, & accipiunt de opportuno tempore præstituto à Deo, sive de plenitudine temporis, de qua *Galat.4.4.*

β. *Illustrat* Comparatione Imparium, cujus

1. Πρότασις. *vers.7. Enimverò vix pro justo quisquam moriatur: nam pro bono viro forsitan aliquis mori etiam sustineat.* Rarissimum inter Homines tantæ charitatis exemplum occurrit, ut quis pro justo vitam ponat. Hoc sibi vult vox μόλις, *vix*. Sequitur tamen *Correctio*. quanquam *fieri fortasse possit, ut moriatur quis pro bono*. Quidam, pro *justo*. Alii, pro *benefactore*, à quo

posset

posset ad ipsum aut familiam ejus redundare aliquod bonum. Ac respicit fortè Paulus ad exempla nonnulla obvia etiam apud Gentiles, tùm Græcos, tùm Romanos, v.g. Curiorum, Horatiorum, M.Curtii, & consimilium. Verùm, concesso hoc, nemo Hominum reperitur, qui pro impio velit vitam perdere.

2. *Ἀνταπόδοσις. vers. 8. Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, quòd, quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit.* Longè aliter Deus erga nos affectus est. Nam 1. *Pater* Filium suum innocentem pro nobis in mortem dedit. Quando hoc unquam auditum, ut Parens aliquis Filium suum Nebulonis alicujus gratiâ in mortem tradiderit, quo ei parceretur? Hoc Deus fecit. 2. *Filius* se-met-ipsum ex Patris voluntate tradidit pro nobis lubentissimè. *Psal. 40. 9. Luc. 22. 15.*

Conclusio. Hinc concludit Apostolus: 1. Ergo jam reconciliatos per Christum Deus magìs diliget: 2. & per consequens servabit ab ira: *vers. 9. Justificati igitur ejus sanguine, servabimur multò magìs per eum ab ira illa*, videlicet afflictionibus & exitio, tùm metaphoricè, tùm metalepticè sumpto *Ira* vocabulo: 3. glorificabit: *vers. 10. Nam si, cùm inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filii ejus, multò magìs reconciliati servabimur per vitam ipsius:* 4. adeóque gloriari meritò possumus in Deo: *vers. 11. Neq; id solùm, verùm etiam gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum per quem nunc reconciliationem recepimus.* Sic redit ad illud, quod *vers. 2.* proposuerat de *Gloriatione Christiana*, & cõcludit partem primam hujus Capitis. Quanquàm sunt, qui putent, *vers. 11* notari summum Gloriationis Christianæ gradum, ut *primus* sit, Gloriari in spe gloriæ: *secundus*, Gloriari in afflictionibus: *tertius*, Gloriari in Deo ipso, tanquam summo Bono, in & per Christum.

Consequentiæ autem totius hujus argumentationis firmitas & veritas à Paulo demonstratur in *antithesi*, quam instituit, gemina,

α. *Hominum peccatorum & reconciliatorum.* Nam si peccatores & inimici diligantur, quantò magìs justificati & jam facti amici, adeóque Filii Dei?

β. *Mortis & Vitæ Christi.* Nam si *Mors* Christi valeat ad nos servandos, existentes peccatores; quantò magìs nunc

Vitæ

Vita Christi, in qua ipse in Cœlis vivit & regnat in secula seculorum, nobis proderit jam reconciliatis? Neque enim minor humiliati & mortui, quàm glorificati & in æternum viventis Christi virtus censenda est.

Et hæc ergo est quoque *altera Confirmationis Pars*, desumpta à *Morte Christi*, quâ confirmat Apostolus theses minùs principales, 1. *proximè*, nos diligi à Deo: 2. *propinquè*, spem nostram pudefieri non posse, sive, certam esse salutem nostram & immobilem: 3. *remotè*, gloriationem nobis esse in Deo.

QVÆSTIONES.

Quæst. I. Cur justificati ex fide dicantur *pacem habere apud Deum per Christum*? quò etiam facit, quòd *vers.* 5. dicitur: *Charitatem effusam esse in cordibus fidelium. Rat. dub.* Quia non rarò fideles sentiunt sibi Deum iratum in gravioribus tentationibus, usq; ad conflictum cum desperatione. *Exempl.* Jobi *cap.* 7. 15. Davidis, *Psal.* 22. 2, 3. & 13. 2. & 42. 8. & 116. 11. & aliorum.

Resp. 1. Distinguendum inter *Pacem* ipsam, quæ semper durat, *Jesa.* 54. 10. & 9. 7. *Joh.* 14. 27. & Pacis illius *sensum*, qui nonnunquam intercipitur & turbatur per peccata, tentationes & calamitates. 2. Distinguendum inter *fiduciæ*, quâ de amore Dei in cordibus nostris persuasi sumus, *actum primum*, quo nunquam totaliter & finaliter privamur; & *actum secundum*, qui non rarò suspenditur adeò, ut in spirituale aliquod Cordis & Animæ deliquium fideles incidant. 3. Distinguendum inter iram Dei *judiciariam*, à qua fideles sunt exempti; & *paternam*, quæ ex affectu Dei paterno nascitur, & desinit in bonum, & salutem fidelium. *Apoc.* 3. 19. *Rom.* 8. 17, 18.

Quæst. II. Cur fidelibus *vers.* 3. tribuatur καύχησις, *gloriatio*, non solùm *in adversis*, sed & *de adversis*, qui non rarò profundunt summas querelas & lamentationes?

Resp. Fideles considerari possunt secundùm *carnem* & *spiritum*, *externum* & *internum* Hominem. Secundùm *Carnem* non rarò gemunt sub cruce. *Exempl.* Jobi *cap.* 7. 3. & c. Davidis. *Psal.* 6. 7, 8. & 69. 4. Hiskiæ, *Jesa.* 38. 14. Pauli ipsius, 2. *Cor.* 12. 7, 8. Secundùm *Spiritum* se erigunt, exultant & gloriantur. *Exempl.* iterum Pauli, 2. *Cor.* 11. 5. *Rat.* 1. Quia nôrunt eam proficisci à paterno Dei animo: 2. Ejusdem auxilio se sublevari: 3. Eam cedere ad ipsorum vel ὑπομονὴν, vel δοκιμασίαν, vel μαρτύριον, hincque ad ipsorum sempiternam felicitatem, 2. *Cor.* 4. 17.

Quæst. III. Cur afflictiones *eodem vers.* 3. dicantur *operari patientiam*: cùm experientia videatur contrarium testari, non solùm in infidelibus, sed non rarò in fidelibus?

Resp. 1. Afflictiones non *intrinsecùs* & suâ naturâ operantur patientiam, cùm naturæ Hominis adversentur; sed *extrinsecùs* & occasionaliter per supervenientem Dei gratiam: quia Spiritus Sanctus iis utitur ceu mediis ad fidem nostram exercendam & explorandam, ex qua fide postea nascitur patientia, ut explicat Jacobus *cap.* 1. 2, 3. 2. Fideles ita per afflictiones ad impatientiam solicitantur secundùm *Carnem*: ut tamē secundùm *Spiritum* iterum, ut modò dixi, se erigant meditatione voluntatis Divinæ, fiduciâ gratiæ ejus & auxilii, & spe liberationis, ut in impatientia non maneant finaliter. *Exempl.* Jobi *cap.* 13. 15. & 19. 25, 26, 27.

Quæst.

Quæst. IV. Nunquid Paulus, dicens *verſ.* 4. ὑπομονὴν, *Patientiam, efficere δοκιμὴν, experientiam*, videatur contradicere Jacobo *cap.* 1. v. 3. dicenti: δοκίμιον τῆς πίστεως, *experimentum fidei, efficere* ὑπομονὴν, *patientiam?*

Reſp. Ἀντιλογία nulla eſt, quia Jacobus per δοκίμιον, *experimentum fidei*, intelligit tentationes & calamitates ipſas, & hactenus idem innuit, quod Paulus dixerat *verſ. præced. afflictiones operari patientiam*. Paulus autem *verſ. hoc* 4. per δοκιμὴν non intelligit afflictiones, ſed effectum afflictionum apud fideles, mediante patientiâ. Paucis, Jacobus loquitur de δοκιμίῳ, videlicet exploratione *Dei*, qui fideles explorat per tentationes & afflictiones. Paulus autem de δοκιμῇ ſive exploratione *Hominis*, quâ Homo per patientiam in calamitatibus explorat & experitur tum ſuam vanitatem, tum Dei bonitatem, potentiam &c. uti in Analyſi dictum.

Quæſt. V. Cur *Spes non* dicatur *pudefacere, verſ.* 5. cum fideles non raro videantur Spe ſuâ fruſtrati fuiſſe, & excidiſſe? *Exempl.* Davidis & Nathanis, etiam in pio propoſito. 2. *Sam.* 7. 1, 2, 3. & Pauli orantis procul dubio non abſque ſpe, 2. *Cor.* 12. 8. ſed tamen fruſtranea.

Reſp. 1. Cùm Spes pendeat à Fide, & hæc à Verbo & promiſſione Dei, dico, Spem nunquam pudefieri, quæ ex Fide in Dei non ſolùm generalem promiſſionem gratiæ, vel etiam ſpecialem alicujus particularis beneficii dirigitur. Nititur enim Dei & Verbi ipſius αὐθεντίᾳ & veritate. 2. Spes fidelium, quæ pendet à Dei promiſſione, non eſt reſtringenda ad certas aliquas Circumſtantias in illa non expreſſas, vel perſonæ, vel temporis, vel loci, vel modi, &c. 3. Hinc facile eſt ad exempla illata reſpondere.

α. *Davidis* ſpes non fuit fundata in ſpeciali ſibi, quoad ſuam perſonam, factâ promiſſione de ædificatione Templi. Nec tamen caruit prorſus ſuo effectu: quia, quod Patri in propria perſona, propter cauſam particularem, fuit negatum; id fuit ei datum & donatum in Filio Salomone.

β. *Pauli* precibus & ſpei 2. *Cor.* 12. 8. negatum quidem fuit pro tempore beneficium liberationis à Satanæ colaphis. Nec tamen Spes ejus pudefacta. *Rat.* 1. Quia majus beneficium ei conceſſum, Gratiæ Dei & vividi ejus ſenſus, 2. *Cor.* 12. 9. 2. Quia ipſa Satanica tentatio & vexatio ceſſit ipſi in ſalutem & gloriam, propter luctam cum auxilio & virtute Dei conjunctam, hincque victoriam. Itaque adeò non pudefit Spes fidelium, ut quum videtur fruſtrari per contrarios eventus, obtineat id ipſum, quod ſperat & exſpectat.

Quæſt. VI. Quo ſenſu *Chriſtus* dicatur *mortuus eſſe* ὑπὲρ ἀσεβῶν, *pro impiis*: item *verſ.* 8. ὑπὲρ ἡμῶν, *pro nobis?*

Movetur *Quæſtio* propter Socinum, ejusque Diſcipulos & aſſeclas, qui negant, Chriſtum loco & vice noſtrâ, ad ſatisfaciendum pro noſtris peccatis, mortuum eſſe. Itaque docent, particulam illam ὑπὲρ non ſemper ſignificare idem, quod ἀντὶ, vice aut loco alterius; ſed ſæpenumero finem, uſum & utilitatem alicujus rei, ut ſenſus ſit, bono illius.

Reſp. Ἐξαγόμενον eſt, voces ὑπὲρ, ut & περὶ, *pro, propter*, non ſemper denotare vicem, ſed & cauſam finalem & utilitatem rei alicujus. Negamus autē in locis illis, quæ agunt de Morte Chriſti, quam pertulit pro nobis, nihil aliud deſignare. *Rat.* 1. Quia *verſ.* 7. *hujus Cap.* vox ὑπὲρ, quum dicitur *quis mori pro aliquo juſto & bono*, ſignificat idem, quod vice ſeu loco illius; ut inſinuetur Chriſti major & inaudita charitas, qui vice hominum non juſtorum, ſed impiorum mortuus fuit. 2. Alibi expreſsè dicitur, *Chriſtum dediſſe animam ſuam* ἀντὶ πολλῶν, id eſt, *vice & loco multorum*, & quidem tanquam λύτρον, *pretium redemptionis*, quod Hebræis eſt *Geylla*, *Matth.* 20. 28. *Marc.* 10. 45. Hinc alibi vocatur

O

ἀντίλυτρον, 1. *Tim.* 2.6. λύτρωσιν. *Luc.* 1.68. & 2. [illegible] Ἀπολύτρωσιν. *Rom.* 3.24. *Luc.* 21.28. *Ephes.* 1.7. *Col.* 1.14. 3. Accedit [illegible] Christum [illegible] is, qui pati debuit [illegible] quod nobis [illegible] Justitiæ Dei, & communicatorem [illegible] Paulus [illegible] potest intelligi tan[illegible] *pro nobis* [illegible] dem prorsus sensu vocula [illegible] alibi quoque [illegible] *Rom.* 9.3.

Quæst. VII. Cur Paulus *vers.* 7. tectè insinuet, [illegible] *Rat. dub.* in contrarium. *Exempl.* Mosis. *Exod.* 32.32. [illegible] Pauli *Rom.* 9.3. qui semet [illegible] pro [illegible] & impiis [illegible] devoverunt.

Resp. 1. Paulum loqui de exemplis Historiæ Humanæ. 2. [illegible] esse prorsus extraordinaria, propter extraordinarium donum charitatis, quo [illegible] erant Sancti isti. 3. Ita fuisse inimicos & impios, pro quibus se devoverunt [illegible] nec Moses, nec Paulus eos, quantum ad se attinet, inimicos duxerit [illegible] amicos & Fratres, propter Dei fœdus.

Quæst. VIII. Nunquid Paulus *vers.* 8. & 10. [illegible] dicat: Deum dando pro nobis Filium suum in mortem, commendasse [illegible] charitatem, & demum tamen nos per mortem ejus Deo fuisse reconciliatos?

Resp. Distinguendum inter *Charitatem* Dei *antecedentem*, quâ nobis ab æterno Filium suum Reconciliatorem ordinavit, & in [illegible] quæ latuit antea in Dei consilio abscondita: & inter *consequentem* [illegible] reconciliationem factam cordibus nostris imprimit, quando nos [illegible] amplius habet reconciliandos; sed tanquam filios, sibi [illegible] Christo paternâ suâ benevolentiæ testificatione complectitur. Utrumque [illegible] Paterfamilias diligit primum Servum, quâ talem, destinando ei adoptionem: [illegible] diligit ad [illegible] Filium

PARS II. CAPITIS V.

Hactenus *absolutè* actum de *Felicitate Justificatorum*. Nunc *comparatè* de eâdem agit Apostolus, instituendo *σύγκρισιν* inter *Statum Peccati*, qui ortum trahit ab ADAMO; & *Statum Gratiæ*, qui ortum trahit à CHRISTO, ceu *Adamo secundo*.

Occasio ex *verbis præcedd.* in quibus mentio facta mortis Christi & reconciliationis nostri cum Deo per eam: nec non peccatorum & impiorum, pro quibus Christus mortuus est.

Scopus, ut doctrina de *Justificatione per fidem* magis confirmetur, & ostendatur, Justitiam, quâ justificamur, non in nobis, sed extra nos in Christo solo quærendam. Non, inquam, in *nobis*, quia nos sumus omnes naturâ ab Adamo peccatores: in *Christo* vero, quia, quod Adam perdidit, Christus summo cum fœnore restituit.

COMPARATIO autem ista ab Apostolo primum *proponitur* & *explicatur*, *vers.* 12—17. Deinde *concluditur*, *vers.* 18, 19. Tandem *vindicatur* contra tacitam Objectionem, sub fin. Cap. *vers.* 20, 21.

I. *Proponitur*, inquam, mentione factâ

A. *SIMILITVDINIS*, *vers.12,13,14.*

Summa hæc est: Sicut ab Adamo & per ipsum peccatum & mors Mundum introiit & pervasit; sic è contrario ab altero Adamo, videlicet Christo, & per ipsum, justitia & vita. Hujus *Similitudinis* observanda veniunt tùm

Termini oppositi,
- ADAM,---------CHRISTVS.
- PECCATVM,--IVSTITIA.
- MORS,---------VITA, SALVS.

Partes duæ, *Protasis* aperta: *Apodosis* tecta.

א. PROTASIS habetur *vers.12. Propterea sicut per unum Hominem peccatum in Mundum introiit, ac per peccatum mors: & ita in omnes Homines mors pervasit, in quo omnes peccaverunt. vers.13. Nam usq; ad Legem peccatum erat in Mundo: peccatum verò esse non putatur, non existiente Lege. vers.14. Regnavit autem mors ab Adam usq; ad Mosen, in eos etiam, qui non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adam.*

Sensus est: Ea est ratio miseri illius status, in quem nos unà secum præcipites dedit Adam, Parens omnium nostrûm, ut ab ipso trahamus duo mala, & quidem catholica, pertinentia sine discrimine ad omnes Homines:

1. *Culpa, Peccatum. vers.12 a. per unum Hominem ἡ ἁμαρτία, Peccatum, in Mundum* (intelligitur totum Genus Humanum) *introiit.*
2. *Pœna, Mortem. vers.12.b. & ita in omnes Homines Mors pervasit*, quo nomine non solùm *temporalis*, sed & *æterna* est intelligenda, juxta primævam Dei comminationem, & Legis maledictionem.

Attexitur huic protasi Apostolicæ

α. *Αἰτιολογία, confirmatio*, quâ ratio redditur derivationis utriusque mali, tum *culpæ*, tùm *pœnæ*, peccati, inquam, & mortis ab Adamo in omnes reliquos Homines, *v.12.c. ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, in quo omnes peccârunt*. Sensus est, ab Adamo omnes posteros perditos, quia omnes sine discrimine lapsus ipsius sive inobedientiæ primævæ participes facti fuerint. Quomodo hoc sit intelligendum, dicam in *Quæstionibus*.

β. *Prolepsis, occupatio.* Quia dixerat Apostolus, *peccatum introiisse in Mundum* ita, *ut per illud mors pervaserit in omnes Homines*;

objicere quis potuisset: peccatum ante Legem non esse potuisse, quia nimium peccatum sit *ἀνομία*, uti etiam suprà dixerat *Cap. 4.15. Vbi non est Lex, ibi nec transgressio est.*

Respondet Apostolus.

1. Per *affirmationem* contrariam, *vers. 13. a Nam usq; ad Legem peccatum erat in Mundo.* Quantumvis enim nondū fuerit per Mosen scripta, tamen nec Gentibus defuit Naturæ Lex, cordibus eorum insculpta, de qua suprà *Cap. 2.14,15.* nec Ecclesiæ Dei defuit, uti Verbum, ita Lex *ἄγραφος*: imò [NB.] ipsa Lex Adamo ante lapsum lata, in ipso omnibus posteris lata fuit, ex primo Dei cum Homine pacto.

2. Per *distinctionem* inter *τὸ εἶναι καὶ ἐλλογεῖσθαι*, *v. 13. b. Peccatum verò esse non putatur, non existente Lege.* Sensus est: ante Legem Mosis latam peccati non fuit habita ratio, scilicet ab Hominibus, per æstimationem & detestationem culpæ ipsius. Nam absque Legis objurgatione Homines malis quodammodò indormiunt.

3. Per *probationem* ab *effectu* Peccati, scilicet *morte*: quia *ea regnaverit ab Adamo usq; ad Mosen, v. 14. a.* & quidem dominio universali, à quo ne quidem *Infantes* fuerint exempti, *v. 14. b. in eos etiam, qui non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adam.* Qui intelligantur, dicam in *Quæstionibus*. Vult dicere Apostolus: Tantum abest, ut quisquam ante Legem Mosis peccatorum, & per consequens morti obnoxiorum numero eximi potuerint; ut ne ipsi quoque Infantes, omni peccato actuali carentes, immunes esse potuerint. *Ration.* tùm propter participationē *reatus* peccati primi Adamici, ipsis imputati: tùm propter peccatum seu *corruptionem* originalem, in qua, vi illius imputationis, fuerant concepti & nati.

3. APODOSIS cryptica latet in paucis illis verbis, *v. 14. c. qui* (scil. Adam) *est typus futuri*, CHRISTI nimirum. Potest ea sic evolvi:

Qualiter se habet Adamus ad suos posteros, ab ipso naturaliter descendentes; taliter se quoque habet Christus ad suos fideles, ipsi à Patre datos, & morte ipsius redemptos.

Atqui Adam primus ita se habuit ad suos posteros, ut per suum

παρά-

παράπτωμα & lapsum causa ipsis fuerit tùm peccati & reatus, tùm mortis.

Ergo Christus, ceu alter Adamus, ita quoque se habet, ut omnibus ad ipsum prædicto modo pertinentibus, sit causa justitiæ & vitæ atque salutis æternæ.

B. DISSIMILITUDINIS.

Dissimilitudinem nunc aut potiùs *Disparitatem* Apostolus pertractat utriusque prædicti *Status* tùm *Miseriæ*, quem ab Adamo; tùm *Gratiæ*, quem a *Christo* trahimus. *Διότι.* Ne Christus in conferendo bono vel minor Adamo, in conferendo malo; vel prorsus æqualis putaretur: adeóq; appareret, per Christum plura nobis restituta, quam per Adamum perdita; hincque Statum, in quem Christus nos reposuit, longè esse feliciorem, quàm vel ipse *Status* primæ *Innocentiæ* fuerit, vel etiam infelix sit *Status peccati* & *miseriæ*.

Monstrat autem Apostolus istam *Disparitatem*

א. Per σύγκρισιν, *collationem* Lapsus Adami, ejusque effectus, scilicet mortis; cum opposita ei Dei gratia, ejusque effecto, scilicet donatione per gratiam. *v. 15. At non ut offensa, ita etiam est, quod* Deus *gratificatur. Nam si unius illius offensâ multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donatio per gratiam, quæ* est *unius illius Hominis Jesu Christi, in multos exundavit.* Observentur heic.

A. *Termini*, quibus utitur Apostolus à parte tùm

a. *Adami*, quem vocat τὸν ἕνα, *unum illum*, non exclusâ Fœminâ, *Evâ*, quæ primùm peccavit, sed subintellectâ sub Marito ceu capite Uxoris, & radice totius generis Humani. Mentionem facit.

1. *Offensæ*, παραπτώματος. Intelligit lapsum primum, actualem videlicet inobedientiam Adami, quâ transgressus est interdictum Dei, *Genes. 3.*

2. *Mortis*, ex illa offensa, quæ non tantùm fuit *corporalis*, in divulsione subsequutura Corporis & Animæ; sed & *spiritualis*, in separatione Hominis à Deo, omnis Vitæ fonte: non solùm *temporalis*, sed & *æterna*, juxta comminationem: *Morte morieris*, *Genes. 2.17.*

3. *Multorum*, πολλῶν ab Adamo perditorum. Heic πολλοὶ sunt omnes & singuli Homines. *Rat.* Quia non solùm omnes in lumbis ejus fuerunt, & naturaliter ab

ipso descendunt; sed etiam primitùs omnes fuerunt comprehensi in pactione illa & fœdere, quod Deus cum primo Homine pepigerat: ut scilicet in casu perseverantis *obedientiæ*, author esset omnibus propagandæ ad ipsos justitiæ & vitæ; in casu verò *inobedientiæ* idem omnibus & singulis tristis esset author reatus & mortis.

b. *Christi*, quem vocat etiam *τὸν ἕνα ἄνθρωπον*, *unum illum Hominem*, tanquam uni Homini Adamo è regione oppositum. Mentionem facit

1. *Gratiæ Dei*, *τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ*, quia Christus nobis datus ex gratia Dei, & gratia hæc in eo & per eum nobis facta est, *Johan.1.16.17.* Per *Gratiam* autem intelligit Apostolus *Gratiam*, quæ est *in Deo*, amorem scilicet ejus, benevolentiam, & misericordiam.
2. *Donationis per gratiam*, *δωρεᾶς ἐν χάριτι*. Intelligit donum Justitiæ, sive Justitiam ipsam, quam habemus in Christo & à Christo: in Christo, *[illegible]*, à Christo, *imputative*: quod patet ex *v.17.* ubi vocatur *donum Justitiæ*.

   Notetur, *α.* Apostolum utramque & *gratiam*, & *donatione per gratiam*, opponere *τῷ παραπτώματι* Adami. *β.* Bona illa, quæ a Christo accipimus, gratiæ accepta referre. Vtitur enim tribus vocibus, *χαρίσματος*, *χάριτος*, & *δωρεᾶς ἐν χάριτι*: ut ostendat, quicquid *malorum* ab Adamo ad nos descendat, esse à *natura*; quicquid verò *bonorum* à Christo ad nos descendat, esse à *gratia*: ut nihil iterum Hominis dignitati aut merito, in negotio nostræ Justificationis & salutis, sit admetiendum.
3. *Abundantiæ*, *περισσεύματος gratiæ* & *doni per gratiam*, ut innuat, longè abundantiorem esse doni & boni Christi, quàm mali Adamici rationem.

B. *Collatio* ipsa. Disparitatem Apostolus geminam in verbis allegatis insinuat.

1. Quòd Adam per *naturam* offensam suam propagârit ad multorum exitium: Christi autem justitia per *gratiam* multis contingat.
2. Quòd longè majore virtute & efficaciâ bonum & donum justitiæ Christi derivetur ad multos, quàm malum hæredi-

reditarium Adami ad multos. Ideò dicit: *πολλῷ μᾶλλον ἐπερίσσευσεν, multò magis exundavit.*

2. Per collationem *Reatus*, ut est *adjunctum* lapsus Adami, ejusq; *finis* & *effectus*, scilicet Condemnationis; cum dono Justitiæ Christi, ejusq; fine, scilicet Justificatione. Occurrit apud Apostolum, *v.16,17.* hujus comparationis

α. *Πρόθεσις, Propositio. v.16.a. καὶ οὐχ ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος τὸ δώρημα, Neq; ut illud quod introiit* (videlicet *κρίμα*, reatus, cujus confestim facit mentionem) *per unum* (Adamum) *qui peccavit:* ita est *τὸ δώρημα, quod donatur.* Sensus est: non per omnia respondere analogiam & proportionem, quæ intercedit inter Reatum peccati primi ad condemnationem: & inter Justitiam Christi ad Justificationem Hominum.

β. *Ἔκθεσις, exegesis,* expositio, *vers.16.b. Nam reatus quidem est ex una offensa ad condemnationem: quod autem gratificatur* Deus, est *ex multis offensis ad Justificationem.* Apostolus indicat, disparitatem istam positam esse in imparibus *principiis* & *finibus*, tùm *mali* Adamici, scilicet *κρίματος* & *κατακρίματος*, reatus & condemnationis: tùm *boni* & *doni* à Christo, scilicet *χαρίσματος* & *δικαιώματος*, id est, justitiæ gratuitæ, quam habemus in Christo, & ejus effectus, Justificationis.

Quomodo? 1. *Τὸ κρίμα, reatus* est ab una offensa, scil. primi Hominis, ad *κατάκριμα, condemnationem.* At verò *τὸ χάρισμα* Christi non est ex una offensa, sed ex multis ad Justificationem. 2. *Reatus* est ad condemnationem ex offensa prima *effectivè*: quia lapsus Adami est causa *per se* reatus & condemnationis: *χάρισμα* autem non est ex offensa una vel pluribus *effectivè*; cùm peccatum non sit causa gratiæ & justitiæ: sed tantùm *occasionaliter* & *per accidens.*

γ. *Ἐπεξήγησις, vers.17. Etenim si per unam illam offensam mors regnavit per illum unum; multò magis, qui exundantiam illam gratiæ & doni justitiæ recipiunt, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Declarat* Apostolus & simul *probat*, quod dixerat *v.16. χάρισμα* Christi esse *εἰς δικαίωμα*, & quidem longè majore cum virtute & efficacia, quàm *κρίμα*, reatus lapsus Adami sit ad *κατάκριμα*, condemnationem. *Argumentum* petitur à *δικαιώματος* effecto, videlicet vita Regni cœlestis, ut sensus sit: Si per unius Hominis

minis (Adami) lapſum unum mors regnavit: quantò magis per donum juſtitiæ ex περισσείᾳ & abundantia longè majori (quàm ſcil. fuit offenſæ Adamicæ) gratiæ regnabit vita, & per conſequens ii, qui donum illud recipiunt, per unum Jeſum Chriſtum, Adamo longè majorem & ſuperiorem?

Huc-uſq; ſe extendit Comparatio imparium, quam Apoſtolus inſtituerat inter Statum peccati & gratiæ.

ΕΠΙΣΑΓΜΑ. Placet heic ſubjungere alias quoque diſparitates, quas Apoſtolus ſilentio præteriit, non quòd negligendas cenſeret, ſed quia præſentis argumenti non intererat, eas pertexere & enumerare. Nam ultra prędictas occurrunt adhuc tres aliæ non negligendæ,

α. In *Perſonis*, à quibus prædicta vel mala vel bona deſcendunt. Nam

1. *Adam* fuit ψιλὸς ἄνθρωπος. *Chriſtus* fuit quidem ἀληθινὸς Homo, ut patet ex *v.15.* attamen non ψιλὸς, ſed ſimul Dei Filius, adeoque Deus ipſe, *Dominus è cœlo. 1.Cor.15.47.*
2. *Adam* fuit peccator. Fit enim mentio ejus lapſus & reatus. *Chriſtus* fuit à peccatoribus ſeparatus, *Heb.7.26. 2.Corinth.5.21.* absq; omni labe peccati & originalis & actualis. *Luc.1.35. Joh.8.46. 1.Pet.2.22.*

β. In *Objectis*, ſive *Hominibus*, ad quæ bona vel mala deferuntur. Nam

1. *Adam* univerſum Genus Humanum per ſuum lapſum damnationi involvit.
2. *Chriſti* verò χάρισμα & juſtitia non pertinet ad omnes & ſingulos. Neque enim omnes & ſinguli Homines ſunt Deo per Chriſtum reconciliati, nec juſtificantur, nec ſalvantur: ſicut omnes per Adamum damnantur.

Ratio diſcriminis hujus hæc eſt: quia *maledictio*, quam trahimus ab Adamo, ad nos derivatur per *naturam*, id eſt, per naturæ in Adamo hæreditariam corruptionem. hinc mirum non eſt, ſi fermentum hoc pervadat totam maſſam. At verò *donum Juſtitiæ*, quod à Chriſto habemus, non deſcendit ad nos per *naturam*, ſed per *gratiam* indebitam. Hinc nemo doni hujus & gratiæ particeps fit, aut fieri poteſt, niſi Chriſto per fidem incorporetur. Itaque ut miſerâ quis peccati & mortis hæreditate potiatur, ſufficit,

eſſe

esse Hominem; quia in carne & sanguine malum omne hæret: ut vero justitiæ quis & salutis particeps fiat, fidelem esse necessarium est, quia non nisi per fidem hujus beneficii hæreditas adiri potest. Infantes quod attinet, diversa eorum ratio. habent enim in fœdere jus adoptionis, quo in Christi communionem transeunt. Quod posset in contrarium moveri, discutiam in *Quæstionibus*.

7. In *Modo*, quo deferuntur mala & bona. Nam

1. *Adæ* peccato non per solam reatus ejus imputationem damnamur, ac si alieni peccati, ad nos nihil pertinentis, pœna à nobis exigeretur: sed ideò ejus pœnam sustinemus, quia tùm culpæ ipsius sumus participes; tùm in ipso per & propter imputatum reatum, natura nostra ita vitiata est, ut propter hanc corruptionem duplici reatu obstricta sit Deo.

2. At per *Christi* justitiam alio modo restituimur. Neq; enim ideò nobis accepta fertur ad Justificationem coram Deo, quia ex ea trahimus Sanctificationem & Justitiam inhærentem: hæc enim cùm sit in hac vita imperfecta, & variis nævis maculata, non potest eam habere proportionem ad nostrum coram Deo *δικαίωμα*: quam habet corruptio nobis congenita ab Adamo ad nostrum *κατάκριμα*. sed quòd Christum cum bonis ejus omnibus Patris largitate nobis donatum possidemus.

II. *Concluditur vers. 18, 19.* Comparatio superiùs instituta & commemorata: dum iterum Apostolus Adamum cum Christo, & utriusq; effecta cum suis causis confert, atque inprimis illud porro declarat, quod paulo antè dixerat, *vers. 17. quòd, qui donum accipiunt justitiæ, sint regnaturi in vita per Christum.* Occurrit ergo heic Comparationis hujus

1. *Propositio. v. 18. Nempe igitur, sicut per unam offensam* (reatus venit) *in omnes Homines ad condemnationem: ita per unum δικαίωμα, justificationem,* (beneficium redundavit) *in omnes Homines ad justificationem vitæ.* Sensus est: Sicut offensæ unius reatus, videlicet Adami, est causa condemnationis omnium Hominum: sic unum *δικαίωμα*, scilicet Christi, est causa justificationis vitæ omnibus, ad Christum pertinentibus. Opponit ergo Apostolus in hac comparatione

α. *Παράπτωμα* Adami, *δικαίωμα* Christi.

β. *Κατακρίματι* Adami ex illo paraptomate, *δικαίωσιν* vitæ per

Christum, quâ videlicet vita æterna credentibus adjudicatur.

2. *Confirmatio. v. 19. Sicut enim per illam inobedientiam unius illius Hominis, peccatores constituti sunt multi: ita per unius obedientiam justi constituentur multi.* Quibus verbis Apostolus *effecta* illa gemina probat ex *causis* contrariis,

Reatum nimirum ad condemnationem, ex *inobedientia* prima Adami, per quam peccatores constituti sunt ex Adamo naturaliter descendentes:

Δικαίωμα vero, seu *justitia* Christi, Dei beneficio imputata ex illius *obedientia*. per quam justi constituuntur, quotquot eam fide apprehendunt.

Summa est, propterea per offensam Adami condemnari Homines, & per justitiam Christi vitam adjudicari Hominibus. quia per offensam Adami seu inobedientiam rei constituantur Homines; per Christi autem justitiam sive obedientiam justi constituantur Homines.

III. *Vindicatur* deniq; sub finem Capitis hujus superior Apostoli doctrina proleptice contra tacitam objectionem, *v. 20. Lex verò praeterea introiit, ut redundaret offensa illa: sed ubi redundavit peccatum, ibi redundavit gratia illa. v. 21. ut quemadmodum regnaverat illud peccatum ad mortem: ita etiam gratia illa regnaret per justitiam ad vitam aeternam per Jesum Christum, Dominum nostrum.*

Objicere quis potuisset: Si ita est, ut dicis, obedientiâ Christi nos justificari, adeóq; salvari; sicut Adami inobedientia rei constituimur & damnamur: frustrà nobis data est Lex: quod perabsurdum.

Respondere vult Apostolus per negationem consequentiæ. Nam etsi non hoc fine data sit Lex, ut nos per obedientiam nostram propriam, quam Lex a nobis exigit, justificemur: attamen alio gemino fine data est.

1. Ad *augmentum Peccati. v. 20. Lex verò praeterea introiit ut redundaret offensa illa.* Indicat Legem, Mosis scilicet, intervenisse inter lapsum Adami & obedientiam Christi; ut lapsus Adæ augeretur. Quomodo?

α. Quia Lege lata imputatur omnibus.

β. Quia occasione Legis gignit plura alia peccata actualia. & peccatum fit magis peccans. *Rom. 7. 13.*

γ. Quia post Legem magis cognoscitur. Nam, ut

supra

ſuprà dixerat, *v.13. peccatum eſſe non putatur non exiſtente Lege.* Ergo Lex prodit & in apricum producit peccata. Hinc ſuprà *Cap.3.20.* dixerat: *per Legem eſſe agnitionem peccati.* Notandum hoc, ne juſtitiam quæramus in Lege, cùm peccatum augeat, adeoque reatum & condemnationem.

2. Ad *augmentum Gratiæ* conſequenter, *v 20.b. ubi redundavit peccatum*, ibi *ſuperabundavit gratia.* Quomodo? α. Augeſcentibus per Legem peccatis, gratia augetur, quia aufert & delet omnia peccata. β. Reſpectu cognitionis illuſtrior redditur gratia Dei.

Probatur ex *effecto* & *fine*: quia *regnat per juſtitiam ad vitam æternam. ſicut peccatum regnavit ad mortem, v.21.* ubi *Regnum mortis* & *vitæ* Apoſtolus iterum inter ſe committit: & in *Regno vitæ* offert gradatim conſiderand.

α. *Bona* ſeu beneficia, { *Principium, Gratiam* DEI. / *Medium, Juſtitiam.* / *Finem, Vitam æternam.* }

β. *Benefactorem* ſeu conciliatorem horum beneficiorum, *JESUM CHRISTUM, Dominum noſtrum*, cujus unius merito debetur hæc *gratia, juſtitia* & *vita.*

QUÆSTIONES.

Quæſt. I. Quid Apoſtolus *verſ.12.* intelligat nomine τῆς ἁμαρτίας, *peccati*, cujus bis facit mentionem?

Reſp. Qui hôc nomine negant intelligi peccatum Adæ nobis imputatum, fallunt & falluntur. Quanquam enim peccatum inhærens, ceu corruptio nativa, conſecutive etiam ſub ambitu hujus nominis intelligi poſſit, propter individuum utriusque peccati nexum, idemq; nomen ſæpiùs ſumatur de Peccato inhærente; tamen hoc loco primò & propriè Apoſtolus non niſi lapſum primum Adæ indigitare voluit.

Rat. 1. Quia Paulus voluit cauſam primam condemnationis generis Humani indigitare. Hæc autem non eſt corruptio nativa, hæreditaria; ſed lapſus παραπτώματος, ex quo manavit quoque illa corruptio.

2. Quia, juxta Pauli ἀντίθεσιν & σύγκρισιν, peccatum unius Hominis opponitur juſtitiæ unius Hominis, & quidem in ordine ad condemnationem ab una parte, Adami & poſterorum; & Juſtificationem ab altera parte, fidelium Chriſtianorum. Atqui in oppoſito intelligitur, ſaltem in hac materia & controverſia de Juſtificatione, juxta ſcopum Apoſtoli, nequaquam juſtitia inhærens, ſed imputata: quia Apoſtolus hoc Capite perſequitur adhuc Doctrinam de Juſtificatione, & demum in ſeqq. incipit agere de Sanctificatione. Neceſſum eſt ergo, ut per oppoſitum peccatum intelligatur non inhærens, ſed imputatum.

3. Hinc porrò ex effectibus oppoſitis, videlicet Juſtificatione per Chriſti obedientiam, & condemnationem per Adami ἁμαρτίαν, poteſt colligi, (cùm, quo ſenſu ſumuntur effecta, eodem ſumi debeant cauſæ) per peccatum Paulum non intelligere

peccatum Adami, ut sic loquar, originatum, nobis inhærens [illegible] originans, id est, lapsum primævum.

4. Imò porrò dici potest, *Mortis* vocabulo ipsam quoque corruptionem [illegible] comprehendi. Hæc enim est α. Pœna peccati primi seu lapsus Adamici. β. Quod corruptio est in Corpore mortali [illegible] & mors tandem ipsa [illegible] nimirum Corporis ab anima, id est destructio Imaginis [illegible] ejus à principio & fonte Vitæ, Deo. γ. Quia corruptio hæc non potuisset [illegible] alicujus, NB. vel pœnæ, vel etiam reatus transire in posteros, [illegible] principio lapsus primi.

5. Succinant [illegible] [illegible] comparatio *versu* 12. inchoata [illegible] explicatur & concluditur. Nam [illegible] intuenti, quod Analysis [illegible] facile indagare potest, [illegible] est ἁμαρτία, causa mortis, id [illegible] est [illegible] causa Condemnationis, [illegible] παρακοή, inobedientia seu transgressio primæva, causa reatus.

Objic. 1. Verbum [illegible] introire in Mundum, non posse [illegible] peccato imputato, sed propagato.

Resp. Hoc vero postulatur per petitionem principii. *Rat.* [illegible] peccatum ipsum actuale non transeat, transit tamen ejus reatus. [illegible] reatus Vatalli, quo [illegible] [illegible] *Jos.* 7. transiit ad totam ipsius familiam. 2. Q[illegible] pervenit ad nos, fatentibus ipsis Adversariis, [illegible] & imputationem. 3. Addo, dici posse [illegible] Mundum, quia primum in Mundo, videlicet genere [illegible]

Objic. 2. Actionem singularem unius non [illegible] quia scilicet sit transiens.

Resp. Si τὸ *transiens* esset evanescens, [illegible] non potest dici hoc sensu transiens, vel [illegible] *Rat.* 1. Quia Adamo reliquit & reatum & corruptionem. 2. [illegible] sententiam, reliquit corruptionem. Ergo [illegible] Transiit autem, dices, reatus? Ego verò respondeo, α. [illegible] esse in posteris tum reatus, tum corruptionis, qui in Parente [illegible] ex Dei fœdere & pacto, in quo non personaliter Adamus solus, sed [illegible] ejus fuere conclusi. 3. Hinc corruptionem non potest [illegible] in posteros absque reatu imputato primi peccati. *Rat.* Quia [illegible] potuisset esse pœna posteris: neque etiam aliquem secum [illegible] uti ante [illegible]

Quæst. II. Quid sibi velint illa Apostoli verba, *vers.* 12.
[illegible]?

Resp. Novi circumferri diversas Interpretationes. Vulgato & Bezæ, imò plerisque aliis ex Patribus Græcis & Latinis, inprimis Augustino, tantundem valet, atque *in quo peccârunt*, ut [illegible] referatur ad Hominem primum Adamum, per hyperbaton. Aliis secus videtur, inprimis N[illegible] consensu Ecclesiæ veteris & recentioris, herbam [illegible] imputationem peccati primi Adamici, & volunt [illegible] *quatenus*, aut *eò quòd peccârunt*. Aliis utraque interpretatio [illegible] doctrina de Peccato originali, & imputatione Peccati primi [illegible]

Sententia mea est, 1. Nullam [illegible] exigentem, ut recedamus à communi & recepta translatione IN QVO. *Rat.* α. Quia notum est, relativa non semper ad proxima, sed sæpe [illegible] referri. β. Quia τὸ [ἐπί] in Scriptura sumi

non

non raró pro [ἐν] non poteſt ignorari, niſi ab iis, qui hoſpites agunt in Scriptura. 2. Poſito τὸ [ἐπὶ] ſumendum *cauſaliter*, pro *quia, ideo quòd*, &c. nihil proficient impugnatores imputati peccati Adamici.

Rationes ſunt. 1. Quia per hanc αἰτιολογίαν omnes Homines peraguntur rei Mortis, ex participatione peccati primi Hominis, tanquam cauſæ Mortis. Ergo neceſſum eſt eos eſſe reatus illius participes, quod aliter fieri non poteſt, niſi per imputationem. Nam ſi regerant propagationem corruptionis: viciſſim dico, uti ad Quæſtionem præcedentem monui, negatâ reatus primi imputatione, corruptionem illam nec poſſe habere rationem pœnæ, nec culpæ: quorum utrumq. omnium ſanorum conſenſu eſt abſurdiſſimum. Non, inquam, *pœnæ*. Cur enim præſtarent Filii Parentum culpam ad ſe non pertinentem? Neque *culpæ*. Quid enim culpæ adhæreret morbo, quem Filii ſuo vitio & culpâ non attraxerunt? 2. Quia expreſſè dicitur de ipſis in Aoriſto, ἥμαρτον, *peccârunt*. Indigitatur utique heic actus peccati, non corruptio innata. 3. Ne quis cavilletur, indefinitè ſumi verbum de quovis tempore, quo omnes Homines peccare ſolent actualiter, ut de ipſorum quoq. peccatis ſint accipienda verba; obſtat exemplum *Infantum*, qui, uti ſunt morti obnoxii, ita non poſſunt excipi à verbo ἥμαρτον, qui tamen nunquam dici poſſunt actualiter peccare & peccaviſſe in ſe, ſed tantùm in Adamo.

Qui plura heic deſiderabit, adeat *Tractatum* Viri clariſſimi, & Eccleſiis orthodoxis, in Gallia præſertim, propter noviſſimam ejus ἀγωνίαν, deſideratiſſimi, *D. Antonii Gariſſolii, de Imputatione peccati primi Adamici, cap.* 8. ubi locum hunc Pauli contra τ̃ν νεωτεριζόντων ſtrophas fuſè & ſolidè vindicavit.

Quæſt. III. Nunquid videatur eſſe Juſtitiæ Dei contrarium, dicere, poſteros Adami peccâſſe in ipſo, & ſic reos factos mortis per imputationem peccati illius primi Adami? *Rat. dub.* ex *Ezech.* 18. *verſ.* 20.

Reſp. Nulla heic ἀδικία. 1. Si etiam in Humano judicio culpæ Parentum imputatio, quæ fit liberis & poſteris, ad exhæredationem, proſcriptionem & alias pœnas, vacat culpâ: cur ea non valeret in judicio Dei, cujus ἀνεξιχνίαστα & juſtitia ſuperat omnes Humani ingenii coccyſmos, *Pſal.* 51. 6. *Job.* 34. 10, 11, 12. 2. Locus *Ezechielis* agit de æquitate & conſuetudine Dei ordinaria atque ἐπιεικείᾳ, cui Deus ita ſe non adſtrinxit, quin pro ſuo, interim juſtiſſimo, placito poſſit nonnunquàm agere ſeciùs, quod vel ex comminatione, *Præcept.* 2. *Decalogi* annexâ, patére poteſt. *Exod.* 20. *v.* 5. 3. Adde, locum *Ezechielis* agere de peccatis Parentum perſonalibus, quæ non ſemper ſunt hæreditaria. Atqui peccatum primum Adæ non fuit perſonale, ſed ei cum tota Natura & poſteritate in ipſo radicatâ commune, ex primo fœdere, nó ſingulari, ſed communi, cum ipſo inito, uti ſupra monui.

Quæſt. IV. Quid ſibi velit illud, *verſ.* 13. ἁμαρτία οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου?

Occurrunt heic tranſlationes diſſonæ. Vulgat. *Peccatum non imputatur*. Beza in poſteriorib. edit. *Peccatum non eſſe putatur*. Piſcator: *Peccatum non reputatur, &c.* eodem ſenſu. Sic Syrus interpres. Lutherus quoque: Da kein geſatz iſt / da achtet man der ſünde nichts.

Novatores primam interpretationem de non imputatione peccati avidè arripiunt, ut hinc evincant, peccatum hoc, quod Apoſtolus dixit fuiſſe in Mundo, nondum exiſtente Lege, non eſſe peccatum primum Adæ: 1. quia hoc fuerit tranſiens: 2. quia Lex Adamo lata ceſſaverit. Ergo quoque peccatum primum Adæ non fuiſſe imputatum.

Resp. 1. Malo insistere Interpretationi posteriori, ut sensus sit: Ubi non est Lex, ibi nulla est vera æstimatio, cognitio, sensus peccati, uti quoque in Analysi monitum, ut respondeat iste locus alteri *cap.4.v.15.* 2. Quod si cui magis placeat vox *Imputationis*, ut sensus sit, peccatum, ubi non est Lex, Homini non imputari ad pœnam: non absolute, sed comparate locus fuerit accipiendus; ut sensus sit: Quanquam latâ Lege peccati reatus sit evidentior & gravior; hincque videri possit, quasi Lege nondum latâ nullus fuisset reatus in Hominibus & peccati imputatio: tamen contrarium patere ex effectu peccati, scilicet Morte, quæ jam ante Legem grassabatur, *vers.14.*

Quicquid sit, nullum hinc Novatoribus vel subsidium, vel κληροφύγιον pro negata imputatione peccati primi. Atqui inter Adamum & Mosen non fuit amplius peccatum primum. *Rat.* quia cessaverat Lex Adamo tradita. *Resp.* Fuit & *Lex*, & *peccatum*. 1. *Lex* fuit, quoad vim & obligationem omnibus Adami posteris in ipso perpetua; præsertim quia Lex particularis interdicti fuit πειραστικὴ, experimentalis Legis communis Naturæ, Homini primo, & in ipso omnibus posteris primitùs impressæ, & dehinc per Legem Mosis instauratæ. 2. *Peccatum* fuit, non quidem actus sui, sed reatus perpetui respectu.

Quæst. V. Quos'nam Apostolus *vers.14.* per eos intelligat, *qui non peccârunt ad similitudinem transgressionis Adami?*

Resp. 1. Quidam intelligunt omnes eos, qui vixerunt ante latam Mosis Legem. Hos dici non peccâsse ad similitudinē illius transgressionis; quia cum Adam peccaverit contra expressum Dei mandatum, hi peccaverint absque mandato: cùm Lex demum fuerit per Mosen data. Sed obstat, ut eruditè Beza observavit, particula καὶ, quæ insinuat aliquam exceptionem & discrimen inter eos, qui vixerunt ab Adamo ad Mosen, ut sensus sit, Mortem regnâsse in omnes illos absque exceptione etiam in eos, qui peccârunt ad similitudinem Adami. 2. Censeo itaque, discrimen heic fieri inter *Adultos* & *Infantes*, in infantia morientes: quorum illi ad similitudinem Adami præsupponuntur peccâsse, quia peccatis actualibus variis se contaminaverunt. *Infantes* autem negantur ad similitudinem Adami peccâsse, quia actualiter peccare non potuerunt. Interpretatio hæc est Apostoli scopo admodùm cōsentanea, quippe qui ostendere voluit, omnes Homines reatui Adami involutos, etiam actualiter non peccantes, hincque ipsos quoq; *Infantes* nasci sontes & reos.

Si quis νεωτερίζων hoc vellet ulteriùs extra scopum Apostoli extendere, & hinc arguere: Infantes ne quidem in Adamo peccâsse, adeóq; commentitiam esse imputationem peccati, quia negentur peccâsse ad similitudinem Adami.

Resp. 1. Hanc argutationem Apostoli scopo, de quo jam dixi, adversaturam, qui reatum universalem omnium Hominum, etiam Infantum, ex effecto ejus, scilicet Morte, voluit arguere. nullus autem esset Infantum reatus absque imputatione peccati primi. 2. Licet teneantur reatu peccati primi, tamen dissimilitudini ipsis intercedenti cum Adamo id non obstat, propter geminam causam: α. Quia peccato actuali proprio destituuntur: β. Quia peccatum actuale Adami non perpetrârunt in se & per se, sed in Adamo & lumbis ipsius.

Quæst. VI. de Vocibus antitheticis occurrentibus in comparatione Paulina *vers.12. & seqq.* quomodo sint accipiendæ?

Resp. Quantumvis partim ex Analysi, & ex Quæstionum præcedentium discussione, facile innotescere potuerit earum sensus & significatio; tamē placet heic in Schemate, attamen κατὰ πόδα textus Apostolici, eas veluti subjicere omnium oculis.

In

In STATVS PECCATI & MISERIÆ descriptione occurrunt voces.

1. Ἁμαρτία. v.12. bis. Intelligitur primo & proprie lapsus Adami.

2. Θάνατος. Ibid. & v.17. & 21. lapsus illius effectus, *Mors*, tum corporalis, tùm spiritualis; temporalis & æterna.

3. Ἥμαρτον, *peccaverunt*. *Ibid.* De actuali peccato proprie accipienda vox, & nominatim de primo illo lapsu Adamico.

4. Ἁμαρτία iterũ v.13. bis. Intelligo *peccatum Adæ imputatũ*, de quo v.12. cum annexa ei corruptione nativa, quæ vulgo *Peccatum originale* vocatur: consequenter et à peccata alia actualia connotãtur.

5. Παράβασις, *transgressio Adami*. v.14. Intelligitur iterum lapsus primævus.

6. Παράπτωμα, v.15. bis, & 17. & 18. idem cum παραβάσει. In plurali v.16. fit mentio παραπτωμάτων. Intelliguntur peccata omnia posterorum Adæ.

7. Κρίμα. v.16. Intelligitur Reatus primi peccati, qui ab Adamo imputative derivatur in omnes posteros.

8. Κατάκριμα. v.16. κρίματος effectus, scilicet condemnatio. Sic quoque v.18.

9. Παρακοὴ, *inobedientia*, v.19. eadem cum ἁμαρτία, v.12. cum παραβάσει, v.14. & παραπτώματι. v.15, 17, 18.

10. Ἁμαρτωλοί. v.19. Intelliguntur sontes aut rei propter peccatum coram Deo, voce acceptâ in significatione forensi: sicut apud Hebræos *Chattaim*.

11. Παράπτωμα iterũ v.20. ubi

In STATVS GRATIÆ descriptione occurrunt voces.

1. Χάρισμα, v.15. Opponitur hæc vox τῷ παραπτώματι. Sed quia Paulus παραπτώματος voce voluit Synecdochice indigitare totum Statum Miseriæ: puto eum voce χαρίσματος voluisse indigitare totam Oeconomiam Status gratiæ, quod exegesis in verbis sequentibus satis insinuat.

2. Χάρις τοῦ Θεοῦ, *gratia Dei*, v.15. Intelligitur Amor, Misericordia Dei.

3. Δωρεὰ ἐν χάριτι. *Ibid.* est χάριτος & gratiæ illius effectum. Intelligo Christi justitiam sive obedientiam nobis gratiose à Deo per fidem donatam: quia *ibid.* v.15. & postea v.19. opponitur παραπτώματι & lapsui Adami.

4. Δώρημα. v.16. Videtur quodammodò distinguere Apostolus inter δωρεὰν, *donationem*, & δώρημα, *donum* ipsum: ut voce priore emphatice designet δώρησιν & modum gratiosæ imputationis: posteriore verò δώρημα & donum ipsum, quod nostrum fit per donationem, videlicet Justitiam.

5. Χάρισμα iterum v.16. Intelligo iterum per συμπλοκὴν gratiam, tùm gratis dantem, ut vocant, tum gratis datam, id est, donum Justitiæ, de quo v.15.

6. Δικαίωμα. *Ibid.* Justificatio intelligitur, quæ est Justitiæ Christi ἀποτέλεσμα & effectum: jus videlicet vitæ atque hæreditatis cœlestis.

7. Περισσεία τῆς χάριτος, v.17. Vox τῆς περισσείας indigitat collationem majoris boni & beneficii cum minore malo & maleficio. χάρις idem significat quod v.15. causam scilicet primam nostræ Justificationis & salutis, Dei misericordiam.

8. Δωρεὰ τῆς δικαιοσύνης. Existimo intelligi illud ipsum δικαίωμα, cujus mentio facta v.16. id est, donum Justificationis.

9. Δικαίωμα. v.18. Puto, vocem δικαιώματος non tàm late sumendam atq; v.16. quia distinguitur heic à δικαιώσει. Itaque cùm opponatur τῷ παραπτώματι Adami, id est, ejus inobedientiæ, puto per hoc δικαίωμα esse intelligendam ex Lege oppositorum Christi justitiam in ipso residentem.

10. Δικαίωσις ζωῆς, *justificatio Vitæ*. *Ibid.* Effectus δικαιώματος, justitiæ Christi. quâ nomine intelligitur non tantum Remissio peccatorum, sive absolutio à condemnatione, sed & adjudicatio Vitæ & gloriæ cœlestis. Ideò vocatur emphaticè *Justificatio* VITÆ.

11. Ὑπακοὴ, *obedientia*. v.9. Opponitur τῇ παρακοῇ Adami, quæ, quum fuerit transgressio Legis, per quam damnamur; necesse est, hanc ὑπακοὴν esse obedientiam.

ubi quoque vocatur *ἀμαρτία*, v.21. ut sciamus, voce *ἁμαρτίας* Paulum v.12. voluisse primò intelligere lapsum primi Adami: consequenter tamen, ut suprà dixi, includere voluisse corruptionē nativam cum suis fructibus.

tiam Legis, per quam justificemur. Quæ & qualis sit hæc obedientia [illegible].

12. *Δικαιοσύνη*, v.21. nulla alia intelligi [illegible] aut intelligi potest, nisi Justitia [illegible] in Christo [illegible]: ad nos autem transit [illegible]. Patet ex eo, quod Apostolus dicat v.21. [illegible] a gratia Dei: 2. regnare ad vitam æternam: 3. per Jesum Christum, Dominum nostrum.

Quæst. VII. An gratia Dei nobis in Christo collata [illegible] universalis, quæ pertineat indiscriminatim ad omnes & singulos Homines? *Ratio dubit.* ex [illegible] Adami cum Christo, inprimis ver. 18. ubi dicitur [illegible] Christi redundasse in omnes Homines, sicut reatus unius *παραπτώματος* venerit in omnes Homines.

Resp. 1. Si perinde [illegible] Christi pertineret ad omnes & singulos Homines, uti Adami *παράπτωμα*, sequeretur, omnes Homines justificari, & per consequens salvari, quod [illegible] est experientiæ. Dicit enim Apostolus, *[illegible] in omnes ad justificationem vitæ.* Atqui innumeri & major Hominum pars excluditur à justificatione & vita, & manet in condemnatione, quia destituitur fide justificante. 2. Ergo per *omnes* intelliguntur non omnes simpliciter, sed omnes [illegible] pertinent ad Christum: & omnes non opponuntur paucis, sed uni, scilicet Christo, cui adhærent per fidem.

Objic. 1. Si Adam omnes simpliciter perdidit, Christus verò non omnes sine exceptione servavit, non constabit Pauli comparatio.

Resp. Non sequitur. Comparatio enim [illegible] in *numero* perditorum aut servatorum; sed partim in *rebus* bonis & malis, quæ ab Adamo & Christo communicantur Hominibus, videlicet peccato [illegible] & vita; partim etiam in *modo* communicationis, per imputationem [illegible] peccati [illegible] justitiæ.

Objic. 2. Ergo Adam videtur fortior fuisse ad perdendum, quàm Christus ad servandum. Atqui Christo tribuitur ab Apostolo [illegible] gratiæ & justitiæ, v.15.17.18.

Resp. 1. Virtus & abundantia gratiæ non est æstimanda ex numero aut multitudine [illegible]: neq; etiam, si omnes servarentur, aliqua hæc abundantia foret, sed potius æqualitas. Quin si vel unus tantum per Christum salvaretur, constaret gratiæ atq; justitiæ sua abundantia. Majoris enim est virtutis, unicum mortuum vitæ restituere, quàm mille homines interneciom dare. Adde, abundantiam in eo quoque se exerere, juxta indicium Apostoli, v.16. quod cùm reatus ab una Adami offensa dimanaverit ad omnes Homines: gratia & [illegible] Christi ex multis offensis procedat ad credentes. 2. Quod salus Christi non pertingat ad omnes, non fit ex defectu & imbecillitate virtutis Christi ejusque meriti, sed ex defectu fidei eorum, qui malunt in infidelitate & impietate perire, quàm Christum per fidem amplecti.

Quæst. VIII. Quæ aut qualis *Obedientia Christi* intelligatur *vers.*19. inobedientiæ Adami opposita?

Resp. Sunt qui intelligant tantùm *obedientiam*, quam vulgo vocant *passivam*, quâ Christus speciali Legi Patris, de morte pro nobis obeunda [illegible]. Atqui 1. in verbis Apostoli nulla fit mentio obedientiæ, huic speciali mandato Patris exhibitæ. 2. Speciale mandatum Patris nullum fuit, quo meritum Christi fuerit restrictum tantum ad ipsius

ipsius passionem & mortem: cùm Christus à Patre missus fuerit cum mandato non solùm patiendi & moriendi pro nobis, sed & implendi totam Legem. *Matth.* 5.17.18. *Gal.* 4.4. *Rom.* 10.4.

Dicendum ergo, per *Obedientiam* hanc Christi intelligi non tantùm eam obedientiam, quam exhibuit Deo Patri in passione sua & morte: sed totam totius vitæ obedientiam, quâ non solùm comminationi Legis sese submisit, pœnas peccatorum nostrorum in se voluntarie suscipiendo: sed & Legis jugo se nostro loco subjecit, ad satisfaciendum omnibus mandatis atque præceptis Legis, quam vulgò vocant *obedientiam activam*. *Rat.* 1. Quia opponitur obedientia Christi, inobedientiæ Adami, quæ utique activa fuit, quâ ipse mandatum Dei fuit transgressus. 2. Quia intelligitur ea Obedientia, quâ pronunciamur justi secundùm Legem. Dicit enim Apostolus, *nos per obedientiam Christi justos constitui, v.* 19. Atqui non solùm ex passionibus Christi & perpessione pœnarum nostro loco, justi pronunciamur: imò nisi obedientia activa passionibus ejus fuisset connexa, non possemus per & propter eas justi pronunciari; nisi quis dicere velit, eum, qui propter peccata sua patitur & punitur, ea de causâ justum esse pronunciandum: sic Diaboli & damnati in Inferno justi essent pronunciandi. Itaque justi pronunciamur propter imputatam nobis eam obedientiam Christi, quâ non solum minis, sed & mandatis Legis pro nobis satisfecit. Nam is demùm in Lege & à Lege justus pronunciatur, qui fecerit omnia, quæ sunt Legis, *Levit.* 18.5. *Ezech.* 20.11. cui oneri cum nos impares essemus, Christus illud in se suscepit, *Rom.* 8.4.5. ut procuraret nobis omnem justitiam, & nos non solùm à *maledictione* Legis liberaret, sed & *promissionis*, quâ Vita æterna atque cœlestis obedientibus promittitur, participes faceret.

Objic. 1. Paulum opponere obedientiam Christi inobedientiæ Adami, quâ is speciale mandatum Patris, de abstinendo à fructu certæ arboris in Paradiso, fuit transgressus.

Resp. Atqui speciale hoc mandatum virtutem in se continebat totius Legis moralis, de dilectione Dei & proximi: & spectabat ad examen obedientiæ totius Legis, quæ primi Hominis animo fuerat insculpta. Hinc quoq; prævaricando mandatum illud speciale, transgressor factus est totius Legis.

Objic. 2. Obedientiam passionis & mortis Christi sufficere ad nostram Justificationem: quia sufficiat ad Remissionem peccatorum.

Resp. Atqui gratis hoc postulatur, Remissionem peccatorum sufficere ad nostram Justificationem. Id jam superiùs est explosum. Nam ad perfectam nostram coram Deo Justificationem id non sufficit, ut à culpa atque pœna nostrorum peccatorum absolvamur; quod beneficium nobis contingit propter satisfactionem comminationi Legis à Christo loco nostro præstitam: sed insuper hoc requiritur, ut propter perfectam obedientiam mandatis Legis præstitam, δικαίωμα & jus vitæ, gloriæ & hæreditatis cœlestis nobis adjudicetur, juxta promissionem priùs memoratam, *Levit.* 18.5. quod beneficium propriè contingit per & propter imputatam justitiam Christi, sive conformitatem totius naturæ & vitæ ejus cum Lege.

Objic. 3. Christum ad istam obedientiam obligatum fuisse non pro nobis, sed pro semet-ipso: tanquam Hominem.

Resp. Atqui non propter semet-ipsum, sed propter nos factus est Homo, ut posset in assumpta Servi forma, omnem servitutem Legis tùm mandatis, tum minis debitam, præstare. Hinc obligatio ad Legis obedientiam pertinuit ad statum servitutis ejus & humiliationis, ut nunc, Homo licet manens, in Statu gloriæ non amplius possit dici obnoxius jugo Legis, quippe qui sit supra omnem Legem.

Objic. 4. Si obedientiâ eâ Christi justificaremur, quâ ipse implevit mandata Le-

gis: sequeretur, nos ab obedientia hac esse exemptos. quod sit absurdum.

Resp. 1. Non magis hoc sequitur, ac si quis dicat, nobis non amplius esse propter peccata patiendum & moriendum, quia Christus loco nostro pro peccatis passus & mortuus fuerit. 2. Itaq; sciendum, nobis non amplius incumbere dominium & jugum Legis, quo rigorosè perfecta Legis obedientia exigitur, & quidem eum in finem, ut per eam vitam æternam promereamur. 3. Interim tenemur ad obedientiam Legi, quantum hujus seculi infirmitas patitur, præstandam, ut hac ratione fidem nostram, & gratitudinem erga Deum testificemur, & manifestum fiat, Christum nos non tantum à culpa & pœna, sed etiam à regno & dominio peccati liberâsse.



CAPVT VI.

DESCENDIT jam Apostolus ad alterum *Justificationis effectum*, externum magis, videlicet SANCTIFICATIONEM. Tractat hunc locum prorsus *ἀνασκευαστικῶς*, diluens & refutans varias *Objectiones*, tùm ex superiore doctrina de *Justificatione*, tùm ex hac de *Sanctificatione* emergentes.

Objectiones autem sunt tres, quarum *prima* & *secunda* hoc Capite, *tertia* seq. Cap. VII. diluitur.

DE OBIECTIONE PRIMA.

Ad *Sanctificationis* doctrinam transitum facit per *Objectionem*, occasione superioris doctrinæ de *Justificatione*, inprimis verborum, quæ proximè præcesserant, *Cap. V. v. 20. Lex introiit, ut redundaret offensa, & hinc quoq; gratia.*

Objectio vers. 1. habetur: *Quid igitur dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia auctior fiat?* Sensus est:

Si aucto peccato augetur gratia, ergo permanendum in peccato. *Rat.* ab effectu utili: quia per peccatum illustrior redditur Dei gratia.

Atqui absurdum & impium est consequens.

Ergo & antecedens.

Superiùs quoque *Cap. 3. v. 7. 8* attigit hanc objectionem, aut potiùs calumniam, sed brevius, differens ejus refutationem in hunc locum. Alibi quoque *Gal. 2. 17.* eandem proponit & perstringit. Hæc nimirum est cœcæ & impiæ rationis Humanæ consequentia, quam nectit ex doctrina de Gratia Dei, & gratuita per fidem Justificatione. Exemplo sunt *Pontificii*, quorum simili

mili calumniâ gravatur doctrina nostra orthodoxa de Justificatione per fidem, contra operum merita: nec non *Epicurei* & profani, de quibus Judas *Epist.v.4.*

Responsio Apostoli habetur *v.2--14.* Instituitur ea

A. Per Ἀνασκευὴν, *Refutationem*, quâ Apostolus 1. *negat* simpliciter, & quidem cum detestatione; Justificatos & in gratiam à Deo receptos, debere permanere in peccato. *v.2.a. Absit.* 2. *Probat* dehinc argumentis, a statu seu conditione Justificatorum desumptis, eorundem videlicet *Sanctificatione*, quæ posita est partim in *Mortificatione* & *sepultura veteris*; partim in *Resuscitatione* & *vivificatione novi Hominis. v.3. Qui peccato mortui sumus, quomodo adhuc vivemus in eo? &c.* Argumentum huc redit.

Quicunque mortui sunt peccato, & vivunt justitiæ, illi non permanere possunt ac debent in peccato. *Rat.* ex natura contrariorum, quæ sunt incompatibilia; ut eorum uno posito, tollatur alterum; & vicissim.

Atqui fideles & justificati sunt mortui peccato, & nunc vivunt justitiæ. Observa, Paulum dicere, esse *mortuos peccato*, videl. servituti peccati, ne peccatum in ipsis regnet. non sensu eo, quo alibi *Ephes.2.1.* dicuntur esse *νεκροὶ τοῖς παραπτώμασι καὶ ἁμαρτίαις*: mortui scilicet in peccatis, id est, versantes sub dominio & jugo peccatorum.

Ergo in peccato permanere non possunt, nec debent.

Assumptionis λῆμμα utrumque Apostolus sibi sumit probandum.

α. *Primum*, quòd scilicet fideles sint mortui peccato, probat ex adjuncto, videlicet eorum *Baptismo. v.3. An ignoratis, quotquot baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ipsius esse baptizatos? v.4. Consepulti sumus igitur ei per Baptismum in mortem.* Prosyllogismus Apostoli hic est:

Quicunq; sunt in mortē Christi baptizati, illi sunt mortui peccato. *Rat.* Quia mediante Baptismo uti Christo inseruntur, ita efficaciam mortis ejus ab ipso trahunt ad mortificationem peccati. quod postea *v.14.a.* indicat, quum dicit, *nos esse σύμφυτοι, complantatos Christo per assimilationem mortis ejus.*

Atqui fideles sunt baptizati in mortem Christi, *v.3.* quod evincit ex testimonio Romanorum fidelium cōscientiæ: *An ignoratis &c. v.3.4.*

Ergo iidem ſunt mortui peccato: & per conſequens non poſſunt nec debent manere in peccato.

Obſervetur (NB) heic inter alia, quòd Apoſtolus non tantùm meminerit, quum facit mentionem mortificationis noſtræ, *Mortu*, ſed & *Sepulturæ* peccati in & cum Chriſto. *Rat.* Vt ſignificet continuam, ſucceſſivam, & ſenſim uſque ad finem vitæ noſtræ naturalis durantem peremptionem & conſumptionem peccati in juſtificatis & regenitis; qualis in cadaveribus mortuis etiam contingere ſolet.

6. *Secundum* λῆμμα eſt, quòd juſtificati vivant & vivere debeant juſtitiæ. *Probat* id Apoſtolus ex communione & efficacia tùm *Mortu*, tùm *Reſurrectionu* Chriſti, quam Apoſtolus

I. *Proponit*, videlicet.

1. *Mortis* Chriſti, cujus utiq; finis eſt vita nova, *v.4.a. Conſepulti ſumus ei per Baptiſmum in mortem.* Atque hoc jam ad ſuperius λῆμμα tractavimus.

2. *Reſurrectionis* Chriſti, *v.4.b. ut, ſicuti ſuſcitatus Chriſtus ex mortuis in gloriam Patris; ita & nos novâ vitâ ambulemus.* In originali habetur: ἠγέρθη Χριστὸς ἐκ νεκρῶν διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρός. Particula διὰ, à nonnullis uſurpatur pro *Per*, ut notet cauſam efficientem: aſt nonnunquam etiam ſumitur pro εἰς, *Ad*, ut notet cauſam finalem. utraq; ſignificatio occurrit in una ſententia, *2.Pet.1.3.* Itaque exiſtimo, Paulum dicere voluiſſe: Sicut Chriſtus ſuſcitatus eſt ex mortuis, non ſolùm ad illuſtrationem gloriæ Patris ipſum reſuſcitantis; ſed & ad plenam participationem & communionē gloriæ illius in Cœlo: ſic nobis quoque reſurgendum ex morte peccatorum ad vitam novam, quæ reſpondeat noſtro πολιτεύματι in Cœlis. *Philipp 3.20.*

II. *Declarat* ulteriùs per ſimilitudinem, deſumptam ab implantatione & inſitione ſurculorũ in aliquam arborem. *v.5. Nam ſi cum coplantati &c.* quâ ſimilitudine, ut Calvini verbis utar, *non exempli tantùm conformitatem deſignat, ſed arcanam conjunctionē, per quā cum Chriſto coaluimus: ita ut nos Spiritu ſuo vegetans ejus virtutem in nos transfundat. Sicut enim ſurculus communem habet vitā & mortis conditionem cum arbore, in quam inſertus eſt: ita vitæ non minùs, quàm & mortis*

Chriſti

Christi participes nos esse, consentaneum est. Hæc mens est verborum *v.5. Nam si cum eo plantati coaluimus assimilatione mortis ejus, nimirum etiam resurrectionis* assimilatione *coalescemus.* Hoc ipsum verò Apostolus proporro per *ἐπεξήγησιν* pleniùs illustrat, agendo de *Communione*

ℵ. *Mortis* Christi, *v.6. Illud scientes, veterem illum nostrum Hominem cum eo* (Christo) *crucifixum esse, ut cassum reddatur corpus peccati, ne nos ampliùs serviamus peccato. v.7. Etenim, qui mortuus est, liberatus est à peccato.* Quibus verbis docet Apostolus,

1. *Quomodo* Christo commortui simus: per *crucifixionem veteris Hominis*, id est, nativæ nostræ, quam ab Adamo traximus per generationem carnalem, corruptionis: quam quoq; vocat *Corpus peccati.* de quibus videbimus in *Quæstionibus. Crucifigi* dicitur, quum regnum ejus & vis reprimitur & sensim aboletur.
2. *Quo fine. Ne ampliùs serviamus peccato*, adeóque à vetere illo Homine nos regi patiamur, ad implendas illius concupiscentias. *Rat.* quia per mortem (in Christo) sumus à peccatis liberati. *Simil.* Sicuti fideles per mortem corporalem cum vita simul deponunt peccata.

ℶ. *Vitæ* Christi. Communionem hanc Apostolus:

1. *Proponit, v.8.* Quòd si mortui sumus cum Christo, credimus fore, ut etiam ei convivamus, &c.
2. *Probat* per comparationem, cujus *Protasis*, seu *antecedens* habetur *v.9,10. Apodosis*, seu *consequens* & applicatio, *v.11.* Syllogisticè huc redit:

Major. Quæ ratio est Christi mortui & nunc viventis, eadem est ratio eorum, qui ipsi commortui sunt.

Minor. Atqui Christi mortui ea est ratio, ut mori ampliùs non possit, sed vivat in æternum, *v.9. Ut qui sciamus, Christum suscitatum ex mortuis non ampliùs mori: mortem* (inquam) *non ampliùs ei dominari.*

Rat. v.10. Nam quòd mortuus est, peccato mortuus est semel: quòd autem vivit, vivit Deo. Mens est:

Qui per mortem semel, perfectè nimirũ, abolevit peccatum, tanquam mortis, sibi propter nos aut loco nostro incumbentis, caussam; hincq; Vitam apud Deum æternam, videlicet per resurrectionem, ascensionem

in cœlum & sessionem ad dextram Patris, ingressus est: is utique non amplius moritur, sed vivit in æternum.

Atqui Christus &c.

Ergo &c.

Conclusio. Ergo eadem est ratio eorum, qui cum aut in Christo mortui sunt. *v.11. Ita etiam vos colligite, vos tum mortuos esse peccato; tum verò vivere Deo per Christum Jesum, Dominum nostrum.*

B. Per νουθεσίας seu *Commonefactionem* gravissimam, quæ *Refutationem* superiorem, & quidem per modum *illationis* (quod particula illativa οὖν, *v.12.* insinuat) concludit, *v.12,13,14.* Occurrit heic

I. *Propositio. v.12,13.* quæ illustratur tropis & similitudinibus, desumptis a Rege & subditis; Tyranno item & subditis. Continet ea

1. *Dehortationem. v.12.* quæ

α. *Proponitur. v.12.a. Ne regnato igitur peccatum in mortali vestro corpore.*

Peccati nomine intelligit corruptionem nativam etiam in regenitis residuam, quam postea *Cap.7. Concupiscentiam* vocat, cum Jacobo *cap.1.14.15.* Ac quia eam *peccatum* vocat, qui fit, quod Pontificii eam post Baptismum nolint amplius esse peccatũ, ut maxime postea, *Cap.7. v.13.* Apostolus eam vocet ἁμαρτίαν καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλόν.

Corpus mortale significat Apostolo nõ solùm carnem Hominis animæ contradistinctam; sed totum Hominem corruptum, uti dicetur in *Quæstionibus.*

Regnum peccati prohibet Apostolus. Non dicit, *ne sit peccatum:* quia ἀδύνατον est, fideles, etiá sanctissimos, quandiù vivunt, esse ἀναμαρτήτους, quod deinceps *Capite seq.* Apostolus suo exemplo cõdocefaciet. Sed, *ne regnet peccatum:* assimilans Peccatum Tyranno alicui, qui in miseram servitutem subditos cogit. Idem enim præstat peccatũ in irregenitis, qui nihil sunt aliud, quàm mancipia peccati, à quo se gubernari totos sustinent. Hinc alibi vocantur *mortui in peccato, Ephes.2.1. Col.2.13.*

β. *Explicatur,* quomodo peccatum nõ regnare debeat. Regnat peccatum in Hominibus dupliciter: 1. quum obsequium plenum & servile ei exhibent: 2. quum pro peccato militant. His enim modis Rex aliquis Regnum possidet apud sub-

ſubditos. Itaque Paulus à regno peccati dehortaturus fideles, revocat eos

a. Ab *obedientia* peccati, *v.12.b. ne regnato &c. ut auſcultetis ei in cupiditatibus corporis.* Deſcribit cupiditates, tanquam edicta quædam tyrannica peccati, per quæ illud in Hominibus dominatur. Monet ergo Apoſtolus, *ne obtemperemus*, ad-inſtar ſubditorum, qui iniquis Tyrannorũ edictis morem gerere ſolent.

b. A' *militia* pro peccato. *v.13.a. Neq; ſiſtite membra veſtra arma injuſtitiæ peccato.* Per *membra* intelligit non tantùm externa corporea, oculos, aures, os, manus, &c. ſed & interna ſpiritualia, mentem, voluntatem, affectus, &c. quorum illa horum, ad mala quæque perpetranda, organa & inſtrumenta ſunt. Monet, *ne membra hæc arma ſiſtantur injuſtitiæ peccato*, id eſt, ne accommodent fideles corruptioni innatæ ſeſe corpore & animo, ad exercendam iniquitatem: ſicut ſubditi ſeſe ad militiam ſiſtunt alicui Tyranno, ad perpetranda quævis κακουργήματα & crudelitatem.

2. *Adhortationem. v.13.b. ſed ſiſtite vos Deo, ut ex mortuis vivos, & membra veſtra arma juſtitiæ Deo.* Vbi *peccato*, ceu Tyranno, opponit *Deum*, ceu juſtum & legitimum Regem, cui ſe totos in obſequium addicere debeant. *Quomodo?*

a. Per *obedientiam*, ſcilicet mandatorum ejus.

b. Per *militiam* ſacram pro Deo atque juſtitia.

II. *Confirmatio.* Argumenta confirmationis deſumpta ſunt,

1. Ab *æquo. v.13.* quia ſint *ex mortuis vivi facti.* Repetitio eſt ex verbis præcedentibus, in quibus de mortificatione veteris & vivificatione novi Hominis actum eſt. Vivificatos Deo & mortuos peccato, non decet peccato ſed Deo ſoli vivere. Atqui &c. Ergo &c.

2. Ab *utili, v.14.a. Peccatum enim vobis non dominabitur.* Q. D. Si hoc feceritis, peccati regnum imminuetis, vim ejus enervabitis, dominium ejus excutietis: non fruſtrà certabitis, ſed victoriam obtinebitis.

3. A' *facili. v.14.b. Non enim eſtis ſub Lege, ſed ſub Gratia.* Q. D. Ne terreat vos difficultas, & veſtræ imbecillitatis conſcientia. Cogitate de ſtatu veſtro præſenti, & libertate vobis à Chri-

ſto

sto partâ. Onere ἀδιαφόρῳ rigorosæ exactionis, dominii & maledictionis Legis estis levati, & versamini nunc in statu & regno Gratiæ, quâ adjuti peccato resistere, justitiæ vivere, & si quæ vos vestra imbecillitas & peccati reliquiæ terreant, de venia certi & persuasi esse potestis.

QVÆSTIONES,
ex *Cap. VI. vers. 1---14.*

Quæst. I. An justificati sint prorsus ἀναμάρτητοι? *Rat. dub.* quia *v.* 2. dicuntur *mortui peccato*.

Resp. *Mortui* dicuntur *peccato* κατά τι, 1. secundum *Spiritum*, non *carnem*. 2. quoad *Regnum* & dominium peccati, quod abolitum est in Regenitis. Peccatum enim non prorsus quoad suam labem & reliquias in iis esse extinctum, patebit ex *Capite seq.*

Quæst. II. An omnes, qui baptizantur, regenerentur; hincq; colligi possit, gratiam Regenerationis esse aquæ Baptismi vel infusam, vel individuo nexu sic conjunctam, ut ab ea virtus Regenerationis divelli nequeat? *Rat. dub.* ex *v.* 3, 4. quia Paulus dicit: *quotquot baptizati sumus, esse in mortem Christi baptizatos*, adeóq; ei *commortuos & consepultos*.

Resp. 1. Falsum est, omnes baptizatos regenerari, sicut nec omnes circumcisi carne, circumcisi olim fuerunt spiritu. *Rom.* 2.27, 28 *Exempla* id docent, baptizati Simonis Magi. *Act* 8.13, 18, 20, 21, 22. qui retinuit cor [illegible]. Judæorum item impostorum, quibus Baptismus est aucupium pecuniæ. 2. Hinc falsum & illud, virtutem Regenerationis aquæ Baptismi vel infusam, vel nexu indissolubili conjunctam. Infusam virtutem confixit superstitio Pontificiorum, qui per magnum sacrilegium gratiam & virtutem Dei transtulerunt ad externa elementa, ad foveranda sua hinc lucra. A' quo sacrilegio parùm distat Doctorum novorum hyperbolicorum dogma, qui aquæ fluminis aquam flaminis, sive Spiritum Sanctum, ita alligant, ut putent, omnes aquâ ablutos vere regenerari & sanctificari, sicuti etiam docent, (qui error priorem secum traxit & peperit) omnes manducantes panem Eucharisticum, manducare quoque, & quidem ore, in, cum & sub pane Corpus Christi. 3. Ad locum Pauli resp. ondeo; Paulum loqui de fidelibus non tantùm ἔξωθεν, sed & ἔσωθεν baptizatis. *Rat.* α. Loquitur enim de *baptizatis in Christum Jesum*, adeóq; de iis, qui mediante Baptismo Christo incorporantur & inseruntur vere, & non tantum specie-tenus, quod postea *v.* 5. insinuat similitudine *Implantationis*. Sed heic observandum, alios Christo implantari ἔσωθεν, interne, & ἀληθῶς, vere, quales sunt vere fideles: alios tantùm ἔξωθεν & δοξαστικῶς, qui videlicet per Baptismum in externum Ecclesiæ gremium recipiuntur, hincque ab aliis pro fidelibus & regenitis habentur. β. Loquitur de iis, qui efficaciam mortis Christi exhibent in mortificatione peccati. Quis dicet, hanc efficaciam inveniri in omnibus aquâ baptismali tinctis, sive infantibus, sive adultis? Qui dubitat, adeat experientiam.

Quæst. III. Quâ ratione & ordine ad Christi communionem perveniamus? Occasio ex *v.* 5.

Respondeo, veram quidem nobis & substantialem cum Christo intercedere communionem, quod plus satis evincitur, tùm ex testimoniis Christi, *Joh.* 6.56. & Pauli, *Eph.* 5.30. tùm ex Sacramentis, Baptismi, *Gal.* 3.27. & S. Cœnæ tanquam pignore nostræ cum Christo communionis, 1. *Cor.* 10.16. Dico interim. 1. Modum hujus communionis non esse corporalem, sed spiritualem & mysticum, uti ipsa communio mystica

stica est, *Eph.5.32.* adeóque fieri non per corporalem nexum Carnis Christi cum carne nostra, uti hodierni carnales Theologi docent, sed per vinculum Spiritus S.& fidei. 2. Cùm Fides non possit Christo glorificato frui, nisi eundem prius apprehenderit ut mortuum, crucifixum; idemque tùm Mortis, tùm Resurrectionis Christi effecta doceant & demonstrent in utroque beneficio, tùm Justificationis, tùm Sanctificationis, ex communione nostra cum Christo emergentia: dico, non nisi hoc ordine nos ad Christi communionem pertingere, quàm ut fides nostra eum primùm apprehendat, tanquam crucifixum & mortuum, subinde ut resuscitatum & vivum. Id Paulus hoc *v.5.* satis indigitat,& alibi *Phil.3.10,11.* Et Sacramentum utrumq; Baptismi & S.Cœnæ id insinuant.

Quæst. IV. Quid per *veterem Hominem*, ejusque *crucifixionem*, *corpus peccati*, ejusq; ie *destructionem*, *vers.6.* item *corpus mortale*, *vers.12.* & *membra*, *vers.13.* sit intelligendum?

Resp. 1. *Vetus Homo* Paulo est Homo corruptus, sive corruptio nativa, quatenus in Regenitis est residua: sicuti è contrario *novus Homo* designat Renovationem. *Vetus* dicitur, propter veterem corruptionem, quæ à primo Adamo; *Novus*, propter renovationem, quæ à secundo, scilicet Christo. 1.*Cor.15.21. & seqq.* Vterque Homo in eodem Homine regenito deprehenditur, κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο occupans omnes Animæ facultates. Vocatur item *externus* & *internus* Homo: *Rom.7.22. 2.Cor.4.16. Ephes.3.16.* eodemque sensu *apertus* & *occultus* Homo. 1. *Pet.3.4.*

2. *Crucifixio veteris Hominis* significat corruptionis nativæ destructionem, quæ fit in Sanctificatione & pœnitentia: uti è contrario *vivificatio novi Hominis* restaurationem Imaginis Dei in Homine, sive restitutionem justitiæ & Sanctitatis primævæ. *Crucifixio* autem vocatur, tùm quia est fructus crucifixionis & mortis Christi, eique respondet: tùm quia conjuncta est cum tolerantia crucis,& per eam fit.

3. *Corpus peccati*, ejusque *destructio* ab Apostolo eodem sensu sumuntur: sicuti etiam alibi *Caro*, opposite ad *Spiritum*. *Corporis* autem & *Carnis* nomine ideò venit Corruptio nativa, quia per *Corpus* ejusque *membra* (quorum ea de causa quoq; *vers.13.* fit mentio) se exerit,& Hominem in servitutem Corporis & Carnis tradit, hincque Morti obnoxium reddit. Ideò vocatur *Corpus mortale*, *vers.13.* & postea *Cap.7. vers.24. Corpus mortis.* Caveatur ergo heic Manichæismus & Flaccianismus de substantia peccati originalis.

Quæst. V. An omnes mortui sint ἀναμάρτητοι? Ex *vers.7.* An hinc Homines damnati in Inferno possint dici immunes à peccato?

Resp. 1. Damnatos in continuo peccandi, Deumque blasphemandi cursu versari indubium est, cùm omni Spiritu Sanctificationis destituantur, & toti possideantur à Diabolo. 2. Itaq; Pauli verba intelligenda de peccatis viventium, quæ perpetrant in corpore & per illud. 3. Paulus accipere hoc videtur de Homine, qui spiritualiter peccato mortuus est in Christo. 4. Quem tamen non simpliciter, uti ad *Quæst.1.* dictum, vult esse ἀναμάρτητον, sed tantùm quoad Regnum & dominium peccati.

Quæst. VI. An Regeniti sint prorsus immunes à peccato regnante; adeóq; non possint excidere è Statu Gratiæ? Ex *vers.12,13.*

Resp. Theologi nonnulli ὁμωνυμικῶς heic loquuntur, salvâ interim orthodoxâ veritate. 1. Si per *peccatum regnans* intelligas peccatum, quo regenitus aliquis se ex Carnis, Mundi & Satanæ seductione occupari passus est, & eidem aliquandiu indulsit: fateri necesse est, Regenitos nō esse à talibus peccatis semper immunes. *Exempl.* Davidis prolapsi in adulterium & homicidium, Salomonis, & cōsimilium. Quòd si intelligas peccatum, quod totum Hominem possedit, & prorsus Spiritum, quà Carni opponitur, extinguit; negatur, ullum tale peccatum cadere in Hominem regenitum. 1.*Joh.3.9.*

R

2. Hinc dico, non quidem Hominis, sed gratiæ & virtutis Divinæ respectu, ἀδύνατον esse, ut ullus vere justificatus & regenitus excidat totaliter & finaliter Statu gratiæ, juxta dicta, *Psal.* 125.1. *Jerem.* 32 40. *Matth.* 24.24. *Rom.* 11.29. *Phil.* 1.6.

Quæst. VII. Nunquid Paulus *v.* 14. videatur dicere prorsus ἀσύστατα & contraria: *peccatum nobis non dominari, quia non simus sub Lege, sed sub gratia? Rat. dub.* quia *Lex* est peccato contraria: *gratia* autem videtur peccatoribus favere.

Resp. Paulus nihil dicit ἀσύστατον aut contrarium. Monet fideles contra regnum & dominium peccati, argumento ducto à libertate Christiana, ut dixi in Analysi, quæ sit immunitas à Lege, & sit possessio & fruitio gratiæ. Jam libertas à Lege, non est libertas à Legis obedientia, id est, à sanctitate & justitia in Lege præscripta, sed tantùm à Legis jugo, dominio & maledictione. *Gratia* porro nequaquam tollit, sed ponit hanc obedientiam, quia non infert licentiam scelerum, sed potius incitat ad resipiscentiam & studium Sanctimoniæ: quà est gratia, tùm Justificationis, per quam Homo obligatur ad gratitudinem Deo in Vitæ sanctimonia præstandam; tùm Sanctificationis, quà moritur peccato, ut vivat Deo.

Quæst. VIII. An Regeniti sint prorsus exempti à Lege? *Ex eodem vers.* 14.

Resp. 1. Si spectes Legis τὸ ἀκριβοδίκαιον, rigorem, inquam, tùm exactionis perfectæ obedientiæ, sub promissione vitæ æternæ per eam consequendæ: tùm comminationis pœnæ & mortis æternæ, propter prævaricationes, commissionē videlicet mali, & omissionem boni, exspectandæ: hactenus non ampliùs sumus sub Lege. 2. Si spectes justitiam perpetuam à Deo in Lege præscriptam, cujus ea norma & regula est; tantum abest, ut simus ἄνομοι, sive exleges, ut Gratia ipsa nos & postulet & faciat ἐννόμους. *Tit.* 2.11,12. Sed de his jam porrò fusiùs in seqq.

DE SECVNDA OBIECTIONE.

Secunda Objectio emergit ex verbis *v.* 14. proximè præcedentibus: *Non estis sub Lege, sed sub gratia*; quibus Apostolus, ut dixi, facilitatem vincendi peccatum, & vivendi secundùm justitiam, voluit insinuare, eò quòd à Legis jugo & maledictione simus liberati: è contrario autem gratiâ Justificationis & Regenerationis donati.

A. *Objectio* habetur *v.* 15. *Quid igitur? peccabimus, quòd non simus sub Lege, sed sub Gratia?* Sententia est:

Quicunque non sunt sub Lege, sed sub gratia, illi non tenentur vivere secundùm Legem, sed possunt impunè peccare.

Atqui nos non sumus ampliùs sub Lege, sed sub gratia.

Ergo non tenemur vivere secundùm Legem, sed possumus impunè peccare.

Similis non rarò auditur etiam hodiè profanorum Hominum cavillatio. Reprehensi enim propter peccata, & admoniti ad studium sanctimoniæ, regerere solent: Non ampliùs nos Legi esse obligatos, cùm simus sub grâtia; quasi nimirum gratia Legem prorsus evacuaret,

ret,& nos constituetur exleges. *Jud.v.4. Rom.2.4,5.* Itaque considerandum heic in antecessum, quæ & qualis sit fidelium *Libertas*, quam habent *à Lege*.

LIBERTAS à LEGE, per quam dicimur non esse ampliùs sub Lege, non est immunitas à Legis obedientia, *1.Pet.2.16.* quasi non teneremur ampliùs Legi vivere conformiter, id est, piè, justè, sanctè. Lex enim est cōstans & perpetua sanctè, piè & justè vivendi Regula, quæ nunquam cessat ante vel post gratiam. Idcircò etiam apud Regenitos urgetur & subinde inculcatur. Hactenus nemo à Lege est liberatus, sed quivis Christianus tenetur vitam suam ad ejus normam componere: neque ullo modo peccandi licentia obtentu seu prætextu Gratiæ confirmatur. Gratia enim, ut mox patebit, non facit liberos ab obedientia Legis, sed potiùs à servitute & obedientia peccati. Nam ubi Gratia, ibi est Justificatio; ubi Justificatio, ibi Sanctificatio; ubi Sanctificatio, ibi est cessatio à peccato, & studium sanctimoniæ.

QVÆSTIO. Quomodo ergo dicimur esse liberi à Lege, & non esse sub Lege?

Resp. dupliciter. I. Quia sumus liberi à Legis maledictione, quæ renatis non ampliùs incumbit. Nam ut maximè Renati à peccato non sint prorsus immunes, & non rarò graviter peccent: tamen Lex non ampliùs habet in ipsos jus condemnationis. *Rom.8.1. Ratio:* quia jus illud Legis complevit Christus, qui pro nobis est factus maledictio Legis. *Gal.3.13.*

2. Quia sumus liberi à Legis rigore & jugo. Nam Lex non potest ampliùs à nobis perfectam exigere obedientiam sub conditione justitiæ & vitæ æternæ consequendæ. Ab hoc rigore & jugo sumus iterum per Christum liberati, quia hoc jugum plenæ & perfectæ obedientiæ Christus in se suscepit, cujus solius obedientiâ justificamur. *Rom.5.19.* Itaq; tenemur quidem secundùm Legem vivere, ast non ex rigorosa Legis exactione, neq; cum conditione promerendæ salutis; neq; etiam, ubi perfectionem Legalis obedientiæ non attigerimus, cum periculo amittendæ salutis. Sed ad testandam nostram erga Deum nobis reconciliatum, & Christum Redemptorem gratitudinem: ad patefaciendam Fidem nostram, & contesserandam nostræ vocationis & electionis gratuitæ firmitatem, & proximorum aliorum ædificationem.

B. *Refutatio* & *solutio Objectionis* habetur hoc reliquo Capite, & sequentis Capitis primâ parte.

1. *Negat* Consequentiam, & dicit: *Absit, vers.15.* Q. D. Absurda & falsa est consequentia.
2. *Probat* per *ἀντίθεσιν*, quam instituit inter *Statum Legis* & *Statum Gratiæ*; sive inter *Statum Peccati* & *Justitiæ*. Nam hæc inter se coincidere Paulus præsupponit. Vtrumque Statum explicat *Similitudine* geminâ, quarum *prior* est desumpta à *Liberis* & *Servis*, hoc *reliquo Capite*: altera à *Conjuge* & *Marito, seq. Cap.7. vers.1--6.*

Similitudini priori insistit *reliquo Cap.VI.* explicans per eam conditionem fidelium ac renatorum, tùm *præsentem*, tùm *futuram.*

De Statu præsente Renatorum.

Agit de eo Apostolus *vers.16--20.* ostendens & demonstrans, eos, qui sub gratia sunt, non debere ampliùs peccato servire. *Argumentum* Apostoli huc redit:

Quicunq; sunt à servitute peccati liberati, & è contrario justitiæ mancipati, illi non debent ampliùs servire peccato, sed justitiæ.

Atqui vos, ceu Renati, qui estis sub gratia, estis à servitute peccati liberati, & è contrario justitiæ mancipati.

Ergo non debetis ampliùs servire peccato, sed justitiæ.

Hic Syllogismus integer, cum omnibus suis partibus, invenitur in verbis Pauli.

1. ***Major. v.16.*** ***Aut peccati estis servi ad mortem, aut obedientiæ ad justitiam. An nescitis, quòd, cui sistitis vos servos ad auscultandum, ejus servi estis, cui auscultatis, sive peccati ad mortem, sive obedientiæ ad justitiam?*** Vbi Apostolus oppositionem instituit inter servitutem peccati & justitiæ, quum nemo possit duobus Dominis servire. *Matth.6.24.* adeóque, qui à peccati dominio & servitute sunt liberati, & alteri Domino, videlicet Justitiæ, mancipati; illi non possint priori Domino servire.
2. ***Minor*** seu ***Assumptio*** est *vers.17.* ***Gratia autem sit Deo, quòd fuistis quidem servi peccati, sed ex corde auscultâstis ei formæ Doctrinæ, in quam estis traditi.*** Græc. *ὑπηκούσατε, εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς.* Per *εὐχαριστίαν*, seu gratiarum actionem celebrat hoc in Romanis, ceu beneficium Dei gratuitum, quòd sint liberati à domi-

dominio & servitute peccati. *Fuistis* quidem *servi peccati*, *v.17. sed liberati estis à peccato, vers.18.a.* id est, servitute peccati. E' contrario *mancipati estis justitiæ, vers.18.b.*

Simul etiam *medium* & *modum* istius manumissionis & liberationis exprimit emphaticis verbis, *vers.17.b. Ex corde auscultâstis ei formæ doctrinæ, in quam estis traditi.* Periphrasis est veræ & non fucatæ *Fidei*, quæ describitur tùm ex

Subjecto, videlicet *Corde*.

Objecto, *Doctrinâ Evangelii*.

Formâ, *Auscultatione*, ὑπακοῇ, sive cognitione & fiduciâ, quâ Evangelium fuerant amplexi.

Efficient. Traditi estis, scil. à Deo, per ejus S. Ministerium.

Prolepsis. Potuisset quis obstrepere: Cur de rebus his spiritualibus Apostolus loquatur per similitudinem? *Respondet* Apostolus, *vers.19.a. Hominum more loquor, propter imbecillitatem carnis vestræ.* Indicat, neminem debere offendi: quia loquatur ἀνθρώπινον, ad captum Humanum; qui modus sit tùm *necessarius*, eò quòd nos, tanquam in carne habitantes, res spirituales propter imbecillitatem non possimus aliter comprehendere: tùm *utilis*, ut tantò faciliùs eas intelligamus. Hinc

3. *Conclusio* sequitur Argumenti, per παραίνεσιν, *exhortationem*, & ἀντίθεσιν, *oppositionem* Status peccati & gratiæ. *v.19.b. Nempe sic' at stitistis membra vestra serva impuritati*, καὶ τῇ ἀνομίᾳ εἰς τὴν ἀνομίαν, *& Legis transgressioni ad* patrandam *Legis transgressionem: it[...] nunc sistite membra vestra serva justitiæ ad sanctimoniā.* Summa e[...]t: Ergo nō debetis servire ampliùs peccato, sicuti factum in [...]atu priore, peccati; sed justitiæ, tanquam in statu novo, gr[...]tiæ.

Rat. Consequentiæ repetitur ex contrarietate [...]triusque status, *vers.20. Quum enim servi eratis peccati, lib[...]eri eratis justitiæ.* In statu peccati fuêre servi peccati, & lib[...]eri à justitia, intellige, de *facto*, non de *jure*. Nunc aut[...]em in statu gratiæ sunt liberi à servitute peccati, & serv[...]i contrà justitiæ.

De Statu futuro Renatorum.

De hoc Statu agit Apostolus *vers.21. usq[...] ad fin. Cap.* Ratiocinatur enim à conditione futura, videlicet fructu [...]ve eventu utriusque tùm *peccati*, tùm *justitiæ*, ut demonstret, eos qui [...] sub Gratia sunt, non de-

bere amplius servire peccato. Itaque sicuti prius argumentum spectabat ad τὸ πρέπον, honestum & æquum; & illi oppositum turpe & iniquum: ita hoc spectat ad τὸ χρήσιμον, utile, eique contrarium, perniciosum. Argumentum sanè magni ponderis: quia multùm semper curari & quæri solet, quid alicui prosit vel obsit, & quis eventus sit unumquodque opus sequuturus. Monstrat ergo Apostolus fructum & finem,

א. *Peccati,* & quidem ἐρωτηματικῶς, per *interrogationem,* quæ continet πάθος ad movendum, ut Romanos adigat ad consensum & συμφωνίαν, *v.21. Quem igitur fructum habebatis tunc* (ex iis) scil. peccatis. Q. D. Cogitate, quæ & qualis fuerit vestra ante gratiam & conversionem vita, & quis illius pœnitendus fructus, & lucrum, videlicet

α. *Ignominia* & *pudor.* Iccircò addit, *v.21.b. de quibus nunc erubescitis.* Indicat peccatum Hominem dare in ruborem, & obruere pudore & ignominiâ. Vtique

1. Peccatum per se est turpe, cõturpans corpus & animam Hominis.
2. Turpem & abominabilem reddit Hominem coram Deo. *Psal.5.5,6,7.*
3. Trahit secum plerumque etiam contumeliam & ignominiam coram Hominibus.
4. Conscientiam lędit peccantis, quæ est instar mille testium, ut Homo cogatur coram semet-ipso erubescere, etiamsi à nemine alio accusetur.
5. Extremam relinquit exspectandam ignominiam atque pudorem in Judicio ultimo coram tribunali Dei, in quo aperientur libri conscientiarum Hominis cujusque. *Apoc.20.12.*

β. *Mors.* Apostolus hoc effectum

1. Proponit. *v.21.c. Nam finis illorum* (peccatorum) *mors est.* Ἀναλογίαν simul continent verba, illius, quod dixerat de pudore & ignominia peccati: quòd videl. desinat in Mortem. Intelligitur autem Mors

a. *Corporalis,* scil. separatio corporis & animæ.
b. *Spiritualis,* separatio animæ à Deo. *Jes.59.2.*
c. *Aeterna,* consistens in æternis corporis & animæ infernalibus cruciatibus.

2. Con-

2. *Confirmat, verſ.23.a. Nam ſtipendia peccati mors.* Alludit iterum ad ſuperiorem ſimilitudinem de Tyranno, & indicat, eos, qui ſerviunt & militant peccato, non aliud ſtipendium reportaturos eſſe, quàm mortem prædictam.

3. *Juſtitiæ & gratiæ, verſ.22. Nunc verò liberati à peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctimoniam: finem autem, vitam æternam.* Vbi gemino Peccati effecto, videlicet ignominiæ & morti, opponitur geminus effectus Juſtitiæ:

1. *Sanctimonia*, quæ utì per ſe eſt laudabilis, ita laudem & gloriam affert ejus ſtudioſis apud Deum & proximum.
2. *Vita*. Intelligitur Vita non tàm corporalis, quàm ſpiritualis; non præſentis, ſed futuri ſeculi. Amplificatur ea
   - α. Ab *adjuncta æternitate*. Ideò vocatur æterna, bis, *verſ.22,23.*
   - β. À *cauſa efficiente, Deo*, tanquam donatore; & *Christo*, tanquam impetratore, *v.23.b. Donum autem Dei eſt Vita æterna, in Chriſto Jeſu, Domino noſtro.* Indicat (NB) Apoſtolus, certò quidem ſequi Vitam æternam Vitæ ſanctimoniam, utì mors ſequitur peccatum; ſed impariter. *Rat.* Quia Vita ſit
     - a. Χάρισμα & *donum*, cùm mors ſit peccato debita.
     - b. Χάρισμα Θεȣ̃, *donum Dei*, ex ejus gratia collatum, cùm peccatum ſit Hominis, ſibi ſuo merito mortem accerſentis.
     - c. Χάρισμα, *donum in Chriſto Jeſu, Domino noſtro*, tanquã Vitæ hujus procuratore, partim *merito*, partim *efficaciâ*. quia is Vitam hanc nobis 1. promeruit: 2. applicat, inchoativè in hoc ſeculo; conſummatè in altero: 3. & quidẽ in ſe-ipſo, per noſtram cum ipſo communionem.

QVÆSTIONES,
ex Cap.VI.verſ.15.uſq; ad fin.Cap.

Quæſt. I. An non *Gratia* aliquo modo poſſit patrocinari iis, qui ſub prætextu Gratiæ peccant?

Reſp. 1. Ad tegendam vel minuendam culpam peccatorum nullo modo: ſed potius ad deteſtandam & aggravandam illam pertinet hoc quæſitum gratiæ patrocinium. Levius enim eſt multò, peccare ſimpliciter; quàm peccare cum profano gratiæ Dei abuſu,

abusu, qui conjunctus est cum ingratitudine summa, atque contumelia erga Deum, ejusq; gratiam. *Rom.* 2.4,5. 2. Interim prodesse potest ad veniam Gratia Dei ejusq; ubertas iis, qui postquàm per prætextum & abusum gratiæ peccârunt, vel ex ignorantia mentis, vel ex infirmitate carnis; absq; destinato malitioso gratiæ Dei abutendæ proposito: suum vel errorem vel infirmitatem humiliter agnoscunt, detestantur, & verè resipiscunt. *Rom.* 5.21.

Quæst. II. Cur Evangelium *vers.* 17. vocetur *τύπος διδαχῆς, in quem fideles Romani fuerint traditi?*

Resp. Quidam interpretantur *τύπον, παράδειγμα* aut *ὑποτύπωσιν, exemplar* fidelibus propositum, cui se conformare debeant & jam conformaverint. Ac verum quidem est, vocem [*Typi*] sic nonnunquam usurpari, quo sensu etiam Apostolus alibi 2. *Tim.* 1.13. Evangelii doctrinam à se propositam vocat *ὑποτύπωσιν sanorum sermonum*, à qua in fide non sit deflectendum. Ast hac ratione Apostolus non dixisset: *εἰς ὃν τύπον παρεδόθητε, in quem* (typum) *traditi estis*; sed potius, *ὃς ὑμῖν παρεδόθη, qui vobis traditus est.* Existimo itaq; Apostolum hac phrasi alludere ad *typos*, qui propriè ad Plasticen, cælaturam videlicet statuariam & sculpturam pertinent, qui fiunt per impressionem alicujus imaginis & effigiei, uti sunt v.g. typi seu formæ Typographicæ, in quibus per infusionem formantur characteres: typi item monetarii & sigilliferi, in quibus monetæ atq; sigilla in metallo aliquo aut cera per impressionem formari solent; ut sensus sit, quod Beza etiam ex Basilio annotavit: *Sicut cera sculpturæ typo tradita, figuram, quæ sculpturæ inest, accuratè exprimit, ita & nos Evangelicæ doctrinæ nos tradentes, secundùm interiorem Hominem eidem configuremur.* Elegantissima certe metaphora! Sic enim & alibi Apostolus Corinthios vocat *Epistolam Christi à se exaratam*, nempe traditione quasi in hanc doctrinam Evangelii, 2. *Cor.* 3.2,3.

Quæst. III. An omne peccatum possit dici mortale? Ex *vers.* 21. *Finis illorum mors est.* Et *vers.* 23. *Stipendium peccati mors.*

Resp. Discrimen peccatorum *mortalium & venialium*, videl. ex natura, gravitate aut vilitate delicti, quale fingunt Pontificii, est non solùm *ἄγραφον*, sed & *ἀντίγραφον*. 1. Paulus heic nullum, neque etiam alibi, facit tale discrimen. 2. In *Lege* nullum fit discrimen, quippe quæ damnat omne peccatum, & per illud omnes, qui vel in minimo eam fuerunt transgressi. *Jac.* 2.10. Sicuti enim vel uno annulo in catena rupto, dissolvitur tota catena; vel unicâ venâ corporis ruptâ *αἱμοῤῥοΐα & παραλυσία* totius corporis sequitur, usq; ad deliquium vitæ: sic vel minimo peccato Lex tota rumpitur & violatur. Neque id mirum, quia omne etiam minimum peccatum incurrit offensam infinitæ majestatis Divinæ. Hinc *maledictus* pronunciatur, qui non manserit in omnibus Legis mandatis. *Deut.* 27.26. 3. In *Evangelio* occurrunt quidem *venialia* peccata, sed talia tantùm per gratiam & propter satisfactionem Christi, & quidem solis credentibus: non credentibus enim & infidelibus omnia maxima, minima, gravia, levia, uti sunt, ita manent mortalia. *Joh.* 3.18.

Quæst. IV. An fidelibus etiam mors sit *Stipendium peccati?* Ex *vers.* 23.

Resp. Vtique, si *Mortem* consideres in se & in sua origine. Hinc infantes quoque morti sunt obnoxii, *Rom.* 5.14. Fidelibus autem per Dei gratiam non est ampliùs stipendium peccati, sed potius lucrum. *Philipp.* 1.21. *Rat.* 1. Quia per mortem plenè mortificantur peccato. *Rom.* 7.24. 2. Configurantur Christo. 2. *Cor.* 4.10. 3. Liberantur ab omnibus seculi molestiis, *Apocal.* 14.13. 4. Transeunt in veram & immortalem vitam, *Joh.* 5.24. & 11.25. 5. Glorificant Deum, *Joh.* 21.19. *Exempl.* Martyrum.

Quæst.

Quæst. V. Nunquid ex contrarietate *Peccati* & *Justitiæ* inhærentis, & utriusque eventus, *Mortis* scilicet & *Vitæ* æternæ; colligi possit, pariter Justitiæ nostræ inhærentis effectum & mercedem esse Vitam æternam; atque Peccati, Mortem?

Ex vers.20--23.

Resp. Sic quidem argutantur & nugantur Pontificii: ast prorsus contra Apostoli mentem & scopum. Nam de *Morte* agens, tanquam peccati effecto, vocat ὀψώνια, *stipendium*, quale persolvitur militibus mercenariis, *vers.23.* At loquens de *Vita æterna*, dicit, 1. Χάρισμα, *donum* esse *Dei*, & quidem gratuitum, quod non contingat ex merito. 2. Addit, *in Christo Jesu, Domino nostro*, ut ostendat, vitam hanc nobis contingere tantùm per Christi meritum; & in ipso per ipsius gratiosam communionē, adeóq; extra nos, uti quoq; in Analysi monitum. *Ratio* est: quia *peccatum* est à nobis, nihil quicquam in se boni habens, adeóq; ex se non nisi fructum lethalem edere potest. *Justitia* autem, quæ est in nobis, nec est à nobis, sed Dei quoque donum in nobis; neque meritoria esse potest, cùm sit debita, *Luc.*17.10. nec caret suâ imperfectione & nævis; nec analogam habet cum vita æterna proportionem.

Objicit. Apostolum, sicuti *vers.*21. dixerat; *mortem* esse τέλος *peccati*: ita postea *vers.*22. *vitam æternam* esse τέλος *justitiæ*.

Resp. Vox [τέλος] ambigua est, significans quidem non rarò *vectigal*, uti φόρος, *tributum*: sed in primâ significatione significat *finem* & *exitum* alicujus rei. Atq; hoc posteriore sensu Apostolus *vers.*21. & 22. mortem peccati, & vitam justitiæ finem pronunciavit. Ast ne videretur parem nexum causalem & meritorium statuisse, inter peccatum, mortem; justitiam dehinc & vitam: postea *vers.*23. sese meliùs explicavit, quum dixit, *mortem esse peccati* ὀψώνια; *vitam* autem χάρισμα & *donum Dei* gratuitum, per solius *Christi* meritum.

CAPVT VII.

APOSTOLVS hoc Capite persistit in Doctrina de nostra *Sanctificatione*, & I. superiorem *Responsionem*, quâ sub similitudine servitutis & libertatis, studii Sanctimoniæ tùm *æquitatem*, tùm *utilitatem* abundè comprobavit; novâ similitudine, à Marito & Conjuge petitâ, illustrat. II. Ad novam *Objectionem*, à Lege petitam, respondet. Duæ itaque sunt hujus Capitis partes.

I. *Illustratio* & *confirmatio* ulterior superioris Responsionis ad Objectionem *Cap.VI.vers.15.* Continetur ea *hujus Capit.vers.1--6.*

II. *Refutatio* novæ *Objectionis*, *vers.7.usq; ad fin.Capitis.*

Si juxta Locos communes partiendum esset hoc Caput, dici posset, agi in eo 1. de Sanctimoniæ æquitate: 2. de ejusdem in renatis

imperfectione: ubi de certamine Carnis & Spiritus in renatis. Sed malo manere in τάξει & ordine Apoſtoli.

DE PRIMA PARTE.

Scopus hic eſt, ut appareat, Renatos non ampliùs debere ſervire peccato, ſed juſtitiæ: ſive, Renatos non ideò, quòd ſint ſub gratia, non ſub Lege; peccato ſervire debere, ſed potiùs è contrario juſtitiæ.

Summa indicatur hac ſimilitudine. *Sicut* Vxor, vivente Marito, ut ei adhæreat, obligata eſt; eo autem defuncto, ab ipſo liberata eſt, ut alteri nubere poſſit, & ex eo liberos concipere: *ita* Renati, antequam renati eſſent, vigente & dominante priore Marito, id eſt, Lege, captivi veluti ab ea tenebantur, ad edendos peſtilentes fructus peccatorum & mortis; nunc autem a Lege liberati, & Chriſto, veluti novo Marito, uniti & copulati, non debent ampliùs prioris matrimonii fructus, id eſt, peccata, ſed Chriſti, cui nupſerunt, fructus, id eſt, juſtitiam proferre.

Ordo, τάξις Apoſtoli eſt ſyllogiſtica, quâ 1. Syllogizat: 2. Syllogiſmi conſequentiam probat.

A. *Syllogiſmus* Apoſtoli huc redit:

Lex tantiſper dominatur Homini, quamdiu vivit ſub Lege.
Atqui vos non ampliùs vivitis ſub Lege, ſed mortificati eſtis Legi.
Ergo Lex non ampliùs dominatur vobis. Subſume:
Ergo non debetis fructum ferre Legi, ſcilicet peccata, quæ occaſione Legis emergunt; ſed Deo in Chriſto Jeſu, videlicet vitæ ſanctimoniam & puritatem.

Syllogiſmi hujus propoſitiones omnes in Apoſtolico textu poſſunt animadverti.

I. *Major propoſitio*, ἐρωτηματικῶς, per interrogationem, habetur *verſ. 1. An ignoratis, Fratres, (peritos enim Legis alloquor) Legem* tantiſper *dominari cuipiam, quanto tempore ipſe vivit?* Singulari artificio & declinare vult invidiam Judæorũ, vocando *Fratres*, ho. [illegible] ne in ſuſpicionem traheretur ab ipſis contemptæ Legis: & ſimul occultè ſubaccuſare Legisperitos inter ipſos de non diligenter expenſo Legis fine & ſcopo, adeoq; vellicare aures, ad eundem enucleatiùs penſitandum. Sententia autem eſt, Legem dominari Homini eumq; obligare quamdiu in vivis eſt.

Num

Num τὸ [ζῶ] ſit accipiendum de Lege aut de Homine, dicetur in *Quæſtionibus.*

Illuſtratur hæc Propoſitio ſimilitudine Conjugii, cujus occurrit tùm

α. *Propoſitio, verſ.2. Nam Viro addicta Mulier, viventi Viro devincta eſt per Legem: quòd ſi mortuus fuerit Vir, liberata eſt à Lege Viri.* Senſus eſt:

Quomodo ſe habet Vxor ad Maritum; eodem modo vos ad Legem, ſub cujus jugo & imperio vixiſtis ante gratiam.

Atqui Vxor ad Maritum ita ſe habet, ut, quamdiù Maritus in vivis fuit, ei fuerit obligata.

Ergo eodẽ modo vos habetis ad Legem, ut, quamdiù vixiſtis ſub Lege, & Lex vitam ſuam, ſive vigorem & imperium in vos obtinuit; ei fueritis obligati.

β. *Confirmatio* habetur *v.3. Proinde vivente Viro mœcha vocabitur, ſi fiat alterius Viri: ſin autem mortuus fuerit Vir ejus, libera eſt à Lege illa; ut non ſit mœcha, ſi fiat alterius Viri.* Nititur argumentum cõmuni Hominum judicio & æſtimatione, imò ipſo Dei Verbo, quo adultera pronunciatur, quæ, vivente Marito, cõſuetudinem habet cum alio Viro; defuncto autem, libertatem habet nubendi alteri. Sic alibi quoque, *1.Cor.7.39.*

II. *Minor propoſitio* ſive *Aſſumptio* reſpondet tanquam ἀπόδοσις τῆ προτάσει ſimilitudinis allatæ, *verſ.4.a Itaq; Fratres mei, vos quoq; mortificati eſtis Legi, in corpore Chriſti.* Mens eſt: Fideles perinde mortuos eſſe Legi, id eſt, dominio Legis, quod in eos ante gratiam habuit & exercuit per concupiſcentias; adeóq; eundem eſſe ipſorum, tanquam à dominio Legis liberatorum, ſtatum: atque eſt Vxoris, quæ per mortem Mariti ab eo divulſa, atque in libertatem aſſerta eſt.

Obſervetur autem heic ſimul *cauſa* & *modus*, quem attingit Apoſtolus hujus mortificationis, *v.4. Mortificati eſtis Legi* διὰ τ̃ σώματ(ος) τ̃ χειςτ̃. Ad verbum, *per corpus Chriſti.* Beza, τὸ [διὰ per] pro ἐν ſumendo, *in corpore Chriſti.* Emphaſis hęc placet, quia mortificatio iſta, de qua ſermo eſt, non tantùm nobis contingit per Chriſti mortem, quam ſuſtinuit

in corpore; ſed etiam in ipſo, per communionem intimam, etiam conjugali arctiorem, quæ nobis intercedit cum ipſo, ejusque merito.

III. *Concluſio* habetur *v.4.b. Vt eſſetis alterius, ejus* (videlicet) *qui ex mortuis ſuſcitatus eſt, ut fructum feramus Deo. Obſervetur*, Concluſionem, quæ negativa erat: *Ergo Lex* (intellige, per *Legem*, aut occaſione Legis, *peccatum*,) *non ampliùs dominatur vobis*; converti ab Apoſtolo in Concluſionis cõſequens affirmativum, cujus antè memini, ut ſenſus ſit: Ergo non debetis Legi, id eſt, peccato, occaſione Legis, ſervire, ſed Chriſto tantùm, tanquam novo Marito, ad fructificandum ei per ſtudium juſtitiæ & ſanctimoniæ. Quò pertinet quoq; deſcriptio Chriſti à Reſurrectione mortuorum: *qui ex mortuis ſuſcitatus eſt.* Chriſtus enim è mortuis ſuſcitatus ad vitam cœleſtem, Reſurrectionis ſuæ tùm *exemplo*, tùm *virtute*, utì ſuprà viſum, *Cap.6 4 &c.* nos docuit, ut mortui peccato, deinceps vivamus juſtitiæ, & fructus feramus Deo gratos, ad-inſtar liberorum ex matrimonio novo atque felici.

B. *Syllogiſmi* hactenus propoſiti & digeſti *Conſequentiam* nunc probat ex comparatione contrariorum: quia contrariorum contraria ſunt conſequentia. Inſtituit enim *ἀντίθεσιν* inter *Conjugium* prius *Legale*, quod fuit *Peccati*; & poſterius *Evangelicum*, quod eſt *Chriſti*. De utroq; ergo nunc diſpiciendum.

I. De CONIVGIO LEGALI agitur partim *v.5. Quum enim eſſemus in carne, affectus peccatorum per Legem* exiſtentes *agebant in membris noſtris, ad fructum ferendum morti*: partim *v.6.* quum dicit, *nos in Lege fuiſſe detentos.* Apoſtolus heic ſeqq. offert conſideranda.

1. Quis in hoc Statu ſit Maritus noſter: videlicet LEX, quo nomine intelligit totam Legem non ſolùm ceremonialem, ſed & moralem, tanquam præcipuam, & quæ fundamentum eſt omnium aliarum. Comparatur autem Lex Marito alicui, propter dominium geminum, quo Lex nos in Statu peccati conſtrictos tenet, 1. rigoroſæ & perfectæ obedientiæ: 2. perſolutionis pœnæ, propter transgreſſiones.
2. Quæ noſtrî, ceu connubio aliquo Legi junctorum, in hoc Statu ſit conditio. Miſera ſuprà modũ & tyrannica. Paulus id indicat rationibus ſeqq.

α. Quia

α. Quia *Lex nos* captivos *detinuerit*, *v.6.* nempe ad-instar alicujus Mariti rigidi, severi. Quomodo? Jam dixi, 1. per exactionem rigidam obedientiæ mandatorum, nulli Hominum possibilem: 2. per exactionem pœnarum peccatis debitarum.

β. Quia *affectus peccatorum per Legem extiterint*, non causaliter, sed occasionaliter, utì postea sequitur *v.8. Nitimur* enim *in vetitum, semper cupimusq; negata.*

γ. Quia *per Legem affectus peccatorum in nobis viguerint*, & incrementum sumpserint *in membris nostris*: utique non vitio Legis, sed Hominis naturâ corrupti. ad-instar phrenetici alicujus, qui, quò magìs catenis ligatur & astringitur, tantò furiosius bacchatur? *Membrorum* meminit, scilicet Corporis, tanquam organorum, per quæ τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν venenum suum exerere & profundere solent.

δ. Quia hinc fructus, ad-instar liberorum perditissimorum, ediderimus pestiferos atque mortales, *v.5. ad fructum ferendum morti.*

3. Quis hujus Conjugii miseri exitus. Infelix, *Mors* scilicet, *Ibid.v.5. Stipendium* enim *peccati mors*, suprà *Cap.6.v.23.* idque vi & comminatione Legis, *Deut.27.26.*

II. De CONIVGIO EVANGELICO agit *vers.6. Nunc autem liberati sumus à Lege, mortuo eo, in quo detinebamur: ut serviamus in novitate spiritus, ac non in vetustate literæ.* Offert Apostolus consideranda sequentia.

1. *An, à quo* & *quomodo* simus à Lege, ceu priore Marito, liberati? Dicit, *nos esse liberatos à Lege*, sicut suprà dixerat, *Cap.6. v.14. Non estis sub Lege, sed sub gratia.*

Quis Liberator? Christus, suscitatus ex mortuis, *v.4.*

Quomodo? per satisfactionem Legi loco nostro obediendo & patiendo præstitam, atq; per Resurrectionem consummatam: ejusdemq; applicationem per Justificationem & Sanctificationem.

Hinc dixit *v.4. nos Legi mortificatos esse in corpore Christi:* quia nimirum *peccata nostra portavit in corpore suo supra lignum* (Crucis,) *ut peccatis mortui justitiæ viveremus. 1.Pet.2.24.* & sic Legi in ipso mortui sumus:

imò hâc ipsâ quoq; ratione Lex, tanquam prior Maritus, nobis mortua est, ut nullam ampliùs adversùs nos possit exerere vim & efficaciam.

2. *Quis* novus noster in hoc Conjugio sit *Maritus?* Idem ipse Liberator & Redemptor CHRISTVS, in cujus corpore, per nostram cum ipso spiritualem & mysticam unionem mortificati sumus Legi, *v.4. Hos.2.19 20. Ephes.5.32.*

3. *Qua* nostra sub hoc Marito *conditio?* Felicissima. Docet *ἀντίθεσις.*

Conditio *veteris* Conjugii fuit *captivitatis* & *servitutis* legalis: *Novi* autem est *libertatis* à jugo & benedictione Legis, & *υἱοθεσίας* filiorum Dei. *Joh.1.12.*

Conditio *prioris*, fuit *peccati*: quia *affectus peccatorum per Legem regnabant in membris nostris, vers.5.* *Posterioris* autem, est *justitiæ, vers.6. ut liberati à Lege serviamus*, scil. Deo, uti *vers.4.* & Christo, ceu novo Marito, *in novitate spiritus*, id est, in vita nova, uti suprà *Cap.6.4.* cujus author & dictator est Spiritus S. *& non in vetustate literæ*, id est, in veteri illa vita, sub jugo Legis, quæ absque gratia est litera mortua & inefficax, *Rom.8.v.3.* scripta non in cordibus, sed in tabulis lapideis. Sed de hac phraseologia in *Quæstionibus.*

4. *Quis* Conjugii hujus sit *exitus? Vita æterna*, consistens in plena atque perfecta Christi communione & fruitione. Colligitur ex opposita *morte*, cujus fit mentio *vers.5.* tanquam exitu prioris Conjugii.

QVÆSTIONES,

ex *Cap.VII. vers.1---6.*

Quæst. I. Quomodo *vers.1.* illud, *ἐφ' ὅσον χρόνον ζῇ*, *quanto tempore vivit*, sit intelligendum?

Resp. Τὸ [*ζῆν, vivere,*] posset quidem etiam referri ad remotius, videlicet *Legem*, ut sensus sit; *Legem dominari Homini, quamdiu ipsa vivit*, id est, vim & jus habet in Hominem. Et sic nonnulli interpretantur, inprimis Erasmus cum Origene. Sane, sicut Lex (aut id, quod Legis est) postea *vers.6.* dicitur *mortua*; ita Lex dici potest viva aut vivere, quum scilicet suum dominium exercet in Hominem. Malo tamen cum plerisq; referre ad proximum, scil. *Hominem*, ut sensus sit, *Legem dominari tantisper Homini, quamdiu Homo*, cui scil. Lex data, *in vivis est*. Huic enim *τὸ vivere* propriè competit, non Legi. Discedo etiam heic ab eorum sententia, qui *Legis* nomine communiter volunt intelligi jus & imperium, quod quis *νομίμως* habet in alterum, quale postea *vers.2.* in specie assignatur Marito viventi in Vxorem. Cum Calvino satius esse puto, accipi de Lege Dei, videlicet per Mosen lata, quippe de qua nunc quæstio agitatur.

Quæst.

Quæst. II. An similitudo Apostoli, *vers.*2. quam instituit inter *Conjugem*, Marito per mortem orbatam; & *Legem*, cui postea *vers.*4. dicit *Hominem mortificatum*: apposita sit? *Rat.dub.* Quia *vers.*1. indicavit Legem tantisper dominari Homini, quamdiu Homo vivit, uti modò explicavi. Nunc autem dicit, Legem scil. dominii Mariti, tantisper dominari Vxori, non quoad ipsa, sed Maritus ejus vixerit.

Resp. 1. Quadrabit prorsus similitudo, si τὸ [ζῆν, *vivere*,] *vers.*1. referatur ad *Legem*. Sensus enim fuerit: Sicut Mulier, Marito demortuo, liberata est à Lege Mariti, ut alteri possit nubere: ita Homo, Lege mortua, id est, dominio & imperio ejus per Christum ablato, liber est à Lege, ut deinceps Christo serviat. Ac sanè utrumque, ut in Analysi monui, dici potest, & Hominem Legi, & Legem Homini mortuam esse, sicut utrumq; Paulus *vers.*4. & 6. indicat. *Homo mortuus est Legi* in Christo, tùm per Justificationem ex fide; tum per Sanctificationem & mortificationem Carnis. Vicissim *Lex mortua est Homini*, propter amissum suum aculeum contra Hominem, scil. peccatum. 2. Etiamsi autem secundùm receptam interpretationem τὸ [ζῆν, *vivere*,] accipiatur *vers.*1. de *Homine*; constabit tamen similitudo Apostoli. Nihil enim interest, quomodo quis liberetur à Lege, sive per Mortem ipsius, sive per mortem alterius id fiat; modò liberetur à Lege. Institutum enim Pauli est docere, morte Hominem liberari à Lege. Cujus autem morte id fiat, sive nostrâ ipsorum, sive alterius, non est anxiè, quantum quidem ad Apostoli scopum attinet, laborandum. Consulatur *Calvinus* in hunc locum.

Quæst. III. Quid de *secundis Nuptiis* sentiendum veniat? occasione *versus* 3.

Resp. Movetur *Quæstio* propter Veteres nonnullos μισογάμους, inprimis *Hieronymum*, quem constat Matrimonio fuisse iniquiorem, ut maximè continentiæ dono nequaquam præcelluerit, quod satis prodit *Epist. ad Eustochium*, tantùm ut Virginitatis & Cœlibatus virtutem & merita extolleret. Hinc ipse, ut & *Tertullianus*, damnàrunt Nuptias secundas, uti videre est *Epist. ad Helvid. ad Eustoch.* & *lib.*1. *adversus Jovinianum*: ubi quidem videri vult, *non damnare digamos, imò nec trigamos, nec, si dici potest, octogamos*: interim, quàm indigno loco habeat nuptias secundas, satis superq; prodit. Inter alia scribit: *Vbi numerus Maritorum est, ibi Vir, qui propriè unus est, esse desiit. Vna costa à principio in unam Vxorem versa est. Et erunt, inquit, duo in carnem unam, non tres, neq; quatuor: alioquin non jam duo, sed plures.* Item: *Primus Adam monogamus, secundus ágamus. Qui digamiam probant, exhibeant tertium Adamum digamum, quem sequantur.* Quasi verò nullum sit discrimen inter digamiam viventium & superviventium.

Atqui Apostolus est Hieronymo prorsus contrarius hoc loco, & altero parallelo 1.*Cor.*7.39. quò etiam pertinet locus 1.*Tim.*5.14. Obstrepit quidem Hieronymus dicto loco: *Multa compellitur Apostolus velle, quæ non vult.* Atqui non compellitur Apostolus velle secundas nuptias: sed Apostolus apertis verbis dictis locis, *Mulierem* dicit *esse liberam à lege Mariti defuncti*, adeòque non teneri vinculo primi Matrimonii, quin *possit nubere cui vult, modò in Domino*, id est, religiosè, & cum Dei timore. Si *in Domino nubere* possit, quis elevabit nuptias secundas? Imò in loco ad Timotheum expressè dicit: βούλομαι, *volo juniores* (viduas) *nubere, liberos gignere, domum administrare, &c.*

Quæst. IV. An *Adulterium* tantùm cadat in *Mulieres mœchas*; an verò etiam in *Maritos fornicarios*? *Rat.dub.* quia Apostolus *vers.*3. *Mulieris* tantùm facit mentionem, quæ mœchetur, si vivente Marito fiat alterius Viri.

Resp. 1. Non dubito, quod & Erasmus annotavit, Apostolum *exemplum adducere*

de

de Muliere, non de Viro, quod apud Judæos non quidem *jus esset*, uti loquitur Erasmus, nisi usurpativum, (uti patet ex collat. *Matth.5.v.31. & 19.v.3.& seqq.*) sed mos & consuetudo, ex tolerantia, propter σκληροκαρδίαν Judæorum; *Viris divertere ab Vxoribus, cùm tamen illas sola mors à maritali jure liberaret*. 2. Cæterùm, quid sentiendum veniat de fornicatione Mariti: an & quasi illa cum fornicatione Vxoris loco habenda sit, placet διεξόδως & ἐγχειρήτως hoc loco, occasione sese offerente, tractare.

ΕΞΕΡΓΑΣΙΑ *de Crimine fornicationis Mariti alicujus.*

Si *nominis* spectes ἔτυμον, *Adulterium* sic dicitur Latinis: quia, qui Adulterium committit, adit alterius thorum. Si *rem*, est violatio thori conjugalis. Sed heic *Quæstio* emergit: *An illud solùm sit vocandum Adulterium, quod committitur cum nupta? An illud etiam, quod Maritus committit cum innupta & soluta persona?*

Illud affirmant nonnulli Hebræi, inter quos R.Salomon, Jurisconsulti & Legislatores civiles, uti videre est in *Lege Julia de Adulteriis*, in *Lege, quæ incipit: Inter liberas personas.* Nam si Maritus cum Vidua aut Virgine rem habeat, *Stuprum* vocant: *Adulterium* verò tantùm, si cum ea, quæ nupta fuerit, res habeatur. Quin & olim apud Romanos violatio Ancillæ nuptæ non habebatur pro Adulterio.

Posteriorem sententiam amplectuntur Patres nonnulli, Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, & cum his saniores Theologi. Sic Lombard.*lib.4.distinct.35.Si verò.* Quin & Canonistæ, uti videre est *c.32.quæst.5.capit.Non mœchaberis.* Item, *Præcept.* Item, *Christian.* Et huic quoque subscribendum existimo propter rationes seqq.

I. Deus Præcept.7.Decalog.illud-ipsum voce hac [*Adulterii*] designare voluit scelus, quod Conjugii fidei & sanctitati è diametro repugnat. *Ratio*: quia hic est principalis hujus præcepti finis; Conjugii, tanquam status & ordinis à Deo instituti, conservatio.

Atqui non solùm Vxoris, sed & Mariti fornicatio, fidei & sanctitati Conjugii repugnat: nisi verò existimemus, minùs hoc præcepto Maritum, quàm Vxorem obligari ad fidem Conjugii servandam: & Maritum majorem habere peccandi, lasciviendi & exorbitandi licentiam, quàm Vxorem.

Ergo non solùm Vxoris, sed & Mariti fornicatio *Adulterii* voce designatur.

II. Id-ipsum *Adulterium* est & vocari debet, quo vinculum Matrimonii dissolvitur. *Ratio*: Hæc enim est forma Adulterii, ruptio vinculi Conjugalis.

Atqui non solùm Vxoris, sed & Mariti fornicatione rumpitur vincu-

vinculum Conjugii. *Probatur:* Quia cùm Conjugium ſit unio indiſſolubilis duorum tantùm, Mariti & Vxoris, qui conjunguntur in unam carnem, ex inſtitutione primæva Dei, *Gen.2.24.* & Chriſti renovatione, *Matth.19.v.4,5,6.* neceſſe eſt, unionem hanc diſſolvi, quàm primùm una vel altera pars promiſcuè carnem dividit, & alteri ſe proſtituit.

Ergo non ſolùm Vxoris, ſed & Mariti fornicatio Adulteriũ eſt.

III. Inter quos mutua eſt atque eadem fidei obligatio, illi idem admittunt peccatum, quo obligatio illa frangitur. Nam ubi idem jus, ibi idem contra jus illud peccatum.

Atqui eadem eſt obligatio, quâ Maritus Vxori, & hæc viciſſim illi per conjugium obligatur. Duo enim cùm ſunt, fiunt in carnem unam, utì dictum: nec major eſt, quoad corporis alienationem, poteſtas Mariti quàm Vxoris, utì expreſsè docet Apoſtolus *1.Cor.7.4.*

Ergo idem eſt quoq; utriusq; peccatum, quo obligatio illa frangitur. Peccatum autẽ Vxoris eſt & vocatur *Adulterium.* Ergo & Mariti.

IV. Qui contrariæ ſunt ſententiæ, *Adulterium* definiunt per *violationem thori alieni.*

Atqui nõ ſolùm per Vxoris, ſed & per Mariti fornicationem violatur thorus alienus. *Ratio:* Quia ſi innupta perſona rem habeat cum Marito, tùm 1. Maritus violat non ſolùm ſuum, ſed & Vxoris thorum. 2. Innupta perſona violat alienum thorum, ſcilicet Mariti, & ejus Vxoris.

Ergo non ſolùm Vxoris, ſed & Mariti fornicatio, peccatum eſt & Adulterium.

V. Si Maritus, concupiſcendo quamcunq; Mulierem, dicitur adulterare; multò magìs, quum opere ipſo cum Muliere quacunque fornicatur. Nam cui nomen *Adulterii* debetur propter levius delictum, ei multò magis debetur propter gravius delictum. Gravius eſt autem, delinquere opere & actu, quàm corde & concupiſcentiâ.

Atqui Maritus concupiſcendo quamcunq; Mulierem, ſive nupta ea ſit, ſive innupta, dicitur *adulterare,* utì videre eſt *Matth.5.v.28.* ubi obſervandum, non dici *Vxorem,* utì vertit Eraſmus, quaſi eſſet, *γυναῖκά τινα,* aut *ἑτέρου,* aut *πλησίον αὐτοῦ, &c.* ut rectè Beza ſubmonet; ſed ſimpliciter, *γυναῖκα,* id eſt, *Mulierem* quamcunque, ſive nupta ea ſit, ſive innupta.

Ergo multò magis dicendus eſt Maritus adulterare, cùm opere ipſo fornicatur cum Muliere quacunque.

VI. Si Maritus, Vxorem extra fornicationis caſum & culpam

repudiando, aliamq; ducendo, mœchatur; tunc mœchabitur etiam, si conjugio & thoro proprio violato consuetudinē habeat cum quavis alia muliere.

Atqui verum est antecedens, ut patet apertè ex testimonio Christi, *Matth.19.9.*

Ergo & consequens.

Ratio consequentiæ hæc est: quia eadem est utrobiq; criminis causa. *Adulterum* enim vocat Christus talem Maritum, qui obstrictus antè est suæ Vxori, & fidem Conjugii ac vinculum rumpit. *v.6.* Atqui idem facit Maritus fornicator. Ergo Maritus est quoque Adulter. Quid enim aliam ducendo Vxorem facit aliud, quàm fornicari?

Vis hujus argumenti magis ex eo patet, quòd Christus idem crimen impingit tali Marito, quod impingit ei, qui repudiatam ducit. Nam hunc dicit Adulterium committere, ducendo nempe Vxorem alterius, sine justa causa repudiatam, sicque rumpat Matrimonium. Atqui Marito idem crimen impingit. Ergo &c.

VII. Placet his attexere testimonia nonnulla Patrum.

Chrysostomus, in *Epist. ad Thessalonicenses*, sic scribit: *Romanæ Leges, Mulieres deprehensas in adulterio puniunt; at Viros non puniunt: sed Deus puniet eos, quoniam reverà est adulterium.*

Ambrosius in *Libro de Patriarchis, Lib.1. de Abrahamo, cap.4.* (citatur in Jure Canon. *c.32. quæst. 4. c. Nemo.*) *Nemo blandiatur sibi de legibus Hominum. Omne stuprum adulterium est: nec Viro licet, quod Mulieri non licet. Eadem à Viro, quæ ab Vxore, debetur castimonia. Quicquid in ea, quæ non sit legitima Vxor, commissum fuerit, adulterii crimine damnatur.* Et *Lib. eod. 1. de Abrahamo, cap.7. Nulli licet scire mulierem, præter Vxorem: ideò Conjugii tibi datum est jus, ne in laqueum incidas, & cum aliena muliere delinquas.* Et post pauca: *Tolerabilior est, si lateat, culpa, quàm si culpa usurpetur auctoritas. Nec hoc solùm est adulterium, cum aliena peccare conjuge, sed omne, quod non habet potestatem conjugii. Tamen locus iste docet, gravius crimen esse, ubi celebrati conjugii jura temerantur, & Vxoris pudor solvitur. Ideóq; cùm prætenderet Abimelech, quòd Vxorem alienam esse ignoraverit, quam sororem esse vir ipse suam dixerat, respondit ei Dominus: Et ego cognovi, quoniam puro corde fecisti hoc, & peperci tibi, ut non peccares in me: propter hoc non sum passus te tangere eam. Cognoscimus velut præsulem, custodemq; conjugii esse Deum, qui non patiatur alienum thorum pollui, & si quis fecerit, eum peccare in Deum, cujus Legem violet, & gratiam solvat. Et ideò, quia in Deum peccat, Sacramenti cælestis amittit consortium.*

Augu-

Augustinus, *Lib. de Fide & Operibus, cap. 18.* dicit: *Adulteros esse, qui alienas uxores pro suis habent, vel quæ alienos. Unde Mulier innupta, quæ abutitur Viro alieno pro suo, committit adulterium.*

Idem, *de bono Conjugali*, contra *Jovinian. cap. 4.* ait: *Adulterium esse, quando cum alio vel alia concumbitur contra pactum conjugale.* Ita ergo definit Augustin. *Adulterium esse violationem fidei conjugalis.*

Idem, *de adulterinis Conjugiis, Lib. 2. cap. 13.* (citatur in Jure Canon. *c. 32. q. 5. c. Puto.*) *Puto Christianum neminem reluctari, illum adulterum esse, qui vel diù languente, vel diù absente, vel continenter vivere cupiente suâ Uxore, alteri commistus est fœmina.*

Isidorus, *super Exod. cap. 29.* (citatur ibid. loci in Jure Canon. *c. Non mœchaberis.*) *Non mœchaberis, id est, ne quiquam præter matrimonii sui fœdera aliis fœminis misceatur ad explendam libidinem. Nam specialiter adulterium facit, qui præter suam ad alteram accedit.*

Accedit his ex *Canon. Jure ibid. c. Christiana.* Innocentii Papæ testimonium, *Epist. 3. ad Exuperium Episcopum, cap. 4. Christiana religio adulterium in utroq; sexu pari ratione condemnat. Sed Viros suos Mulieres non facilè de adulterio accusant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberiùs Uxores adulteras apud Sacerdotes deferre consueverunt; & ideò mulieribus, prodito earum crimine, communio denegatur: Virorum autem latente commisso non facilè quiquam ex suspicionibus abstinetur; qui utiq; submovebitur, si ejus flagitium detegatur. Cùm ergo par causa sit, interdum probatione cessante, vindictæ ratio conquiescit.*

Huic porrò sententiæ & nonnulli Jurisconsulti applaudunt, inter quos *Cujacius*, qui piam eam ac veram appellat sententiam.

Et huc quoq; inclinare videtur *Jus* novissimum *Carolinum* in *Ordinat. Crimin. artic. 120.* ubi verba ita se habent: Item daß es auch gleicher weise in dem fall/ so ein Eheweib jhren Mañ/oder die Person/darmit er Ehebruch volbracht hat/ beklagen will/ gehalten werden soll. Nam verba ista, [oder die Person/ darmit er Ehebruch volbracht hat/] generalia sunt, & comprehendunt non solùm Conjugem alienam, sed & Mulierem solutam. Ac sanè per Carolinam ordinationem licuit Uxori Maritum fornicantem reum facere Adulterii. *Artic. dicto 120.*

Objectio. Nullibi in tota Scriptura Vet. Testam. vox [*Adulterii*] occurrit, nisi de nuptæ, seu de Conjugis fornicatione. Ergo solius Uxoris, non Mariti, fornicatio est Adulterium.

Resp. Posito antecedente nondum tamen inferri potest consequens. Nam quòd Uxoris fornicatio *Adulterium* passim vocetur, ideò

T 2

sit, quia, sicuti Conjugium & thorus à principaliori parte denominatur, scilicet Mariti; ita quoque *Adulterium*, id est, violatio thori Conjugalis, à principaliori parte. Itaq; si quis cum aliena Vxore rem habeat, dicitur violari thorus alienus, scilicet Mariti, sub cujus potestate est Vxor. Et sic *Adulterium* tantùm dicitur de violatione Conjugis, quæ est in potestate aliena.

Heic auté non tàm de *voce*, quàm de *re* ipsa agitur, voce contentâ in morali, non tantùm civili, præcepto. Itaq; cùm thorus Conjugalis non sit tantùm Mariti, sed & Vxoris, & par sit Mariti erga Vxorem, & Vxoris erga Maritum obligatio & officium, utì Paulus docet, *1. Corinth.7.3.* crimine perfidiæ tenetur utraque pars, quæ fidem frangit, & obligationem rumpit. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

Quæst. V. Quo sensu dicamur *vers.4. mortificati Legi?*

Resp. Non *passivè*, quasi à Lege essemus mortificati, sed *activè*, quòd Lex veluti nobis sit mortificata, uti in Analysi jam aliquid fuit insinuatum. *Observetur*, dici posse de Homine, considerato in diverso statu, peccati & gratiæ:

I. Quòd Homo mortificetur à Lege, videlicet 1. Quatenus ea irritamentum est (at tantùm occasionaliter & objectivè, cùm Homini irregenito traditur) ad malum; de quo deinceps ex hoc Capite. 2. Quatenus fulmine mortis & condemnationis ferit prævaricatores: adeò ut diverso respectu Lex sit, tùm *irritatrix*, tùm *index*, tùm *judex* peccati & peccantium.

II. Quòd vicissim Lex sit mortificata nobis, nō quidē à nobis, sed in CHRISTO, quod Apostolus *vers.4.* indigitat: *mortificati estis Legi in corpore Christi. Rat.* quia per Christum & mortem ejus Legi omnis vis, & omne jus contra nos est ademptum. Neque enim potest nos amplius propter peccatum condemnare, *Rom.8.1. 1.Cor.15.55.56.* neque etiam mediante peccato dominium suum pristinum in nos exercere; quia per virtutem mortis Christi in nostra Regeneratione regnum peccati destructum est.

III. Atque hinc etiam dici potest alio sensu tertio, nos esse mortificatos Legi, quatenus videl. nihil nunc nobis amplius cum Legis maledictione & ἀκριβοδικαίᾳ seu rigore, quo fueramus κατεχόμενοι, *vers.6.* commune est, propter libertatem à Christo nobis partam.

Quæst. VI. Cur *Peccatorum* παθήματα, *affectus* dicantur *vers.5. in nobis ἐνεργεῖν per Legem? Rat.dub.* quia Lex peccato & ejus παθήμασι è diametro adversatur: adeò ut potiùs causa corrumpens & destruens, quàm efficiens sit dicenda.

Resp. Hæc *Quæstio* in altera hujus Capitis parte pleniùs expedietur. In antecessum heic paucis notandum, Legem non per se, sed per accidens excitare in nobis affectus peccatorum, videlicet vitio & culpâ naturæ nostræ, quæ propter suam innatam corruptionem semper belligerare solet contra Dei Legem, adeóque per ἀντιπερίστασιν velut aliquam. ut, quum propter circumstans frigus calor in corpore augetur: aut quum febricitans hausto potu vini, per se boni, magis incalescit, & morbus ejus augetur. Et sic explicatur postea *vers.11. & 13.*

Quæst.

Quæst. VII. Quid Apostolus intelligat *vers.6.* per ***mortuum, in quo fuerimus detenti?***

Resp. Propter editionum differentiam, quando quidam legunt [ἀποθανόντος,] quidam [ἀποθανόντες,] oriuntur diversæ interpretationes, quas heic examinare non attinet. Consulatur Beza *in Annotat.* Si legatur [ἀποθανόντες,] uti pleraque habent exemplaria, sensus est: Nos liberatos esse à Lege, tanquam mortuos peccato, cujus Lex est vis, 1.*Cor.*15.56. Si legatur [ἀποθανόντος,] quidam referunt ad [νόμον,] vocem proximè præcedentem: quidam ad *Peccatum*, per quod Lex nos captivos tenet. Nam τὸ [κατέχειν] utiq; heic significat violentam aliquam detentionem. Quocunque autem modo (si τὸ [ἀποθανόντος] juxta Chrysostomum debeat manere) sumatur, sive de Lege, sive de Peccato: puto facilem esse utriusque interpretationis conciliationem. Dici, inquam, potest, uti suprà dixi,

1. Legem nobis esse mortuam, nempe respectu suæ potestatis judiciariæ, quà nos captivos tenuerat.
2. Peccatum esse mortuum, per quod Lex habuit in nos jus condemnationis, & vim augendi in nobis peccatum, scilicet vitio nostræ naturæ.

Quæst. VIII. Quid Apostolus *vers.eod.6.* intelligat per ***vetustatem literæ, & novitatem Spiritus?***

Resp. Jam aliquid est monitum de hoc in Analysi. Paulus in scriptis suis *Spiritum* nunc opponit *Carni:* & sic per *Spiritum* intelligit Hominem, quà regenitus est; per *Carnem* Hominem, quà irregenitus est, id est, corruptionem nativam in Regenitis residuam. Heic, uti suprà, *Cap.2.v.29. Spiritum* opponit *Literæ.* Per *Literam* intelligo Legem literalem, sive scripto tantùm comprehensam, quà est à Christo separata, adeóque non solùm inutilis nobis ad salutem, sed & Carnis nostræ vitio perniciosa. *Vetustas literæ* respicit partim vetustatem corruptionis veteris Adami; partim etiã Pædagogiam legalem Veteris Testamenti, cui Judæi adhæserant ita, ut omne Salutis momentum tantùm in Lege quæsiverint, extra Christum.

Hinc per *Spiritum* heic intelligo Spiritum S. qui novæ Vitæ in nobis author est, & absque cujus gratia Lex mortua est nobis, quique nos novo Marito, Christo copulat, *ἵνα καρποφορήσωμεν τῷ Θεῷ, ad fructus ferendos Deo,* scilicet justitiæ. *vers.*4.

PARS II. CAPITIS VII.

Continet hæc Pars APOLOGIAM pro LEGE, quà respondet Apostolus ad *Objectionum*, suprà Cap. VI. inchoatarum, numero tertiam, emergentem ex verbis hujus Capitis proximè antecedentibus: absolvendo Legem à criminatione duplici; quasi videlicet esset causa *Peccati* & *Mortis*. Itaque tùm *Objectio*, tùm *Responsio* expendenda erit.

OBIECTIO habetur *v.7.a. Quid ergo dicemus? Lex peccatum est?* Argumentum huc redit:

Si per Legem affectus peccatorum in nobis vim suam exerunt; ergo Lex est peccatum, & malum quid. quia est mali causa, scilicet tùm peccati, tùm Mortis, quæ peccati est stipendium.

Atqui verum est antecedens, ex *vers.5.*

Ergo & consequens. quod tamen dici non potest carere blasphemiâ.

Potuisset *Objectio* hæc à Judæis moveri ex παρερμηνείας & ψευδερμηνείας verborum præcedentium Apostoli, ad conflandam ei majorem invidiam.

RESPONSIO nunc attendenda Apostoli.

I. *Negat* cōsequentiam Propositionis, cum detestatione, *v.7.b.* *Μὴ γένοιτο, Absit* Q.D. Avertat Deus à mea doctrina hoc crimen: hæc mea non est sententia, ne minimum quidem Legis honori & authoritati volo derogatum.

II. *Probat* negationem ab usu Legis genuino, qui est, Peccati patefactio. Q.D. Lex non est peccatum, aut peccati causa, sed Index. Huc enim tendit Apostoli ratiocinatio:

Id, quod peccatum indicat & prodit, & quidem per modum *κατηγορήματος* & *κατακρίματος*, accusationis & condemnationis; id non potest esse peccati causa.

Atqui Lex hac ratione peccatum indicat & prodit, tanquam peccato è diametro contraria. Sic suprà *Cap.3.v.20. Per Legem agnitio peccati.*

Ergo Lex non potest esse peccatum, vel peccati causa.

Assumptionem Apostolus ὑποδειγματικῶς in propria sua persona demonstrat, in qua ostendit hunc usum Legis,

1. ***Generatim, v.7.c. Sed peccatum non cognovi, nisi per Legem.*** Id est, non scirem peccatum esse peccatum, nisi ex Lege, tanquam peccato contrariâ, ejusque prohibitivâ.

2. ***Speciatim***, ex præcepto X. Decal. de Concupiscentia. ***vers.7.d. Nam ipsam quoq; cupiditatem non nôssem, nisi Lex dixisset: Non concupisces.*** Vbi per ἐπιθυμίαν, ***cupiditatem***, non intelligit actuales Concupiscentiæ motus, sed ipsam scaturiginem, videlicet pravitatem, corruptionem innatam, & inclinationem pravam, quâ traximus omnes à primo Homine, quæ Gentilibus olim prorsus fuit abscōdita. Quanquam enim nonnulli eorum motus inordinatos Cordis à crimine absolvere non poterant; unde illud Aristidis: ***Quod non licet facere, id non licet appetere:*** tamen certū est, originalem naturæ nostræ impuritatem ipsis incognitam fuisse. Hinc Plato eam constituit tantùm in ***oblivione***, quæ conjunctionem animæ cum corpore sequatur. Aristoteles Animam ***tabulæ rasæ*** comparavit, absque ullo congenito habitu vel malo, vel bono.

III. Re-

III. *Respondet* ad Argumentum, ab *effecto* petitum, operatione scilicet mali per Legem in Homine. Innuit, fallaciam committi accidentis, & ostendit, Legi Dei nec *peccati*, nec *mortis*, quæ peccatum comitatur, culpam ullam imputandam; sed soli Peccato inhabitanti. Atque hoc Apostolus, suo proprio exemplo in Theatrum producto, ostendit in sua Persona. Prodit enim in medium, primùm, tanquam *Irregenitus*: dehinc, tanquam *Regenitus*.

PAVLVS IRREGENITVS.

Sistit se primùm contemplandum tanquam *Irregenitum*, qualis fuerat ante suam conversionem, quum adhuc fuisset infidelis, blasphemator, convitiator & persequutor fidelium. Duo ostendit suo exemplo: quòd scilicet non Lex, sed Peccatum sit causa 1. *Cupiditatum*, omniumque peccatorum actualium: 2. *Mortis*, propter peccata.

A. *Primum λῆμμα* quod attinet, Apostolus illud

1. *Proponit*, *v.8. Sed peccatum, occasione per illud præceptum sumptâ, effecit in me totam cupiditatem.* Indicat ergo, α. Peccatum esse causam per se omnis concupiscentiæ. β. Legem esse tantùm causam per accidens: quia videlicet peccatum, occasione Legis, exarserit in cupiditates, & quidem occasione non datâ à Lege, sed à peccato, propter suam cum Lege inimicitiam, acceptâ.

2. *Probat* atq; *declarat*, occasione scilicet Legis peccatum irritari. *v.9. Nam absq; Lege peccatum* (quidem erat) *mortuum: ego verò vivus eram absq; Lege quondam. præcepti autem illius adventu peccatum* (quidem) *revixit: ego verò mortuus sum. v.10. Et inventum est illud mandatum, quod erat ad vitam, mihi* (cedere) *ad mortem.* Syllogismus talis esse potest:

Si absque Lege peccatum mortuum erat, ego verò vivebam; præsente autem Lege peccatum revixit, ego verò mortuus sum: sequitur, peccatum irritari & augeri per Legem.

At primum.

Ergo & secundum.

Observanda heic sequentia.

α. Quòd dicat, *se vixisse quondam absq; Lege.* Intellige, absq; Legis cognitione. Atqui alibi Zelotam se pingit Legis? Ita est, cùm ageret Pharisæum absq; scientia veri Legis tùm sensus, tùm usus. De hoc in *Quæstionibus.*

β. Quòd

β. Quòd dicat, *peccatum tunc fuisse apud ipsum mortuum, & se vivum.* Non hic est sensus, quasi prorsus fuisset absq; peccato, sed quòd instar alicujus lipotomici fuerit absque peccati sensu. Hinc *vivum se fuisse* dicit, quia peccatum non sentiendo, ἀληθῶς quidem mortuus fuit; δοξαστικῶς verò, inflatus justitiæ suæ fiduciâ, vitam sibi arrogaverit.

γ. Quòd dicat: *mandati adventu revixisse peccatum, & se mortuum.* Per *adventum mandati* intelligit Legis cognitionem & seriam considerationem. *Revixisse* dicit *peccatum:*

a. Quia se ostendit & patefecit.

b. Quia contra Legem magis furere cœpit.

c. Quia *ipsum occiderit*, id est, reum mortis in conscientia arguerit.

δ. Hinc dicit porrò: *ego verò mortuus sum.* Intellige, non peccato, quod est Regenitorum; sed in peccato & per peccatum: quia & peccatũ, Lege agnitâ, in irregenitis augetur, & per ac propter peccatum dehinc in conscientia rei mortis peraguntur.

3. *Concludit* contra Peccatum pro Lege.

α. *Contra Peccatum, v.11. Nam peccatum occasione per illud præceptum sumptâ, seduxit me, & per illud occidit.* Ita omnem seductionis culpam adscribit *Peccato*, ut *Legem* absolvat ab hoc crimine.

β. *Pro Lege*, ejusque sanctitate & justitiâ. *v.12. Itaq; Lex ipsa quidem sancta, & præceptum illud sanctum, & justum & bonum est. Legem* accipio notione communi: *Præceptum* autem intelligo specialius, præceptum X. Decal. cujus jam mentio facta *vers.7.*

Et hoc unum est λῆμμα, de quo hactenus.

B. *Posterius λῆμμα*, quòd non Lex, sed Peccatum sit causa Mortis, Apostolus tractat

1. Per *prolepsin, occupationem, vers.13. Ergo quod bonum* est, videlicet Lex, *mihi factum est mors?* Ex occasione ejus, quod dixerat *vers.10. Mandatum ad vitam, cessisse ipsi ad mortem.*

2. Per ὑποφορὰν, *responsionem. Negat* Apostolus, *v.13. Absit:* Q. D. non Lex, sed Peccatum est in culpa mortis. *Probat* dehinc: quia Peccatum, quod per se malum est, occasione Legis efficiat mortem, adeóque Lege, re bonâ, sanctâ, justâ, abutatur ad occidendum, *v.13.b. sed peccatum* scilicet mihi factum est mors,

ut ap-

ut appareret esse peccatum mihi per id, quod bonum est, videlicet Legem, *efficiens mortem*.

Quomodo? Quia videlicet Legi renititur, imò occasione Legis majores acquirit vires peccandi, sicq; adeò Hominem maledictioni Legis, id est, morti temporali atque æternæ obnoxium reddit. Id porrò *vers. 13. c.* insinuat, addens: *ut peccatum fieret admodum peccans per illud præceptum*, utique non culpâ aut efficientiâ Legis, sed tantùm occasione Legis, quâ peccatum abutitur, juxta illud *πολυθρύλλητον*: *Nitimur in vetitum, semper cupimusq; negata*. Argumentum tale esse potest:

Rei malæ causa non potest esse res bona, sed mala. Qualis enim causa, talis est effectus, & vicissim.

Atqui mors res est mala, uti etiam peccatum, quod est extra controversiam: è contrario Lex est bona & sancta.

Ergo non Lex, sed Peccatum, quod est *ἀνομία* & Legi oppositum, causa est mortis.

Assumptionem Apostolus probat

α. De *Peccato*. Illud utiq; malum est, quod re & occasione bonâ abutitur ad Hominem seducendum & occidendum.

Atqui hoc facit peccatum. Nam per bonum, videlicet Legem, quæ ad vitam data est, *vers. 10.* operatur mortem, *vers. 13.*

Ergo utique malum est. Hinc dicit, *ἵνα φανῇ ἁμαρτία*, scilicet *εἶναι*: immò plus, ut appareat, peccatum pejus & deterius factum. Hinc dicit: *ἵνα γένηται καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία διὰ τῆς ἐντολῆς.*

β. De *Lege. v. 14. Scimus enim Legem esse spiritualem: at ego carnalis sum, venditus ut subjicerer peccato. Spirituale* & *Carnale* opponuntur. Lex est spiritualis: ego autem, ceu peccator, sum carnalis, sub peccato venditus. Ergo &c. Atque heic jam Apostolus incipit de se loqui, ut *regenito*, uti jam videbitur.

PAVLVS REGENITVS.

Pergit Apostolus in *Apologia Legis*, eam absolvens à culpa peccati & mortis, & omnem culpam derivans in ipsum peccatum, seu nativam Hominis corruptionem. Ostenderat id hactenus in Persona sua, cōsideratâ ante Regenerationem in *statu peccati*: nunc in sua Persona, consideratâ in *statu gratiæ* post Regenerationem.

I. *Summa* comprehenditur *verſ.14.* qui verſus partim præcedentia ſpectat; partim ſequentia, uti jam ſubmonui.

1. *Legem* abſolvit, vocans eam *ſpiritualem*, adeóque bonam. Exigit enim ſpiritualem obedientiam, & promittit ſpiritualem vitam.

2. *Peccatum* accuſat. *Ego verò carnalis ſum*, id eſt, peccator. Caro enim eſt inimicitia adversùs Deum. Ideò explicat, *πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, venundatus ſub peccatum.* Alludit ad mancipia, quæ pretio venduntur in ſervitutem. Sed heic notandum, Paulum hoc de ſe dicere non ſimpliciter & *ὅλως* conſiderato, ſed tantùm *κατὰ μέρος*, videlicet ſecundùm exteriorem Hominem, ſeu Carnem, ut pluribus dicam in *Quæſtionibus.* Nam ſi ſpectes Paulum ut *irregenitum*, totus fuerat mancipatus peccato. Hinc ſuprà *verſ.9. mortuum ſe* per peccatum dixerat. Et hoc ſenſu Rex Achab dicitur *fuiſſe venundatus ad faciendum malum in conſpectu Domini.1.Reg.21.20.* Quòd ſi ſpectes Paulum *regenitum*, ut & alios quoque fideles regenitos, ex parte dicuntur *venditi ſub peccatum*, nempe reſpectu *Carnis*, id eſt, nativæ corruptionis, ipſis, quamdiù vivunt, adhærentis: quo ſenſu etiam poſtea *verſ.23.* dicit, *ſe captivum reddi Legi peccati.*

II. *Particulatim* dehinc utrumque membrum perſequitur.

1. De *Lege*, quòd ſit bona & ſpiritualis. *Probat* ex ſuo ſenſu: Quia ipſe peccatum, quod perpetrat, nec approbet mente, neque amet aut eo delectetur voluntate. *Enthymema* eſt:

Peccato, quod perpetro, neque mente, neque voluntate conſentio. Non *mente*, quia novi eſſe peccatum, adeóque malum, Legi contraveniens: neque *voluntate*, quia odi illud, *v.15. Quod enim perpetro, non agnoſco. non enim quod volo, hoc facio, ſed quod odi, hoc facio.*

Ergo Legi conſentio, quòd ſit bona. *v.16. Quòd ſi id facio, quod nolo, conſentio Legi, quòd bona ſit.*

2. De *Peccato*, ſeu corruptione innatâ, quòd ea ſit cauſa mali perpetrati. Hanc declarationem Apoſtolus

α. *Ingreditur* per *occupationem. verſ.17. Nunc itaq; non ampliùs ego id perpetro, ſed peccatum, quod in me habitat.*

Objicere quis potuiſſet: Si tu bonum vis, & malum non vis, quomodo dicis, te malum facere aut perpetrare?

Reſpon-

Respondet Apostolus, *non se facere*; (ubi loquitur de se, quà regenito, secundùm interiorem Hominem:) sed *Peccatum in ipso inhabitans.* intelligit corruptionem in se residuam post Regenerationem.

β. *Probat* id dupliciter.

α. Ex *testimonio* conscientiæ propriæ, *v.18.a. Novi enim non habitare in me (id est in Carne mea) bonum.*

β. Ex *effectis*, videlicet tùm

Omissione boni, quod velit, *v.18.b. Nam velle adest mihi, sed ut quod bonum est perficerem, non assequor*: & *v.19.a. Non enim facio bonum, quod volo.*

Commissione mali, quod nolit, *v.19.b. sed malum, quod nolo, hoc ago.*

γ. *Concludit* postea *vers.20. Quòd si id facio ego, quod ego nolo, non ampliùs ego id perpetro. sed peccatum, quod in me habitat*, id perpetrat. Est id-ipsum, quod priùs dixerat & proposuerat *vers.17.*

III. *De necessitate* & *inevitabilitate peccandi* agit, occasione prædictorum, eam

1. *Indicando*, *vers.21. Invenio igitur, volenti mihi facere bonum, hanc Legem* (impositam esse,) *quòd mihi malum adjaceat. Legem* vocat, non de *jure*, sed de *facto*, quia peccati corruptione implicitus ita detineatur, ut ab ea in hac vita non possit plenè liberari.

2. *Explicando*, idque *ἀντιθετικῶς*. Describit enim geminam *Legem*,

α. *Bonam*, cui assentiatur, & quâ delectetur *κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον*, *vers.22. Delector enim Lege Dei secundùm interiorem Hominem.*

β. *Malam*, *v.23. Sed video aliam Legem in membris meis, belligerantem adversùs Legem mentis meæ, & captivum reddentem me Legi peccati, quæ est in membris meis.*

1. *Legem* vocat *aliam*, scilicet peccati.
2. *Legem membrorum*, quia per membra corporis est efficax.
3. *Legi mentis contrariam.* Per *Legem Mentis* intelligit *Legem*, insculptam per Spiritum sanctificationis Menti, seu Homini, quà regenitus, quem *vers.22.* vocaverat *Hominem interiorem.*

4. *Belligerantem secum* usque ad *suam captivitatem.* Ita explicat, quod suprà *vers.14.* dixerat, *se venditum esse sub peccatum:* comparans se alicui Homini, quem Tyrannus aliquis reluctantem in suam potestatem redigat, ut necesse habeat ei obtemperare invitus.

IV. *Concludit* tandem Apostolus, Epiphonematis loco, præcedentem tractationem

1. *Querimoniâ, v.24. Aerumnosus ego Homo! quis me liberabit ex isto corpore mortis?* Heic Apostolus prodit

α. *Dolorem* suum ingentem, ex sensu suæ miseriæ, quum se vocat *ærumnosum,* nempe propter onus peccati sibi incumbens, & continuam ac laboriosam cum eo pugnam & luctam.

β. *Desiderium* liberationis suæ, ex sensu illo ortum: quod arguit ipsius gemitus, quo postulat *ereptionem ex corpore mortis.* Per *Corpus* intelligit massam peccati, quam suprà quoque *Cap.6.v.6.* appellavit *Corpus peccati.* Vocat autem *Corpus mortis*, quia peccatum est mortiferum, suprà *Cap.6.v.23.*

γ. *Studium* persequendi Liberatorem. Hinc per *exclamationem* vehementem quærit: *Quis me eripiet?* non dubitando de liberatore, sed anhelando & ingemiscendo sub pondere suis viribus importabili; & à quo solius Dei potentiâ liberari possit: quod verbum [*ῥύσεται, eripiet*] insinuat.

2. *Gratiarum actione*, quâ ex dolore & sensu miseriæ suæ se iterum erigit, *v.25.a. Gratias ago Deo per Jesum Christum, Dominum nostrum.* Oratio est elliptica, semiplena, quali uti solent præoccupati magnis affectibus. supplendum est: *qui me eripuit.* *Observetur τὸ*

α. Ὅτι. Prodit Apostolus geminum alium affectum,

a. *Gaudii* ingentis, quo priorem dolorem mitigavit.

b. *Gratitudinis* erga Deum. quum dicit, *gratias ago Deo.* Addit, *per Jesum Christum*, in quo solo cultus noster Deo gratus esse potest, juxta monitū Apostoli alibi, *Coloss.3.17.*

β. Διότι. Causam innuit quoque, quum meminit *Dei*, ceu liberatoris *per Jesum Christum.* Insinuat ergo jam sibi victoriam.

ctoriam comparatam, & liberationem à Christo præstitam, de qua quidem non solùm Paulus, sed omnes fideles & regeniti, gaudere possunt, uti postea *Cap.8.v.1.* indicat.

Si *quæras*: Quomodo Christus hanc liberationem & victoriam nobis comparaverit? *Respondeo*, quoad tempus

a. *Præteritum*: Christus eam jam acquisivit suo merito, & in sua persona, tanquam Caput nostrum, obtinuit, vincendo tùm *peccatum*, cujus reatu ipse nostro loco, tanquā Sponsor noster apud Deum, tenebatur, *2.Corinth.5.21.Jes.53.4,5,6.* per mortem suam: *Rom.8.3.1.Pet.2.24.Col.2.14.* tùm *Mortem* per suam Resurrectionem. Nam hâc victoriâ obtinuit duo: 1. Vt culpa peccati nulla ampliùs nobis imputetur. 2. Vt peccatum non ampliùs nobis possit dominari. Quantumvìs enim nobiscum belligeret quotidiè, & non rarò nos captivos abripiat; tamen non ampliùs pleno suo in nos regno potitur.

b. *Præsens*: Christus victoriam hanc quotidiè in nobis operatur. Assistit enim nobis Spiritu suo sancto, & adest auxiliator in certamine, ne succumbamus, & licèt aliquando labamur, manu suâ opitulari nos iterum erigit. *Psal.37.24.Prov.24.16.*

c. *Futurum*: Christus victoriam hanc & Liberationem olim consummabit, quod fiet non solùm in Morte, sed & per Mortē: quia Mors fidelium est plena peccati, imò Mortis ipsius destructio; quando illi per Mortem transeunt ad perfectam justitiam & immortalitatem.

3. Ἀνακεφαλαίωσει, seu brevi ac summariâ repetitione dictorum, *vers.25.b. Nempe igitur ipse mente quidem servio Legi Dei, carne verò Legi peccati.* Distinguit iterum Apostolus inter semet-ipsum, consideratum tùm

α. Quà *regenitum*. Sic dicit, *se mente servire Legi Dei*, sicut dixerat *vers.22.* unde patet, per *Mentem* ipsum intelligere *Hominem interiorem.*

β. Quà *irregenitum*. Sic dicit, *se carne servire Legi peccati*, id est, ipsi Peccato, ejusque perverso dictamini.

AUCTARIUM,

De quibusdam vocibus in contextu Apostolico occurrentibus, quarum explicatio lucem ei inferre potest.

I. *Vers.7.& 8.*occurrit vox Ἐπιθυμίας. CUPIDITATIS. Hæc vox sumitur sensu non physico, sed ethico & morali,& quidem in malam partem,pro cupiditate aut concupiscentiâ pravâ & inordinatâ,Legi contrariâ. Notandum autem, *vers.7.*vocem [ἐπιθυμίας] denotare non *actualem* concupiscentiam, quæ nominatim & expressè Præcepto X. Decalogi prohibetur; sed *habitualem*, omnium pravorũ motuum scaturiginem, inprimis ea, quæ vocaverat *vers.5. παθήματα ἁμαρτιῶν*, *affectiones peccatorum*, ad peccata perpetranda solicitantes. Ast *vers.8.* nomine [ἐπιθυμίας] intelligitur *actualis* concupiscentia, cujus ex Præcepto X.Decalogi,*vers.7.*mentio quoque fit. Distinguitur enim à peccato,seu habituali concupiscentia *hoc vers.8.* tanquam effectus à causa. Nam *peccatum* dicitur *effecisse hanc cupiditatem.*

Cùm autem Concupiscentia actualis sit gemina, una absque Voluntatis consensu, altera cum cõsensu,quarum illam Scholastici vocant *informem*, hanc *formatam*: sciendum,utramq; Apostolum *v.8.* nomine [ἐπιθυμίας] complecti. Dicit enim,*peccatum in se effecisse omnem concupiscentiam*, adeóq; non tantùm deliberatam, sed & indeliberatam, quæ Voluntatem nondum subjugavit. Nam & hæc Præcepto illi X. *Non concupisces*, contravenit. Quod obiter observandum contra Pontificios,qui hanc concupiscentiam post Baptismum non ampliùs pro peccato habent: ut maximè Paulus de se jam regenito testetur, quòd & peccatum habeat, & quòd Concupiscentia illa ex peccato, id est, reliquiis nativæ Corruptionis,dimanet.

II. Τῆς ἁμαρτίας, PECCATI ter & decies in altera hac parte hujus Capitis mentio fit. Hoc nomine passim indigitatur corruptio nativa, partim *totalis* & regnans in irregenitis, *vers.7--13.* partim *partialis* per Spiritum Sanctificationis domita & crucifixa, in regenitis residua, *v.14.& seqq.*usque ad fin.Cap. *Observanda* heic seqq.

1. Peccatum *occasione Legis efficere* pravas *concupiscentias,vers.8,11.* occasione nimirum non à Lege datâ, sed à peccato sumptâ, propter hostilitatem ejus cum Lege, uti postea dicetur.
2. Peccatum *absq; Lege mortuum dici,vers.9.* non ἁπλῶς sed κατά τι, non,quòd prorsus non sit; sed 1. quòd non sentiatur aut

reputetur, utì suprà *Cap.5.13.* 2. Comparatè, quòd non ita ferociat, utì post Legis cognitionem in irregenitis.

3. Hinc porrò *v.9.* dicitur, *peccatum Legis adventu reviviscere*, quasi virtute à Lege sumptâ, vel per aut propter aliquam ἀντικείμενον, utì explicavi in Analysi. Et hoc postea meliùs explicat *vers.13.* quum dicit, *peccatum per Legem fieri* καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸν, ut quum calx superfusâ aquâ summè incipit exæstuare.

4. Hinc proporrò dicitur Homo irregenitus *absq; Lege vivus esse*, *v.9.* (ut maximè in peccato sit mortuus, *Eph.2.*) nempe δοξαστικῶς, juxta suam opinionem, ad-instar Hominis lethaliter ægroti, qui morbum suum non agnoscit & sentit, sed sanitatem sibi imaginatur. Vicissim dicitur *mortuus post Legis adventum* & cognitionem: quia quum conscientia ejus à Lege pungitur & pulsatur, Homo talis in majorem peccandi rabiem despumat, propter congenitam sibi pervicaciam.

5. Peccatum in Regenitis dicitur *habitare*, *vers.17,20.* sed non perinde, atq; in irregenitis, quos totos & totaliter possidet; sed tantùm ex parte secundùm *carnem*, utì explicat *vers.18.* & *exteriorem Hominem.* Ideò vocatur *peccatum* προσκείμενον, *adjacens*, *vers.21.* alibi, *Hebr.12.1.* vocatur ἁμαρτία εὐπερίστατος, *peccatum circumstans.* Interim morbum in Regenitis adhuc hęrentem, verè peccatum esse, ex hoc Apostoli loco, ut dixi, contra Pontificios colligitur. Nam & *peccatum* vocat aliquoties; *peccatum inhabitans* bis; *malum adjacens*; *Legem peccati, belligerantem adversùs Legem mentis*; peccatorum aliorum actualium fomitem, *vers.17.19.*

III. LEGIS vox aliquoties quoque occurrit in contextu hoc, sed differente sensu.

1. *Legis* fit mentio simpliciter, & intelligitur *Lex Dei*, utì etiam vocatur *vers.22.* & *25.* utique non solùm ceremonialis, sed & moralis. Hinc ex Decalogo, nominatim *vers.7.* citatur Præceptum X. de vitanda concupiscētia. Vbi obiter observetur Præcepti illius unitas. Nam Apostolus ibi loci verba illius Præcepti in unum hoc colligit: *Non concupisces*; & postea *vers.8.* τὴν ἐπιθυμίαν vocat in numero singulari. contra eos, qui solent Præceptum illud in duo discerpere: tantùm ne Præcepto II. de Idolis & Imaginibus, sit inter Præcepta locus, & interim denarius eorum retineatur. Sed & *spiritualem* vocat *Legem* Apostolus,

ſtolus, *verſ.14.* ne putaretur conſiſtere tantùm in ceremoniis & externis obſervatiunculis, uti poſtea dicetur.

2. *Legis Mentis* fit mentio *verſ.23.* quo nomine non intelligitur ipſa *Lex Dei*, ſed Imago Dei in Homine per Regenerationem reſtituta & inſtaurata, quam Apoſtolus *verſ.22.* vocat τὸν ἔσω ἄνθρωπον, & a Lege Dei diſtinguit. *Legem* vocat, ad ſimilitudinem Legis Dei, quia dictat Homini juſtitiam. *Mentis Legem* vocat, quòd primam ſuam originem & ſedem habeat in Mente, id eſt, τῷ λογικῷ Hominis, & inde derivetur in partem quoq; Animæ, quam vocant ἄλογον, & totum corpus, ejusq; membra.

3. *Legis peccati* fit mentio, priori *Legi mentis* contrariæ, *verſ.eod.23.* quo nomine intelligitur reſidua in Regenitis corruptio, Homo exterior, Adam vetus. *Legis* nomine venit, quia dictat, inſtar alicujus Tyranni, malum: unde *Lex peccati* dicitur, quia ad peccatum inſtigat & impellit. *Lex* item vocatur *membrorum*, quòd devincta ſibi habeat Corporis membra: non quòd in ſolo corpore & membris ejus, vel in ſolo τῷ ἀλόγῳ Animæ parte reſideat. Nam pervadit totum Hominem, adeóque etiam Hominis intellectum & voluntatem: ſed quia potiſſimùm in & per membra Corporis ſe manifeſtat, & vim ſuam exerit; in parte autem Hominis ſuperiori magis delitetcit.

IV. CARNIS fit mentio *v.18. Novi non habitare in me, id eſt, in Carne mea, bonum.* Puto, Apoſtolum in hoc toto diſcurſu ſemet-ipſum ſiſtere conſiderandum, aſt κατ᾽ ἄλλο καὶ ἄλλο, tanquam duplicem aliquem Hominem, uti quidem expreſsè *v.22. interioris Hominis* meminit, oppoſitè nimirum ad externum. Atque hunc externum procul dubio deſignat heic *Carnis* nomine, quia utique externus iſte Homo nihil habet reconditi boni, ſed totus diffluit & projectus eſt ad omne malum. Itaq; *Caro* ſignificat illam ipſam *Legem peccati*, de qua jam dictum eſt.

Carnis autem vocabulum uſurpatur, ad ingenium iſtius *veteris Hominis* ſignificandum. Eſt enim non *ſpiritualis*, ſed *carnalis*, uti indigitaverat *verſ.14.* ſuo-met exemplo. quia ſapit tantùm & cupit carnalia; & ſeſe prodit per carnales Hominis concupiſcentias, earumque fructus, quibus membra Hominis carnalia obſtetricantur.

Heic ergo porrò diligenter obſervanda veniunt duo. 1. Quòd Apoſtolus loquatur de ſe, nunc ſecundùm *Carnem*, ſive *exteriorem*; mox ſecundùm *Spiritum*, ſeu *interiorem* Hominem conſiderato. Secundùm reſpectum *priorem* dicit *v.7. in ſe non habitare bonum*: ſecundùm *poſteriorem*, dicit *v.20. ſe malum non perpetrare, ſed peccatum, quod in ipſo habitet*:

bitet:

bitet: imò *delectari Lege Dei, v.22.* 2. Quòd *Carnis* vox non significet tantùm corruptionem & impuritatem corporis, sed & animæ, & quidem diffusam per omnes animæ facultates, intellectum, voluntatem, affectus omnes atque πνεῦμα. Sicut enim peccatum vetus originale nihil vel minimum reliquit intactum & impollutum in toto Homine; ita, propter Regenerationis nostræ imperfectionem, ejusdem reliquiæ deprehenduntur in toto Homine, nullâ facultate Animæ exceptâ. Hinc *Carni* huic tribuitur ab Apostolo *φρόνημα, Rom 8.7.* & *νοῦς, Coloss.2.18.* quæ utique ad Mentem & *τὸ ἡγεμονικὸν* Hominis pertinent.

V. Occurrunt verba, VELLE, NOLLE, FACERE, OMITTERE, de eodem Paulo, & quidē, uti in Analysi monitum, regenito, sumpta, *verf.15,16,18,19,20,21.* quæ quomodo citra *ἀντιλογίαν* intelligi possint, potest ex præcedentibus liquere, & patebit quoque deinceps. Summa huc redit: Vtì Homo regenitus est veluti duplex, & divisus in *Carnem* & *Spiritum*, *exteriorem* & *interiorem*, *veterem* & *novum* Hominem; ita competit ei duplex *Velle* & *Nolle*, *Facere* & *Omittere.*

Secundùm *Veterem* Hominem competit ei *nolle* bonum, *velle* malum: bonum *nolle*; malum *perficere*, bonum *omittere* & negligere.

Secundùm *Novum* Hominem competit ei *velle* bonum, *nolle* malum: bonum *facere*, malum *omittere.*

Si quid heic occurrat aut restet dubii, expedietur in *Quæstionibus.*

VI. Tandem *verf.24.* mentio fit *Corporis mortis.* De hoc jam aliquid dictum in Analysi. Suprà *Cap.6.v.6.* mentionem fecit *Corporis peccati.* Alibi, *1.Cor.9.v.27.* Paulus dicit, *se contundere Corpus suum & redigere in servitutem, ne fiat ἀδόκιμος*, seu inutilis & rejectaneus in suo officio. Quanquàm per *Corpus mortis* quidam intelligāt propriè Corpus ipsum Hominis mortale, è quo, uti à morte, ita à peccato plenam liberationem exspectant fideles, & quidem in morte & per mortem: tamen cum Calvino sentio, *Corporis appellationem eandem esse, quæ externi Hominis & Membrorum; quia Paulus vitii originem hanc esse notat, quòd Homo à creationis suæ Lege descivit, atq; ita carneus & terrestris factus est. Nam etsi adhuc brutis animalibus excellit, vera tamen præstantia ei adempta est; & quod reliquum manet, innumeris corruptelis est refertum: ut meritò ejus Anima, quatenus degener est, dicatur in Corpus transiisse. Sic etiam Deus apud Mosen, Genes.6.v.3. Non ampliùs litigabit Spiritus meus cum Homine, quia ipse etiam Caro est: ubi Hominem spirituali excellentiâ spolians, pecudibus probrosè comparat.*

QUÆSTIONES,
ex Cap. VII. vers. 7. usq; ad fin. Cap.

Quæst. I. An Apostolus in hoc contextu, de se loquens, loquatur in *aliena*, an verò in *propria* Persona?

Resp. Priorem sententiam nonnulli, atque inter eos Socinus, *de Christo Servatore, Part.* 1. *Cap.* 4. & in *Libello* sub nomine *Prosperi Dysidæ*, tuentur, in gratiam Pelagianorum, quorum opinionem & argumenta excutere brevitas hujus Operis, intra cujus cancellos sum constitutus, non fert. Ajo, Paulum non alium à se, sed se-ipsum heic in theatrum proferre. *Rat.* 1. Quia passim exertè ad se-ipsum quæ dicit, accommodat: *Ego, ego, ego, &c.* & nunquam declinat in aliam à se personam; sed in se-ipso constanter persistit. 2. Imò *vers.* 25. summatim superiora complectens, dicit: *αὐτὸς ἐγὼ, ipse ego mente servio quidem Legi Dei, carne verò Legi peccati.* 3. Adde, loqui eum de se nunc in tempore præterito, *fui* aut *eram, vers.* 7. *&c.* nunc in præsenti, *sum, vers.* 14. *& seqq.* quod indicium est, se loqui in sua persona, secundùm distinctos status: secus in personis duabus loquutus fuisset, nullo tamen uspiam hujus Enallages facto indicio. 4. Nulla solida ratio cogit, ut dicamus, Paulum in persona alterius potiùs, quàm sui-ipsius disserere, quod nunc pleniùs patefiet.

Quæst. II. Cujus Status respectu Paulus in hoc contextu loquatur de semet-ipso?

Resp. Movetur *Quæstio* propter dissonantiam variam Interpretum. *Socinus*, cujus modò feci mentionem, Paulum vult loqui non de se, vel irregenito, vel regenito; sed, sub obtentu sui nominis, de Homine adhuc Divinæ gratiæ experte. *Theologi* nostri communiter, insistentes vestigiis Augustini præsertim, sed & aliorum saniorum Doctorum ex Veteribus, quos Liberi Arbitrii error non occupaverat, eam tuentur sententiam, quam mihi videor in Analysi detexisse: Paulum scilicet loqui in sua propria persona, ut ex *hypothesi* sui exempli aut personæ posset evincere *thesin*: videlicet Legem neque *Irregenitorum*, neque *Regenitorum* respectu, (quorum illi adhuc sub jugo Legis; hi non quidem sub *jugo*, ast sub *moderamine* ejus etiamnum versantur,) posse dici esse causam peccati, & consequenter Mortis. Adeóq; Paulum se sistere heic considerandum, primò quidem ut *irregenitum*, ut ostendat, quis ipsius status fuerit sub Lege ante conversionem, quum in Pharisaismo adhuc versaretur. Deinde ut *regenitum*, quum à Legis quidem jugo liberatus, transiit in Gratiæ Oeconomiam; ita tamen, ut nec à peccati reliquiis, neque à Legis Disciplina, tanquam perpetuâ Vitæ Christianæ normâ, immunis esset. *Novatores* quidam confingunt *tertium* aliquem *statum* inter *statum Peccati* & *Gratiæ* intermedium, atque in hoc existimant, Paulum sese à *vers.* 14. contemplandum exhibere. Paucis quid mihi videatur, dicam.

A. Assentior *orthodoxis Theologis*, tùm veteribus, tùm recentibus, qui Paulum loqui sentiunt non de aliena persona, sed de semet-ipso, uti *praced. Quæstione* id fuit demonstratum. Hinc dico, Paulum de se loqui primùm quà *irregenito, vers.* 7. *&c.* dehinc quà *regenito, vers.* 14. *&c.* Qui considerabit penitius, quæ in Analysi propositi hujus contextus Apostolici persequendo, is sequestratâ aut depositâ suâ præconceptâ opinione, facile acquiescet in communi & recepta interpretatione. Alios enim *ἰδιογνώμονας*, & sibi tantùm sapientes, non moror.

B. *Socini* ejusque contribulium *ψευδο-ἑρμηνείας* hujus loci non moramur. Explosæ eæ sunt fusè à Theologis variis, inprimis à Clariss. Pareo. *Comment. in hunc locum.* Acta agere mei non est instituti. Attamen aliquid *ὡς ἐν παρόδῳ* delibare non abs re fuerit. Pertendit *Dysidæus*, id est, *Socinus*, Paulum heic non de se loqui, multò minus de se, tanquam Renato. *Schema* in prædicto libello exhibet, quo vult evincere, Paulum, si *Capite* 7. *Epist. ad Rom.* debeat de se loqui, tanquam *Regenito*, aperte sibimet-ipsi aliis in locis esse

esse contradicturum. Invenio in illo *Schemate* duo notabilia sophismata. *Primum*, quum non distinguit inter illa verba, quæ nos de Paulo *irregenito* & quovis alio Homine, ante gratiam conversionis, ipsimet interpretamur: & alia, quæ non nisi de Paulo *regenito*, aliisque regenitis accipi posse existimamus. *Secundum*, quod, quæ Paulus de se quà *Regenito* loquitur, & intelligit κατά τι, *secundùm quid*, ille accipiat ἁπλῶς, *simpliciter*, per fallaciam consuetam. Malo autem, sed paucissimis, Schemati illi, ejusque ἀσυμφωνίας subnectere conciliationes.

SCHEMA.

HOMO, de quo loquitur Paulus Apostolus *Cap. 7. Epist. ad Rom.*	HOMO, Christi Spiritu præditus, ex ejusdem Apostoli Pauli verbis.
I. *Rom. 7. v. 8. In eo peccatum operatur omnem concupiscentiam.*	I. *Gal. 5. v. 24. Crucifixit carnem unà cum affectibus & concupiscentiis.*
II. *Rom. 7. vers. 9, 10, 11. In eo peccatum adeò vivit, ut illum morti mancipet atque occidat.*	II. *Rom. 6. vers. 2, 6, 11, 12, 14. In eo peccati corpus*, id est, ipsum peccatum, *destructum est adeò, ut & ipse peccato mortuus sit, nec peccatum in ipso ampliùs regnet aut dominetur.*

Resp. Nulla heic nobis cum Socino aut quibuscunque aliis pugna. Quia sententia nostra est, Apostolum *Rom. Cap. 7. vers. 7--13.* constanter in sua persona nobis describere Hominem irregenitum, ut ostendat in eo vim peccati per Legem.

III. *Rom. 7. v. 14. Carnalis est.*	III. *Rom. 7. v. 5. & 8. v. 8, 9. Non ampliùs est in carne.*

Resp. Jam agnoscimus, Paulum *vers. 14.* agere incipere de se, tanquam regenito. *Rationes* occurrunt in textu Paulino satis evidentes. 1. Quia Paulus loquitur non amplius in *præterito*, uti in verbis præcedd. *Fui, eram, &c.* sed in *præsenti, εἰμὶ, sum*, & sic quoq; deinceps. 2. Quia sibi in hoc statu ea tribuit, quæ non possunt ..dere in ullum Hominem irregenitum. *E.G. Velle bonum, nolle malum; consentire Legi Dei.* & quidem non tantùm per assensum, sed & approbationem. *vers. 15, 16, 17, 18, 20, 21. delectari Lege Dei.* & quidem *secundùm interiorem Hominem, vers. 22. servire Legi Dei, vers. 25.* desiderare ex odio & detestatione peccati plenam *liberationem, vers. 24.* Quis Hominum, nisi velit in castra transire Pelagianorum, id est, Patronus esse Liberi Arbitrii, & Hostis Gratiæ Dei; poterit aliam Pauli personam heic fingere, quàm ipse voluit?

Itaque ad objectas veræ sententiæ ἀντιλογίας, in collatione locorum, *Rom. 7. v. 14. Ego* [Paulus] *carnalis sum*, juxta sensum nostrum: cum locis aliis, *Rom. 7. v. 5. & 8. v. 8, 9. Non ampliùs* (Regenitus) *est in carne.*

Respondeo, fallaciam committi multiplicem, homonymiæ, amphiboliæ, à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter, item falsorum oppositorum, sive ignorationis elenchi. Quod, ut meliùs pateat, paucis explicabo, ut dehinc non sit opus reliquis ἀσυμφωνίας diutiùs immorari. Sunt quidem ista fusè & Libris operosis à Theologis orthodoxis pertractata; sed vela, propter brevitatem, quâ circumscriptus sum, contraham.

Existimo itaque. 1. etiam de Regenito Homine dici posse, eum esse carnalem, ast non ἁπλῶς; sed κατά τι: quia compositus est ex *Spiritu & Carne*, quemadmodum Homo physice cõsideratus ex Corpore & Ani-

mâ. Itaque sicut de uno Homine physico citra ἀντίφασιν dicere possum, eum esse corporeum & spiritualem, κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο: ita de uno Homine regenito dicere possum, eum esse *carnalem*, secundum veterem; & *spiritualem*, secundum novum Hominem. 2. Hinc Regeniti quoque ab ipso Paulo vocantur certo respectu *carnales*, v.g. Corinthii, 1.*Cor*.3.*v*.3. 3. *In carne non* amplius *esse*, *Rom*.7.*v*.5. idem significat, atque sub pleno Carnis imperio esse, absque ulla Spiritus resistentia. quod collatio quoque indigitat, quam instituit Apostolus *Cap*.8.*v*.1,8,9. Nam ibi loci illi, qui dicuntur esse ἐν τῇ σαρκὶ, opponuntur iis, qui carent prorsus Spiritu. Atqui Apostolus *Cap*.7. *v*.14.*& seqq*. nequaquam sese describit tanquam Spiritu Dei vacuum, uti jam demonstratum est: inprimis, quia distinguit in semet-ipso *internum* & *externum Hominem*, *vers*.22. *Legem mentis* & *peccati* ac *membrorum*, *vers*.23. imò, quia dicit, *se mente servire Legi Dei*. Quis hoc dicat de Homine irregenito?

IV. *Rom*.7.*v*.14. *Venundatus est sub peccato*.	IV. *Rom*.6.*v*.18.*&* 22. *Liberatus est à peccato*.

Resp. Conciliatio facilis est. *Venditio sub peccatum*, & *Liberatio à peccato* ejusque *servitute*, non simpliciter opponuntur, sed tantùm secundùm quid. *Regenitus* liber est à peccato, quatenus tùm à *reatu*, *culpâ* & *pœnâ* peccati est liberatus; tùm ab ejusdem *regno* & *dominio*. *Venditus* autem dicitur *sub peccatum*, quatenus Homo Regenitus nonnunquam à Carne, vetere Homine, præter & contra interioris Hominis & Spiritus voluntatem veluti captivus abripitur, quod Paulus suo exemplo satis demonstrat. Et quis non omnium fidelium hoc ipsum in se experiatur? ut mirum sit, Homines Pelagianismo, id est, Libero Hominis Arbitrio faventes, in contrarium ire posse. Adde, *Venundationem* istam non semper fieri cum voluntate venditi, sed etiam contra ipsius voluntatem. Improbi dicuntur venditi sub peccatum, v.g. Achab, 1.*Reg*.21. sed ex justo Dei judicio, quia traduntur à Deo in Satanæ & peccati dominium, *Rom*.1.*v*.24. & quidem cum plena eorum voluntate, & peccati delectatione. quærunt enim hanc servitutem. Aliter Regeniti, qui vendi dicuntur, quum Caro aut vetus Homo eos, quoad Spiritum, invitos aliquando abducit aut seducit ad concipiendas & explendas Carnis concupiscentias: ut quum mancipium aut servus emptus cogitur servitium Domino præstare; attamen invitus.

V. *Rom*.*cap*.7.*v*.19. *Quod vult bonum, non facit: quod autem non vult malum, id agit*.	V. *Rom* 8.*v*.1.4. *Non secundùm carnem, sed secundùm spiritum ambulat*: & *v*.13. *Spiritu actiones corporis perimit*.

Resp. Quasi verò non facere volitum bonum, aut facere malum non volitum, sit ambulare secundùm carnem, & non secundum spiritum. Nimirum Paulo, *ambulare secundùm Carnem*, uti dicetur in Caput sequens, est, ad obsequium Carnis totâ voluntate vivere, quod est solorum irregenitorum. An hoc competit ei, qui volitum bonum non facit, & malum non volitum agit? Habet enim iste voluntatem ad bonum, & noluntatem seu displicentiam ad malum, quod non potest cadere, nisi in Regenitum.

Object. 1. Cur ergo bonum omittit, & malum committit?

Resp. Quia in Regenito, v.g. Paulo, voluntas Spiritus, seu interioris Hominis, nonnunquam impeditur à voluntate Carnis seu Hominis exterioris; ut non possit in actum devenire omissionis mali, & commissionis boni.

Object. 2. Atqui Spiritus dicitur *Cap*.8. *vers*.13. *actiones Corporis perimere* aut *mortificare*.

Resp. Ita est, sed cogitandum, α. hanc mortificationem fieri sensim & successive.

sivè, semper manente in regenitis carne & vires suas exerente per cõcupiscentias. *Gal.5.v.17.* β. Secun. um quid, quatenus Carnis motus ita per Spiritum reprimuntur, ne possint plene Spiritum subagitare, multò minùs extinguere.

Object. 3. At quis præsumet, de Paulo regenito hoc dici posse, quod bonum nolitum non fecerit, aut malum non volitum perpetraverit? Videtur hoc competere Homini profano, incontinenti, libidinoso, adeóque non regenito.

Resp. 1. Homo non renatus caret omni voluntate ad bonum, & tantus, quantus est, ruit cum plena voluntate & delectatione ad omne malum. *Gen.6.5.& 8.21. Job.15.16.* Hoc sensu velle bonum, & nolle malum, Paulo renato competere nequit. 2. Neq; tamen, quod Paulus de se dicit, potest arguere ejus profanitatem, incontinentiam, libidinem, sanctitati ejus, quam describit *2.Cor.9.15.* aliisve in locis, contrariam. *Rat.* Quia, quando mali, quod faciat, & boni, quod omittat, facit mentionem; id α. non intelligit de externis operibus & flagitiis, v.g. furti, scortationis, adulterii; sed de internis concupiscentiæ motibus, quos omnes, etiam sanctissimi in se experiuntur, tanquam rivulis à fonte peccati inhabitantis dimanantibus. β. Neque loquitur de continuo & indefinente cursu eorum, sed tantùm de intervallis, & post pugnam & victoriam recurrentibus paroxysmis, quos patiatur à Carne.

VI. ***Rom.7.vers.23. Captivus est Legis peccati.***	VI. ***Rom.8.vers.2. Liberatus est à Lege peccati.***

Resp. Nulla iterum contradictio. Quia, quantum ad *Justificationem* attinet, plena quidem est liberatio à peccati reatu & pœna. Ast, quantum ad *Regenerationem* & *Sanctificationem* attinet, uti semiplena est liberatio à peccati labe & corruptione; ita semiplena manet captivitas sub Lege peccati. Hæc semiplena *captivitas* Regenito competit longè alio sensu, quàm Irregenito. Nam *Irregenitus* captivus est peccati, absque omni resistentia, cùm pleno voluntatis consensu; imò servitutem peccati habet pro summa libertate. Non sic Paulus, vel alius regenitus, qui non quidem semper, multò minùs totaliter aut finaliter, sed interdum prævalente secundum quid Carnis impetu, cum Lotho in captivitatem abducto, *Genes.14.* Spiritu invito & reluctante captivus abducitur & seducitur ad peccandum. Atque hoc Apostolus *vers.23.* sufficienter insinuat. 1. Quum se describit pugnantem cum peccato, τῷ ἀντιστρατευομένῳ, adeóque peccato adversantem. 2. Non prorsus victum & occisum, sed tantum αἰχμαλωτίζοντα, & violenter veluti raptum & captum: utique non *totaliter*, quia Spiritu liber mansit; neq; *finaliter*, quia mox Deo gratias agit pro victoria, *vers.25.*

VII. *Rom.7.v.24. Detinetur à corpore mortis,* (id est, ab ipsa morte,) *à quo liberari miser cupit.*	VII. *Rom.8.2. Liberatus est à Lege mortis.*

Resp. 1. *Corpus mortis* in *Cap.7.* Paulo non est Mors ipsa, sed peccatum mortiferum, uti in *Auctario* analytico suprà monui. 2. *Liberatio*, de qua *Rom.8.* regenito tribuitur κατά τι, partim à *reatu* peccati; partim ab ejus *dominio*, manentibus interim *reliquiis* & continuis velitationibus peccati, à quibus Paulus se liberari desiderat & petit.

C. Tandem, qui docent, Paulum se *hoc Cap.* inprimis *vers.14.& seqq.* in medio quodam statu inter Peccatum & Regenerationis gratiam describere, illi haud levem mihi errorem errare videntur.

I. Primò, medium statum fingunt, qui nullus est: nisi quis dicere velit, inter Hominem vivum & mortuum dari intermedium. Equidem sicut sunt Vitæ & Sanitatis gradus; ita Regenerationis ac Vitæ spiritualis. Ast inter Regenerationem ac spiritualem Vitam, & spiritualem Mortem Hominis nullum datur medium. Hinc, sicut Homo vehementissimè licèt ægrotans, imò lethaliter decumbens, neque in mortuorum, neq; in eorum, qui nec mortui, nec vivi sunt, catalogum referri potest; sed manet adhuc,

quamdiu spiritum trahit, in numero viventium: sic Homo, initium modò Regenerationis & novæ Vitæ nactus, etiamsi languidis sit adhuc viribus, neque in spiritualiter mortuorum, neq; in novo non regenitorum, & in nescio quo medio statu versantium, sed in vere Regenitorum censu habendus est.

II. Ea de se prædicat Apostolus, quæ non in Hominem neutrum, sed tantùm Regenitum competunt, v.g. 1. totolum *agnoscere*, seu & *velle bonum*, & *nolle malum*, *vers*.15. 16.18 19.21. *delectari Lege Dei secundum interiorem Hominem*, *vers*.22. *servire mente Legi Dei*, *vers*.25. Qui hæc & similia dicet cadere in Hominem nondum per Dei gratiam Regenitum, & sub Legis jugo adhuc versantem, is necesse habebit *το Velle bonum* vel prorsus à gratia excludere, vel inter liberum Hominis arbitrium & gratiam partiri, adeoq; [illegible].

III. Si *Homo ille interior*, cujus fit mentio *vers*.22. procul dubio idem sit, quem Petrus vocat *Hominem cordis occultum*, 1. *Pet*.3.*v*.4. & Paulus alibi *novum*, cumque opponit *Homini veteri*, supra *Cap*.6.*v*.6. *Ephes*.4.*v*.22,23,24. *Coloss*.3.*v*.9,10. quomodo is expers potest esse Regenerationis?

IV. Sed & Paulus ipse, dicens *vers*.17. *Non amplius ego id perpetro, sed peccatum, quod in me habitat*, distinguendo inter se non peccantem, & peccantem: nullam Hominem intermedium & neutrum relinquit. Nam dicendo, *se non patrare malum*, considerat *se* qua *Regenitum*: dicendo, *peccatum in se habitans patrare*, considerat *se* qua *irregenitum*.

V. Tandem *vers*.24. satis insinuat Paulus status illius sui perfectioris plenam abolitionem demum futuram in morte. Quod si hic status non fuisset Gratiæ & Regenerationis, sed intermedius, Paulo & nobis omnibus Regeneratio non tantum perfecta sed & inchoata demum in Morte esset exspectanda. Qui in hanc rem plura volet, adeat Tractatum Theologi gravissimi & celeberrimi, *Guilielmi Riveti*, quo *Caput hoc VII. Epist. ad Rom.* vindicat contra [illegible] quorundam [illegible].

VI. Adde tandem ex *vers*.25.*a*. Hominis, cujus statum Paulus describit, fidem in Christum Dominum, scilicet victoriæ fiduciam, & spem, conjunctam cum gratiarum actione: quæ in irregenitum, aut nescio quem medium Hominem cadere posse, nemo sanæ mentis persuadebit.

Quæst. III. An non Lex, juxta Paulum, sit peccati causa? *Rat. dub*. 1. Quia occasione Legis peccatur, & peccatum non esset, si Lex non esset.
2. Quia eàdem occasione peccatum irritatur, ut fiat magis peccans, *vers*.8,9,13. Occasio autem non videatur danda peccato.

Resp. Jam in Analysi dictum, Legem non esse causam peccati per se, sed per accidens tantum. Non enim peccatur ex Legis vel præscripto, vel impulsu, cum peccatum Lege prohibeatur: sed ex pravitate & vitiositate innata, quæ Legi se opponit. Deinde distinguendum inter occasionem *datam* & *sumptam*, uti distingui solet inter scandalum datum & acceptum. Homo sumptâ occasione Legis, non datâ ad peccandum fertur, & se in peccato magis obfirmat; ast non Legis, sed suâ propriâ culpâ: quo sensu accipiendus quoq; locus *Jesa*.6.*v*.9,10.

Quæst. IV. Cur Paulus *vers*.9. dicat, *se quondam*, videlicet ante suam conversionem, *fuisse absq; Lege*? *Rat. dub*. Quia videtur alibi contrarium de se testari, *Philip*.3.*v*.6. *Act*.22.*v*.3. & 23.*v*.1.

Resp. 1. Quum Paulus *vers*.9. dicit, *se quondam fuisse absq; Lege*, videlicet in Pharisaismo; intelligit, se fuisse sine vera Legis cognitione: quia nec *sensum*, nec *usum* Legis rectè & prout decet cognoverat. Hinc Christus Pharisæos *cæcos* & *cæcorum duces* vocavit. *Matth*.15. Eaque de causa Paulus addit, *se fuisse vivum absq; Lege*, non per [illegible], secundùm suam opinionem aut imaginationem, quia justum se fingendo vitam sibi arro-

arrogabat. 2. Loca,in contrarium citata, κατὰ τι sunt intelligenda de justitia externa & Pharisaica, quæ carebat externis flagitiis & sceleribus, quorum respectu dicit, *sibi puram fuisse conscientiam*, quia juxta Pharisæorum institutum coram Hominibus vitam vivebat inculpatam, ut graviorum scelerum reus peragi non posset.

Quæst. V. Quomodo Lex data ad Vitam possit cedere Homini ad Mortem? Ex *vers.* 10.

Resp. Occasionaliter, vitio & culpâ Hominis ceu prævaricatoris, non *causaliter*: non *effectivè*, à parte Legis; sed *defectivè*, à parte Hominis. *vers.* 8. & 11. Nimirum Lex prodest obedienti ad Vitam, *Levit.* 18.5. obest inobedienti ad Mortem. *Deuter.* 27.26. Sicut alibi Paulus simile quid loquitur de Evangelio, quòd sit odor Vitæ ad Vitam credentibus: odor autem Mortis ad Mortem non credentibus. 2. *Cor.* 2.16. Videantur quæ suprà sunt annotata ad *vers.* 15. *Cap.* 4. *pag.* 89. *Quæst.* 6.

Quæst. VI. Ex *vers.* 15.19. An non Paulus sibi videatur contradicere, loquens de se, Homine uno, qui faciat, quod nolit; & omittat, quod velit? An ergo vel omissio boni, vel commissio mali possit fieri absq; Hominis voluntate? Quòd si uni voluntati utrumq; peccatum sit adscribendum, videri, contraria posse cadere in unum subjectum?

Respondeo cum Beza, *eundem & unum Hominem dici velle & nolle diversis respectibus: Velle videlicet, quatenus est gratiâ regeneratus, sive quatenus talis est, qualis est natus. Sed quoniam pars regenerata tandem victrix evadit, ideò Paulus Regeneratorum partem sustinens perinde loquitur, ac si vitiositas, qua & ipse volens peccat, esset aliquid extra ipsum: quamvis tamen postea fateatur, hoc malum esse in carne sua, sive membris suis.* Dico itaque,

I. Hominem renatum (qualis Paulus) considerari ut unum & geminum, non divisione aut distinctione Personæ, neque etiam Status; sed distinctione in eodem statu gratiæ Habitûs seu Qualitatis bonæ inchoatæ, & malæ adhuc residuæ. Hæc est Paulo oppositio *Carnis* & *Spiritus*, *interioris* seu *novi*, & *exterioris* seu *veteris* Hominis, *veteris* & *novi* Adami.

II. Dico, Qualitates istas oppositas competere Homini Renato, non secundùm distinctas Animæ λογικῆς & ἀλόγου facultates, uti nugantur cœci Philosophi, & qui hodiè cum ipsis in Doctrina de Natura & Gratia paganizant, quod postea patebit: multò minùs secundùm distinctionem Corporis ab Anima; cum soli Animæ propriè competat τὸ *Velle* & *Nolle*, & corpus Hominis, ejusq; membra per se nihil sint aliud, quàm bruta Animæ intelligentis & volentis, respectu actus sive eliciti, ut ajunt, sive imperati, organa. Sed competunt Animæ secundùm omnes facultates. *Vetus Homo* (*Caro*) in Regenito licet Homine, etiamnum stabulatur in Intellectu, Voluntate, Affectibus & Appetitu, quem vocant, irrationali. Quicquid enim est in omnibus istis facultatibus residuarum tenebrarum, inobedientiæ, incontinentiæ, impuritatis &c. omne illud est λεῖμμα veteris Hominis. Itaque vicissim, & e contrario *Novus* quoq; *Homo* in iisdem versatur sedibus, & suum, non tantum distinctum, sed & oppositum atque hostile Regnum contra veteris Hominis impetus & hostilitates exercet, & pro viribus tuetur.

III. Quî verò, dices, fieri potest, ut duo contrarii hostes possint occupare unam Animam & omnes facultates, inprimis Voluntatem in bene vel male agendo, cùm subjecta non sint contrariorum susceptiva? *Resp.* Facile, in remissis nimirum, ut vocant, gradibus. Quia enim regeniti sumus tantùm ex parte, ideò ex parte cognoscimus, 1. *Cor.* 13.12. ex parte volumus, ex parte pugnamus contra vete-

veterem Hominem: continua & mutua in nobis utriusque Hominis lucta est, concupiscente Carne adversus Spiritum, Spiritu adversus Carnem. *Gal.* 5. 17. & nunc Carne in velitationibus quibusdam superante, & Spiritus vigorem impediente, sistente, & quoad actus externos superante: Spiritu vero reluctante semper, sed non iisdem prorsus viribus & gradibus, ita tamen, ut tandem suam de Carne reportet victoriam, consummandam autem demum in Morte & per Mortem, uti dixi suprà.

Quæst. VII. An Homo renatus, quando peccatum perpetrat, id faciat invitus?

Rat. dub. Quia Paulus dicit, 1. contra voluntatem hoc fieri, *vers.* 15.
2. non se, sed peccatum in se habitans id agere, *vers.* 17.

Responsio ex iis, quæ jam dixi, facilis est. 1. Prout consideraveris Paulum, quà regenitum vel non regenitum, habebis & invenies eum volentem & nolentem. 2. Neque tamen dicendus est invitus aut coactus malum perpetrare, quia voluntas etiam regeniti Hominis à Carne non cogitur, nec cogi potest ad peccandum: sed ductu Carnis non absque, quamvis semipleno, obsequio trahitur ad peccandum, tum per obtenebrationem Intellectus practici in actu peccandi, ac dehinc per Voluntatis moralem aliquam inclinationem & determinationem.

Quæst. VIII. Quomodo illud, quod Paulus, & quidem in statu gratiæ & regenerationis constitutus, dicit de sua sub peccatum venditione, &c. *vers.* 14. *& seqq.* possit conciliari cum iis, quæ antea, *Cap.* 6. *vers.* 10, 11, 18, 20. scripserat de Regenitis? Videntur enim hæc esse prorsus ἀσύστατα, &, ut ajunt, incompossibilia.

Resp. Puto, quæ paulò ante contra Socini ψευδεπιχειρήματα fuerunt mota, sufficere posse ad Paulum secum conciliandum. Paucis nunc porro seqq. observanda veniunt.

I. Paulum hoc loco non prorsus dicere à se, ceu *Regenito*, aliena, neque repræsentare voluisse per μετασχηματισμὸν, aut Enallagem personæ, vel Hominem prorsus profanum & irregenitum; vel in medio aliquo & indifferente inter regenitum & irregenitum statu consistentem, uti jam fuit expositum.

II. Loqui Paulum de se quidem *Regenito*, ast non simpliciter & præcisè, sed σχετικῶς, cum respectu ad peccatum adhuc in se inhabitans: qualis nempe foret, si juxta τὸ ἀκριβοδίκαιον Legis ipse, hujus peccati respectu, esset examinandus & tractandus.

III. Paulum, quæ de se heic loquitur, non intelligere de cursu perpetuo, quasi videlicet nunquam bonum volitum efficeret, aut malum, quod odio habet, indesinenter patraret. Satis habuit indicare, id sibi non raro, aut nonnunquam contingere, propter Regenerationis suæ imperfectionem.

IV. Illud insuper probe notandum, eum non loqui heic de peccatis externis & sceleribus gravibus, à quibus fuit immunis; sed de internis & arcanis concupiscentiæ motibus, qui in Regenito Homine etiam belligerare solent contra Legem mentis. Id observavit Augustinus, *Serm.* 45. *de Tempore.* *Nunquid, ait, illa concupiscentia mala trahebat Apostolum subjugatum ad concupiscendum ad fornicationem? Absit, non ascendant tales cogitationes in cor nostrum: luctabatur, non subjugabatur. Sed quia nolebat hoc habere, contra quod luctaretur, ideò dicebat:* Non quod volo, ago. *Concupiscere nolo, & concupisco.* Non ergo, quod volo, ago: *sed tamen concupiscentia non consentio. Non enim aliter diceret:* Concupiscentias Carnis ne perfeceritis, *si eas ipse perficeret, &c.*

Quæst. IX. Quo sensu Apostolus *vers.* 14. *Legem* vocet *spiritualem*?

Resp. Quia ibi se tanquam *carnalem*, Legi tanquam *spiritualem* opponit, satis patet,

patet, Legem *spiritualem* dici, quia sit justa, sancta, bona: cùm *carnale* significet id, quod malum est, iniquum, impurum. Hoc ipso enim nomine quoque vult Legem defendere & vindicare contra calumniam iniquitatis, suprà propositam *vers.7.* Interim operæ pretium est, specialius & penitius spiritualem Legis naturam perscrutari. Paucis, Lex *spiritualis* est, respectu

I. *Ortus* sui; quia a Deo, qui Spiritus est, lata est: & per Spiritum ejus sanctum inscribitur cordibus nostris. *Jerem.31.33.*

II. Materiæ, seu rerum præceptarum: quia requirit non solum externa & carnalia obsequia, sed potissimum λογικὴν λατρείαν, cordis sanctimoniam & puritatem.

III. *Subjecti*, quia fertur Homini, nō tantum secundum corpus & externas actiones; sed potissimum secundum Animam, & internas ejus cogitationes, cupiditates, motus & inclinationes considerato.

IV. *Finis*: Lata est enim, ut Homines sint & studeant esse spirituales.

V. *Opposita* Legis, quam Apostolus vocat *Legem membrorum*, *Legem peccati*, *vers.23,25.*

Quæst. X. Quæ & qualis sit *Lucta* illa, quam describit Apostolus *vers.23.* inter *Legem membrorum, & Legem mentis?*

Resp. Sociniani, Arminiani, eorumq; complices, extendunt istam luctam etiam ad non Regenitos, propter ἀντίστασιν illam, quæ non rarò deprehenditur inter τὸ ἄλογον τῆς ψυχῆς, & λογικόν, de qua Aristoteles *Lib.1. Ethic.Cap.13.* & Medea illa apud Poetam: *Video meliora proboq; : deteriora sequor.* Hinc per *Legem membrorum* intelligunt tantùm Animæ τὸ ἄλογον partem scilicet ὀρεκτικὴν & ἐπιθυμητικήν, quæ proxime dependet à corpore: per *Mentem* intelligunt τὸ λογικὸν Animæ, ac nominatim *intellectum*, ceu ἡγεμονικόν. Sed errant toto Cœlo.

I. Paulus non in sua persona, uti dictum, Hominem non irregenitum, sed regenitum describit: tanquam non tantùm intelligentem, sed & volentem bonum, delectantem Lege Dei, servientem Legi Dei, tristātem propter reliquias peccati, *vers.24.* fiduciam ponentem in Christo, & Deo gratias agentem pro liberatione ab ipso præstitā, *vers.25.*

II. Hinc per *Carnem, peccatum, peccatum inhabitans, malum adjacens, Legem peccati, Corpus Mortis*, non tantùm intelligit irrationalem, quam vocant, Animæ partem aut facultatem; sed ipsam quoq; corruptionem residuam in rationali parte, τῷ λογικῷ, idque tùm in *Intellectu*, tùm in *Voluntate.* Hinc alibi *Carni* tribuit τὸ φρόνημα. *Rom.8.7.* eiq; adscribit effecta, quæ sunt *Mentis*, *Gal.5.19.* Itaq; porrò *Mentis* nomine intelligit non tantùm *Intellectum*, sed totum Hominem, in quantum regenitus est: quia dicitur *hac mente servire Legi Dei*, *vers.25.* utiq; non tantùm *intelligendo*, sed & *volendo.*

III. Hinc ergo porrò patet, Luctam, quam heic Paulus describit, non esse inter τὸ λογικὸν & ἄλογον, sed inter totum Hominem, quatenùs Regenitus: & eundem totum, quatenùs nondum regenitus est.

IV. Quis hinc non colligat summam differentiam inter Luctam illam Aristotelicam seu *Philosophicam*, & hanc *Theologicam*? Nimirùm illa est carnalis, hæc spiritualis: illa fit absq; fide, hæc cum fide: illa fit in bono morali, hæc insuper in spirituali. Illa fit inter rationem & appetitum, ubi nulla adhuc est renovatio: hæc fit inter Spiritum, seu Hominem, quà regenitum; & Carnem, seu Hominem, quà in residuo corruptum. Non sunt ista cōfundenda inter se. Aliud est *Ratio* in Homine irregenito, aliud *Spiritus* in Renato. Nam etiam in irregenito ratio manet irregenita. Quantumvis enim affectibus & cupiditatibus sæpe reluctetur, cogitandum tamen 1. Hoc fieri ex residuo lumine

naturæ, quo ratio cernit aliquod discrimen boni & mali moralis, uti suprà indigitatum, *Cap.*2.15. 2. Non fieri ex serio odio & detestatione mali, atque amore boni: sed vel quia mens inter duo mala eligit minus; vel quia malum aliquod omittendo ejus pœnam evitare; aut bonum aliquod patrando, gloriam & præmium aliquod inde captare & venari constituit. Hæc qui distinguere nesciunt aut nolunt, confundunt virtutes Christianas cum virtutibus Gentilium, quas Augustinus *splendida* vocavit *peccata*.

Quæst. XI. Quousque se extendat ἡ *αἰχμαλωσία*, captivatio sub Legem peccati, cujus meminit Apostolus *vers.*23. quæ contingere solet Regenitis?

Resp. Nequaquam ad plenam Spiritus subjugationem & destructionem, aut plenam Carnis victoriam. *Rat.* 1. Quia τὸ αἰχμαλωτίζειν significat invitum & reluctantem trahi vel ad mortem, vel ad servitutem, serviendam cum gemitu. 2. Hinc Apostolus confestim *vers.*24. in gemitus erumpit, subinnuens, se huic captivitati mente contradicere & reluctari, & liberationem sui efflictim petere & exoptare. 3. Imò sub onere hujus captivitatis postea *vers.*25.*a.* fiduciâ in Christum, & spe liberationis, cum gratiarum actione erga Deum, semet-ipsum erigit, quod in Hominem carnalem prorsus non quadrat. 4. Hinc aperte *ibid.* docet, hanc captivationem ei accidere tantùm *κατὰ μέρος* & *κατά τι*, quum dicit: Nempe igitur ipse mente quidem servio Legi Dei, carne verò Legi peccati. Hoc nullus dicere potest, qui à peccato prorsus superatus est.

CAPVT VIII.

POSTQVAM Apostolus præcedentibus Capitibus duos *Justificationis fructus* sive *effecta* pertractâsset, videlicet 1. Εὐθυμίαν & felicitatem illam internam & spiritualem, quam Fideles intra se sentiunt in cordibus suis, *pacificationis* & *gloriationis in Deo*. CAP. V. 2. *Sanctificationem*. CAP. VI. & VII. Nunc HOC CAPITE pergit ad postremum & ultimum *effectum*, scilicet CERTITVDINEM SALVTIS, indeq; manantem CONSOLATIONEM CHRISTIANAM, quę, si usquam alibi in tota Scriptura, certè in hoc Capite exhibetur uberrima & locupletissima. Occurrit enim heic, quæ duæ quoq; sunt primariæ hujus Capitis partes,

I. *Impugnatio* præcipuorum Salutis nostræ impedimentorum. *vers.*1---30.

II. *Expugnatio* atq; Triumphus de iis. *vers.*31. *usq. ad fin. Cap.*

PARS I. CAPITIS.

CERTITVDO SALVTIS nostræ *asseritur* & *propugnatur* contra geminam

minam *Tentationem*, tùm 1. PECCATI, in Regenitis residui: tùm 2. CRUCIS & calamitatum, quæ eos in hoc seculo manent.

x. CONSOLATIO Regenitorum fidelium contra tentationem PECCATI, in ipsis residui.

Occasionem opportunam Apostolus desumpsit ex postremis verbis *Capitu præcedentis*. Postquàm enim conquestus fuisset *vers.23.& 24* de sua sub peccato captivitate; & dehinc *vers.25.* iterum se consolatus fuisset meditatione suæ per Christum liberationis: nunc ab *hypothesi* ascendens ad *thesin*, quod de se pronunciavit, accommodat in genere ad omnes Fideles alios.

Occurrit autem heic

I. *Propositio, vers.1. Nulla igitur nunc est condemnatio iis, qui* sunt *in* CHRISTO IESU, qui *non secundùm Carnem ambulant, sed secundùm Spiritum.*

Summa est: Etiamsi Fideles renati adhuc circumferant varias peccati reliquias, cum quibus ipsis continuum in hoc seculo intercedit certamen, (de quo *Cap.præced.*) tamen hoc non posse officere ipsorum æternæ saluti. Consideranda auté heic veniunt duo, *Propositionis* hujus

A. *Subjectum*, quod continet Fidelium περιγραφὴν, descriptionem, à gemino ipsorum *adjuncto*, partim *privilegio*, partim *requisito* & γνωρίσματι interno & externo.

1. *Internum*, est ipsorum *Communio*, quam habent *cum Christo* per fidem. Dicit enim: τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Tales sunt tantùm *Fideles*, & quidem per *Fidem*. Nullum enim est aliud medium, per quod à parte nostra copulemur & uniamur Christo, quàm Fides. *Joh.6.56. Ephes.3.17.*

   Διόρισμα. Itaque soli credentes, qui per fidem Christo insiti sunt, certi sunt de sua salute, & extra periculum versantur condemnationis. *Rat.* Quia nulla salus extra Christum. *Joh.14.6. Act.4.12.* De infidelibus contrarium asseveratur, *Joh.3.18.36. Marc.16.16.*

2. *Externum*, est *studium Sanctimoniæ*, quod nequaquam debet à priore divelli. Nam ubi vera fides & communio Christi, ibi quoque est studium Sanctimoniæ. Ideò addit Apostolus: *qui non secundùm Carnem ambulant, sed secundùm Spiritum.*

   a. *Secundùm Carnem ambulare*, Paulo non significat, Carnis motus in se sentire, vel carnalia nonnunquam opera ex

infirmitate Humana patrare. nam id non rarò etiam Sanctis accidere, Paulus *Capite praced.* docuit suo exemplo, dicens, *se malum, quod oderit, perpetrare. Exempla* Sanctorum à Carne ad varia peccata abreptorum sunt notissima, Noë, *Genes.9.21.* Lothi, *Genes.19.33.&c.* Aaronis, *Exod.32.4.* Mosis, *Num.20.12.& 27.14. Deut.1.37.* Davidis, *2.Sam.11.4,15,17.* Hiskiæ, *Jes.39.2.&c.* aliorum.

Significat ergo, Carnem sequi tanquam ducem & Dictatorem, ejusque imperio ad plenum & spontaneum obsequium sese addicere: uti Miles sequitur suum Capitaneum, aut Servus se addicit suo Domino. Hoc faciunt Homines irregeniti, qui toti sunt Caro, *Genes.6.3.* & Carni serviunt peccando, dum peccato dant operam, imò nihil aliud agunt, quàm peccare, *injustitiam* ad-instar piscium *sorbentes ut aquam*, *Job.15.16.* & *malitiam* fontis instar, *egurgitantes ut aquam*, *Jer.6.7.* Hinc vocantur in Scriptura ἁμαρτωλοί, *Gal.2.15.* & hoc respectu Johannes *renatos* dicit *peccare non posse. 1.Joh.3.9.*

β. Secundùm Spiritum ambulare. significat, Spiritum ducem & Dictatorem sequi, ejus imperio sese subjicere & obtemperare, resistendo Carni ejusque dictamini & concupiscentiis, & opera Spiritus edere, de quibus *Gal.5.22.* Per *Spiritum* autē, tanquam oppositum *Carni*, intelligitur *Homo interior*, de quo *Cap.praced. vers.22.* item *Lex Mentis, Ibid.vers.23.* sive Homo, quà regenitus, aut illuminatus & conversus est per Spiritum S.

B. *Prædicatum: Nulla est in iis condemnatio.* Hæc fidelium contra reliquias peccati consolatio. *Observ.*

Non dicit: *nihil est in ipsis condemnabile*, ut vertit Lutherus. Nam in Fidelibus renatis residuum adhuc manet, quanquam cum virtute refracta, peccatum, ut patuit ex *Cap.praced.* Atqui peccatum in se semper est & manet condemnabile, quia conjunctum semper habet reatum τῆς ἀνομίας.

Sed dicit: οὐδὲν κατάκριμα, *nulla condemnatio*, id est, nulla peccati per se damnabilis ad reatum & mortē peccantibus fidelibus imputatio. Nam sicut *Justificatio* consistit in absolutione peccatoris à peccatorum reatu, culpâ & pœnâ: ita *condemnatio* è contrario, in imputatione tùm culpæ, tùm pœnæ peccatorum.

Ab hac *condemnatione* Apostolus dicit esse immunes, fideles, & re-

& regenitos. Quantumvis enim à peccati residua *labe* & maculis non sint prorsus immunes; immunes tamen sunt ab ejus *reatu & pœna:* quando peccata ipsis à Deo non ampliùs imputantur, adeóq; ipsi, respectu ab ipsis ablati reatus culpæ & pœnæ habentur coram Dei tribunali pro nō peccatoribus, id est, insontibus & innocentibus.

Rat. 1. *Sunt* enim *in Christo Jesu*, in quo & per quem reatus peccatorum ipsorū est ablatus & deletus, videlicet Sanguine ipsius, *1. Joh. 1. 7. Coloss. 2. 14.* in quo etiam perfectâ ipsius sanctitate & justitiâ ipsis imputatâ labes peccati residua ita est obtecta, ut in Dei conspectum ampliùs venire non possit. quo sensu *Psal. 32. 1.* peccatum dicitur *obtectum:* alibi, peccata *demersa in profundum maris, Mich. 7. 19. post tergum projecta, Jesa. 38. 17. dissipata ad-instar nubis & nebulæ, Jesa. 44. 22. dealbata, Jesa. 1. 18. oblivioni mandata, Jerem. 31. 34.*

Rat. 2. Quia *non ambulant ampliùs secundùm Carnem, sed secundùm Spiritum:* non patiuntur peccatum in se ampliùs regnare, sed Spiritu eidem reluctantur, & *actiones ejus mortificant*, uti postea dicetur *vers. 13.*

II. *Confirmatio*, quâ Apostolus duo mihi probare videtur.

1. Iis, qui sunt in Christo Jesu, nullam esse condemnationem.
2. Neq; iis, qui secundùm Spiritum, non secundùm Carnem ambulant, aliquam esse condemnationem.

Probatio prioris λέμματος.

Argumentum Apostoli huc redit,

Quicunq; sunt in Christo & per Christum à peccato liberati, illis peccatum non ampliùs imputatur, sive illis nulla incumbit propter peccatum condemnatio.

At ii, qui sunt in Christo Jesu, sunt in Christo & per ipsum à peccato liberati.

Ergo illis nulla ampliùs incumbit condemnatio.

Assumptionem Apostolus.

A. *Proponit*, ὑποδειγματικῶς, in sua propria persona, evidentiæ causâ, *v. 2. Nam Lex Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à Lege peccati & mortis.* Verba sunt indaginis magnæ, & diligentiùs enucleanda, propter variationem Interpretum. Considerandum ergo

1. *A quo se dicat liberatum.* Vocat *Legem peccati & mortis.* Non in-

telligo *Legem Dei.* Nam quamvìs hæc quoque dicta est peccatum augere & occidere, suprà *Cap.7.v.10,11,13.* unde alibi vocatur *διακονία τ͂ θανάτου, 2.Cor.3.7.* ac notum sit, nos per Christum à Lege, id est, jugo ejus & maledictione esse liberatos: tamen si horum verborum cum superioribus *συζυγία* & cohærentia attendatur; apparebit, heic non agi de *Lege Dei*, sed de *Peccato*, quod *Capite praced.* vocavit *Legem membrorum, Legem peccati, corpus mortis.* Nam contra Peccati reliquias vult Apostolus heic consolari fideles, ne desperent, quòd adhuc in se residuum habeant peccatum.

Vocat id 1. *Legem*, propter vim, quam habet, suâ natura, tùm dominandi & imperandi Homini; eumque tanquam peccatorem reum constituendi coram Deo. 2. *Legem mortis*, quia occidit, *Cap.6.11.*

2. *Per quid se dicat liberatum.* Per *Legem Spiritus vita in Christo Jesu.* Heic *quaritur*, quid per *Legem* istam intelligatur?

Pareus & Hunnius intelligunt *doctrinã Evangelii*, oppositam Legi. Rollocus intelligit *resurrectionem & vitã Christi.* Piscator *Spiritum Sanctificationis*, qui à Christo, ceu Capite, in nos diffunditur, ceu membra, & peccatum in nobis mortificat. Et sic Calvinus intelligit *virtutem Spiritus vivificam*, à Christo in nos diffusam. Beza intelligit *Sanctificationem Natura Humana Christi*, sive sanctitatem inhærentem Christi nobis per fidem imputatam, eo fine, ut tegatur labes nostra originalis. Melanchton intelligit *gubernationem, qua fit per Spiritum S. vivificantem*: hanc autem gubernationem dicit esse *fidem.*

Ego, pace horum, & aliorum doctissimorum Interpretum,

α. Puto, per *Legem* istam tanquam *Legi peccati & mortis* oppositam, intelligendum esse id-ipsum, quo absolvimur à culpa & pœna peccati, sive quo liberamur à vi peccati, quam habet ad nos condemnandos & occidendos. Nam cõtra hanc vim vult Apostolus hoc loco fideles consolari, ne existimarent, reliquias peccati ipsorum saluti ampliùs posse obstare.

β. Puto, hoc-ipsum non esse aliquid inhærens in nobis; secus inhærente justitiâ justificaremur: sed esse id, quod Christo inhæret, à quo, per quem, & in quo solo liberamur & absolvimur à peccati culpa & pœna.

γ. Puto ergo, esse *Justitiam Christi*, quo nomine intelligo omne

id,

id, quod Christus nostro loco fecit & passus est, ad *obsignandum peccatum & adducendam justitiam sempiternam*, *Dan. 9. 24.* adeóq; totam Christi obedientiam, quâ satisfecit Legi Dei pro nobis. Nam solâ Christi obedientiâ liberamur à Lege peccati & mortis. Vocatur autem ab Apostolo

a. *Lex*, propter virtutem, quam habet ad nos justificandos: sicut *Peccatum Lex* vocatur, propter vim condemnandi nos.

b. *Lex Spiritus*, sive spiritualis, id est, sancta, justa, perfecta, opposité & cõtradistincté ad *Legem peccati.* Ita suprà quoque *Cap. 7. v. 14. Legem Dei* vocavit *spiritualem*, id est, sanctam, oppositam Homini carnali.

c. *Lex Vitæ*, opposité ad *Legem Mortis*: quia hæc Christi obedientia est causa & fundamentum Salutis ac Vitæ æternæ.

d. *Lex Vitæ in Christo Jesu*: nõ solùm, quia Vita hæc in Christo est; sed etiam, quia obedientia hæc Christi est, & in ipso.

3. *Quomodo Paulus se dicat liberatum*: & quomodo nos quoq; secundùm ipsius exemplum liberemur. Cùm in *Peccato* tria consideranda veniant, 1. *Reatus*, 2. *Pœna*, 3. *Labes* & *Corruptio*; quorum duo priora mala pertinent ad condemnationem, ultimum excludit ab hæreditate Gloriæ cœlestis: sciendum,

α. A' *duobus* prioribus malis nos liberari per Christi Passionem & Mortem, quâ deleta & abolita est omnis peccati culpa & pœna. *Rom. 4. v. ult. Coloss. 2. 14. 1. Pet. 2. 24. 1. Joh. 1. 7.*

β. *Tertium* quod attinet, videlicet pravitatem, labem, corruptionem, quæ tùm in *habituali*, tùm *actualibus* peccatis deprehenditur, ab ea quoque liberandi venimus. Et quidem, quò minùs ea nobis ad condemnationem imputetur, præstat hoc iterum Passio & Mors Christi: sed ut planè non veniat in Dei conspectum, néve nos impediat in aditu Regni ac Vitæ cœlestis; & nos potiùs coram Dei facie habeamur tanquam pollentes perfectâ sanctitate & justitiâ, quæ ab hæredibus Regni Cœlorum, juxta Legem Dei, *Levit. 18. 5. Ezech. 20. 11.* requiritur: necesse est, nobis insuper perfectam sanctitaté naturæ Christi, & obedientiam totius ipsius Vitæ imputari: quarum illâ tegitur

gitur labes peccati *habitualis*, in quo nascimur; hâc tegitur labes peccatorum *actualium*. ut hinc iterum appareat discrimen *Remissionis peccatorum* & *Imputationis justitiæ* in novo actu integrali Justificationis nostræ, de quo discrimine suprà ad *Caput V.* pluribus actum est.

B. *Explicat* pleniùs & dilucidiùs, *vers. 3. Nam quæ Legis erat impotentia, quum viribus esset destituta in Carne, Deus suo ipsius Filio, misso in forma consimili carnis peccato obnoxiæ, condemnavit peccatum in carne.* Et *vers. 4. ut jus illud Legis compleatur in nobis, qui non secundùm Carnem ambulamus, sed secundùm Spiritum.* Vbi duo ostendit Apostolus: 1. *Cur* in Christo ejusque gratiâ remedium nobis fuerit a Deo contra peccatum exhibitum. 2. *Quomodo* id factum fuerit.

α. *Causam* indicat Apostolus *vers. 3. Τὸ γὰρ ἀδύνατον, &c.* videlicet impotentiam Legis ad nos justificandos. Q. D. Quia Lex Dei invalida fuit ad nos à peccati reatu & pœna liberandos, &c. Vbi duo notentur:

1. Quòd *Legem* dicat *impotentem* fuisse: nempe quia peccatum potiùs auxit & roboravit, quam infirmavit & abolevit, uti suprà *Cap. 7.* ostenderat suo exemplo.
2. Quòd causam impotentiæ dicat non esse in *Lege*, sed in *Carne*, videlicet nostrâ. insinuat autem nostram vitiositatem & corruptionem, uti suprà *Cap. 7. 14.*

β. *Remedium* ipsum monstrat, & præclarè illud describit,

1. Ex *causa efficiente*, DEO, *v. 3.* ut appareat, Salutem nostrã originem suam habere nõ à nobis, sed à Deo solo ejusq; gratia.
2. Ex *Subjecto*, quod est *Filius Dei, vers. 3.* in quo remedium hoc nobis est exhibitum.
3. Ex *forma* & *modo* quo remediũ hoc nobis exhibitum, scil.

α. Per *Incarnationem Filii Dei*, seu assumptionem Humanæ nostræ Naturæ, *vers. 3. misso Filio suo ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, &c.* Vbi ostenditur, non solùm *quam*, sed & *qualem* Naturam, & *quare*, Filius Dei assumpserit.

Quam? Naturam Humanam, & quidem veram, nobiscum communem. Ideò *Carnis* facit mentionem. Contra Marcionitas.

Qualem? Consimilem Naturæ nostræ peccatrici: respectu infirmitatum complurium, sed ἀδιαβλήτων, inculpabilium.

Qua-

Quare? περὶ τ̃ ἁμαρτίας, pro peccato, v.3. id est, propter peccatum sibi impositum. *Jesa.53.4,5,6. 2.Cor.5.21.* διότι. ad illud expiandum & abolendum in Carne nostrâ à se assumptâ, quod jam sequitur.

b. Per *Condemnationem peccati in Carne* & Naturâ assumptâ. *vers.3.* *Condemnavit peccatum in Carne.*

Condemnavit, id est, occidit, abolevit pecumcat. *Melanchton*: peccato vim ademit omnem, aculeum, jus, imperium, quod habebat ad nos condemnandos, & à Regno Cœlorum arcendos.

Quomodo hoc factum? Non solùm Morte & Passione Christi, sed toto obedientiæ ipsius cursu. *Rat.* Quia, quod Legi erat ἀδύνατον in nobis, debuit Christus in se suscipere. Legi autem fuit ἀδύνατον, nos salvare per obedientiam, idque propter τὸ ἀσθενὲς & imbecillitatem nostram. Ergo hanc obedientiam Christus loco nostro præstare debuit.

4. Ex *Fine, vers.4.a.* ἵνα τὸ δικαίωμα τ̃ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν.

Quæritur 1. Quod'nam sit hoc *δικαίωμα?*

Resp. Jus exactionis tùm *pœnæ*, propter inobedientiam, ad nos liberandos à comminatione Legis & condemnatione: tùm *obedientiæ* perfectæ, ad *ἱκανότητα* Vitæ æternæ & Gloriæ cœlestis, adeóque ad promissionem Legis, FAC HOC ET VIVES, implendam & adipiscendam.

Quæritur 2. Cur dicat, *ἐν ἡμῖν, in nobis?*

Resp. Caveantur heic errores Pontificii, quasi à justitia inhærente in nobis justificaremur; hæcque justitia esset ex parte *ἀφ' ἡμῶν, à nobis*, scilicet ex viribus Liberi Arbitrii. *Jus* enim *Legis* vult Paulus *in nobis impleri* non extra Christum, sed in Christo, per nostram cum ipso unionem; & dehinc imputationem perfectæ ipsius satisfactionis & obedientiæ, quam Legi loco nostro præstitit.

Addit Apostolus *v.4.b.* τοῖς μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα: partim, ut redeat ad idem, quod priùs dixerat, *v.1.* in descriptione fidelium: partim, ut ostendat, eos, qui in Christo sunt liberati à peccato & à Lege; non tamen propterea indulgenter & licentiosè operam dare peccatis. Denique, ut viam sibi sternat ad probationem posterioris λήμματος, de qua nunc.

Probatio posterioris λέμματος.

Hactenus in verbis præcedd. Apostolus demonstravit, Consolationem propositam *v.1.* de Fidelium & regenitorum indubia salute, ratam esse in iis, *qui sunt in Christo Jesu:* quia videlicet per Christum ejusque meritum & satisfactionem sint à Lege, sive imperio mortis liberati, ut peccatum jam ampliùs ipsis nocere non possit.

Nunc ergo pergit Apostolus ad demonstrationem *alterius Lemmatis*, quod hoc est: *Nulla est condemnatio iis qui non secundùm Carnem ambulant, sed secundùm Spiritum.* Hujus membri occurrit

A. *Propositio, v 4.* ubi dicitur, *Jus Legis compleri in nobis, non secundùm Carnem ambulantibus, sed secundùm Spiritum.* Quomodo *jus Legis* compleatur in fidelibus, proximè expositum fuit, scilicet in Christo, qui pro ipsis Legi satisfecit, *v.3.* quæ satisfactio credentibus per fidem imputatur.

Nunc notandum, hoc ipsum, quod antea de *insitis Christo* dixerat, accommodari ad Regenitos eatenus, quatenus *non secundùm Carnem, sed secundùm Spiritum ambulant.* qui videlicet non sequuntur ductum, imperium, magisterium *Carnis*, uti solent irregeniti; sed *Spiritum*, seq; adeò student sanctificare è Mundo.

Διότι. Scopus Apostoli, ut doceat, Justificationem Hominis cum Sanctificatione individuo nexu esse conjunctam, adeóque neminem posse gloriari de gratia Dei & remissione peccatorum, & spe salutiferâ frui posse, nisi qui Carni valedixerit, & vixerit secundùm Spiritum.

B. *Confirmatio* habetur vers.5. *Nam qui secundùm Carnem sunt, quæ Carnis sunt, sapiunt: qui verò sunt secundùm Spiritū, quæ Spiritus sunt.* vers.6. *Nam quod sapit Caro, mors est: quod autem sapit Spiritus, vita & pax.* vers.7. *Quoniam quod sapit Caro, inimicitia est adversùs Deum. Legi enim Dei non subjicitur: nam ne potest quidem.* vers.8. *Ergo qui in Carne sunt, Deo placere non possunt.* Desumitur ea in his verbis à discrimine & contrarietate effectorum *Carnis* & *Spiritus.*

1. *Carnem* quod attinet, indicat, fructus & effecta ejus esse *turpia* & *perniciosa*; ut, qui secundùm eam ambulant, Deo placere nō possint. Atque hoc ipsum Apostolus

α. *Proponit.* Nam *Carnis* fructus esse

Turpes indicat *v.5.a. Qui secundùm Carnem sunt, quæ Carnis sunt, sapiunt*, seu carnalia. Hæc autem sunt omnis generis

neris peccata & turpitudines. 1. *Interna* concupiscentiæ carnales, motus, affectus, &c. 2. *Externa* & aperta scelera, in quibus Homo carnalis sese volutare solet, de quibus alibi, *Gal.5.19.20.21.*

Perniciosos, pestiferos, lethales, indicat *v.6.a. Nam quod sapit Caro, mors est.* Sementis Carnis messis est Mors Hominum carnalium, non solùm temporalis, sed & æterna.

β. *Probat* ex oppositione *Carnis* & *Dei, vers.7.a. Quoniam quod sapit Caro, inimicitia est adversùs Deum.* Argumentum est:

Quicquid est inimicitia adversus Deum, id apud Deum non potest esse nisi turpe & mortiferum. Quis dubitet, cogitans de Dei sanctitate & immutabili justitia, de qua etiam suprà, *Cap.1.32?*

Atqui *τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς* est inimicitia adversùs Deum.

Probatur. Quod Legi Dei non subjicitur, ac ne subjici quidem potest; sed tantùm aptum natum est Legi adversari & contravenire: id utiq; est inimicitia adversùs Deum.

Atqui tale est *τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς.*

Ergo est inimicitia adversùs Deum.

Ergo consequenter non potest non apud Deum esse, uti turpe & abominabile, ita mortiferum, *v.8.* Hinc jam consequentis consequens, quod probandum erat:

Ergo, qui Carni aut secundùm Carnem vivunt, non possunt esse extra condemnationem.

2. *Spiritum* quod attinet, contrariam ejus esse rationem ostendit Apostolus ex effectis contrariis, tùm

α. *Honestis, v.5.b. qui verò sunt secundùm Spiritum,* sapiunt, *quæ Spiritus sunt:* id est, cogitant, desiderant, volunt, agunt, quæ Spiritus ipsis dictat. Spiritûs autem sunt omnia ea, quæ Carni sunt contraria, sanctæ cogitationes, desideria, vota, motus: & varia bona opera & virtutes Christianæ, de quibus alibi, *Gal.5.22.*

β. *Salutaribus, v.6.b. Quod autem sapit Spiritus, vita est & pax,* id est, vitam & pacem affert & secum trahit. Hoc non accipiendum de corporalibus beneficiis, vitâ videlicet temporali, & pace terrenâ. Nam quantumvìs Homo spiritualis habeat quoque promissionem hujus vitæ præsen-

tis, *1.Tim.4.8.Psal.112.v.1.&c.Jes.3.10.& 48.18.* tamen testem habemus experientiam, pios, secundùm Spiritum ambulantes, Carnem & Mundum sibi crucifigentes; majori ex parte nihil aliud experiri, quàm Mundi odium, persequutiones, & non rarò mortem atrocem. quod Apostolus deinceps *v.36.hujus Capitis*, ex *Psal.44.23.* demonstrat, & alibi, *2.Tim.3.12.1.Cor.15.19.* & *1.Cor.4.9.& seqq.* suo & *συμπέρων* Apostolorum exemplo.

Ergo de *Vita* & *Pace spirituali* loquitur Apostolus: quæ duo individuo nexu conjuncta sunt. Nam ubi Vita spiritualis, ibi pax: Vita enim spiritualis cōsistit in nostra communione cum Deo in Christo, qui Vita nostra est. *Joh.14.6. & 11.25.* Hæc non potest esse absq; pace, quando nimirum sentimus Deum nobis per Christum reconciliatum, pacatum, gratiosum: hinc conscientiâ fruimur tranquillâ, & cordibus lætis, acquiescentibus in Dei gratia & favore. Vicissim ubi *Pax* hæc est, ibi quoque *Vita* est enim Vitæ nostræ spiritualis effectum: quia resultat ex nostra cum Deo per Christum unione, *Rom.5.1,2.*

C. *Applicatio* ad fideles Romanos, *v.9--11.* A *thesi* enim hactenus proposita & confirmata, de *Consolatione Regenitorum*, non secundùm Carnem, sed secundùm Spiritum viventium; descendit nunc ad *hypothesin.* & sic vult ratiocinari Apostolus:

Quicunq; non secundùm Carnem, sed secundùm Spiritum incedunt, ii, licèt peccato adhuc sint obnoxii, tamen sunt immunes à condemnatione.

Atqui vos fideles Romani non secundùm Carnem, sed secundùm Spiritum inceditis.

Ergo licèt adhuc obnoxii sitis peccato, id est, reliquias peccati habeatis & circumferatis; immunes tamē estis a condemnatione.

Major propositio, quæ *Thesis* est, hactenus *vers.4.b--8.* fuit pertractata & probata ex effectis contrariis Carnis & Spiritus, de quibus jam actum est.

Minor ergo *propositio* nunc venit in considerationem, in quâ Paulus, ut dixi, instituit *applicationem theseως* ad Romanos,

Vers.9. *Vos autem nō estis in Carne, sed in Spiritu: siquidem Spiritus Dei habitat in vobis. quòd si quis Spiritum Christi non habet, is non est ejus.*

Vers.

Verſ.10. *Porrò ſi Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum: ſpiritus autem vita* eſt *propter juſtitiam.*

Verſ.11. *Sed ſi Spiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum ex mortuis, habitat in vobis; is, qui excitavit Chriſtum ex mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora veſtra, per inhabitantem ipſius Spiritum in vobis.*

In quibus verbis Apoſtolus

x. *Aſſumit*, dicens: *v.9.a.* Atqui *vos non eſtis in Carne, ſed in Spiritu*, id eſt, vos non inceditis ſecundùm Carnem, ſed ſecundùm Spiritum: non eſtis irregeniti, ſed regeniti.

Probat id ipſum poſtea ex gemina Communione, quam habeant

1. Cum *Spiritu Sancto*, per hujus in ipſis habitationem, *v.9.b. ſiquidem Spiritus Dei habitat in vobis.* Hoc dicit phraſi non categoricâ, ſed hypotheticâ, *ſiquidem &c.* ad excutiendam ipſis ſecuritatem, & ut eos ad examen & explorationem excitet habitantis in ipſis Spiritus S. nec tamen dubitativè, quia confeſtim ex ipſorum communione cum Chriſto arguit quoq; participationem Spiritus S.

2. Cum *Chriſto*, quæ fit per Spiritus S. habitationem in nobis. Eſt enim Spiritus S. vinculum noſtræ communionis cum Chriſto, *1. Joh.3.v.24. & 4.v.13.* Ideò addit *v.9.c. quòd ſi quis Spiritum Chriſti non habet, is non eſt ejus.* Pauli mens huc redit:

Quicunq; ſunt Chriſti, illi habent in ſe habitantem Spiritum ſanctum.

Rat. ex contrar. Quia quicunque Spiritum Chriſti non habent, illi ipſius nō ſunt, & quidem propter carentiam Spiritus, tanquam vinculi unionis noſtræ cum Chriſto.

Atqui vos Romani eſtis Chriſti: quia nimirum fide Chriſtum eſtis amplexi & profeſſi, quæ celebratur in toto Mundo. Suprà *Cap.1.*

Ergo Spiritum S. habetis in vobis habitantem.

3. *Concludit*, iis peccatum nocere non posse ad cōdemnationem, *v.10,11.* Id facit

1. Per *πρόληψιν, occupationem. v.10. Quòd si Christus in vobis est, Corpus quidem mortuum est, &c.*

Objicere quis potuisset: Atqui moriendum nobis, & quidem horribili nonnunquam & cruentâ morte. Quid ergo nobis privilegii & prærogativæ, quòd simus Christi, quòd Spiritus Dei habitet in nobis, & quòd non secundùm Carnem, sed Spiritum ambulemus? Hæ quoq; alibi impiorum voces, *Job.21.14,15. Jes.22.13. Sap.2.v.1.& seqq.*

2. Per *ὑποφορὰν. Respondet* Apostolus ad tacitam illam Objectionem,

α. Per *Concessionem, συγχώρησιν, v.10. Corpus quidem mortuum est, propter peccatum.* Q. D. Verum est, moriendum tandem vobis. *Observ.* Apostolum insinuare tria: 1. Moriendum esse omnibus fidelibus: 2. secundùm Corpus: 3. propter peccatum, ut causa indigitetur communis mortalitatis.

β. Per *Correctionem, ἐπανόρθωσιν*, quâ indicat, hoc nihil officere fidelium & renatorum saluti, sive spectes

a. *Animam, v.10. Spiritus autem vita est. Rat.* propter justitiam, oppositam peccato, quæ est justitia Christi.

b. *Corpus*, quia hujus sit exspectanda *ἀνάστασις, v.11.* Atque hanc probat Apostolus non solùm ab *exemplo*, sed & *communione* Christi & Spiritus ejus, hunc in modum.

Quicunque sunt participes ejusdem cum Christo Spiritus, illi quoq; ejusdem cum ipso Resurrectionis erunt participes.

Atqui vos fideles Romani ejusdem cum Christo participes estis Spiritus.

Ergo ejusdem quoque cum Christo participes eritis Resurrectionis.

Majorem Apostolus evincit hoc argumento.

Quia *Spiritus Dei, qui est in Christo,*

eum

eum suscitavit ex mortuis; ut de ejus virtute & potentia dubitari non possit.

Minorem indicat, dicens: *hunc Spiritum inhabitare in Romanis.*

Conclusio est: eundem hunc Spiritum resuscitaturum mortalia ipsorum corpora.

Atque hæc quidem nunc mihi simplex & obvia videtur verborum Pauli analysis & interpretatio. De cæteris aliquid monebo in *Quæstionibus.*

OBSERVENTUR heic *ὡς ἐν παρόδῳ* sequentia.

I. *Mysterium S.S.Trinitatis.* Mentio enim fit omnium trium Personarum: 1. *Dei Patris*, Christum suscitantis ex mortuis, & habitantis in fidelibus. *v.9,11.* 2. *Dei Filii*, Christi, primùm mortui, dehinc resuscitati. *v.11.* 3. *Dei Spiritus sancti*, qui dicitur esse *Spiritus* tùm *Patris*, tùm *Filii*, *v.9.* nempe quia ab utroque procedit, & hinc non solùm à Patre, sed & à Filio mitti dicitur. *Joh.14.16,26.& 15.26.& 16.7.* Notanda hæc contra Antitrinitarios veteres atque modernos.

II. *Mysterium nostræ cum Christo spiritualis cõmunionis*, quod nominatim alibi Paulus attingit, *Eph.5.32.* Hic loci indicat Apostolus, 1. Beneficii hujus participes esse solos fideles, tanquam spirituales. 2. Non nisi per Spiritum sanctum, tanquam vinculum, quo Christo conglutinamur, *v.9. Si quis Spiritum Christi non habet, non est ejus.* Facessant ergo Theologi carnales cum figmento corporalis Christi manducationis & inhabitationis in nobis; quam extendere solent etiam ad Homines infideles, carnales, & Spiritu Dei carentes.

III. *Beneficia ex Communione nostra cum Christo emergentia*, videl.

1. *Justificatio. v.10. Spiritus vita est propter justitiam*, videl. Christi, qui solus est Justitia nostra. *1.Cor.1.30. 2.Cor.5.21.*

2. *Sanctificatio.* Indicat enim Apostolus, Romanos per Spiritum Dei & Christi in se habitantem hoc consequutos esse, ut non ambulent secundùm Carnem, sed secundùm Spiritum. *v.11.a. Vos non estis in Carne, sed in Spiritu, quia Spiritus Dei habitat in vobis.*

3. *Glorificatio*, cujus occurrit in verbis Apostoli

α. *Initium, v.10. Spiritus vita est*, sicut suprà *v.6.* in genere dixerat: Τὸ φρόνημα τοῦ Πνεύματος ζωή. In hoc quidem seculo jam incipit in Homine regenito hæc Vita, consistens

ſiſtens in Hominis cum Deo reconciliatione, unione, pace, &c. uti ſuprà monitum. Aſt finito præſentis Vitæ curriculo Spiritus, id eſt, Anima, poſt mortem remeabit ad Deum & transferetur in Vitam ſempiternam. *Eccleſ. 12.7.*

β. *Complementum.* Id futurum in ultimo illo cenſorio die, & fine Mundi, quo Corpori quoque reſtituetur vita. Quod indigitatur *verſ. 11. Reſurrectionem* noſtram Apoſtolus heic deſcribit, oſtendens *διὰ βραχέων* ejus

a. *Certitudinem*, argumento ducto
   Ab *exemplo* Chriſti.
   Ab *inhabitatione Spiritus Chriſti* in nobis.

b. *Authorem*, Cauſam efficientem, totam S.S. Trinitatem.

c. *Subjectum.* Fideles, qui ſunt in Chriſto, & Spiritus ejus participes ſunt. An infideles non ſint reſurrecturi, dicam in *Quæſtionibus.* Sed & indicat, fideles iisdem Corporibus, quibus defuncti fuerunt, reſuſcitandos. Vocat enim *mortalia ipſorum Corpora*, ſicut alibi, *Philipp. 3.21.*

d. *Modum.* Mentionem facit 1. *Vivificationis*, ut notetur regreſſus Animarum ad Corpora. 2. *Exempli Chriſti*, ut indigitetur novus ſtatus glorioſus Corporum reſuſcitandorum, ad exemplum Chriſti. *Philipp. 3.21.*

e. *Finem*, Conſolationem contra Mortis terrorem, ne exiſtimemus, Mortem à peccato deſcendentem, & fidelibus quoq; regenitis incumbentem, propter reliquias peccati in ipſis adhuc hærentes, eſſe pertimeſcendam.

D. *Concluſio* Νουθετική, *Vſus* loco, ut ſuprà dixi, appenditur Doctrinæ & Tractationi ſuperiori, *verſ. 12---17.*

Verſ. 12. *Nempe igitur, Fratres, debitores ſumus non Carni, ut ſecundùm Carnem vivamus.*

Verſ. 13. *Nam ſi ſecundùm Carnem vixeritis, futurũ eſt, ut moriamini: ſed ſi Spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis.*

Verſ. 14. *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, ii ſunt Filii Dei.*

Verſ. 15. *Non enim accepiſtis Spiritum ſervitutis rurſus ad metum; ſed accepiſtis Spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba, Pater.*

Verſ. 16. *Et ille Spiritus teſtatur unà cum Spiritu noſtro, nos eſſe filios Dei.*

Verſ.

Vers.17 *Quòd si filii, etiam hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. si modò cum eo patiamur, ut cum eo etiã glorificemur.*

Præclara est *Consolatio* hactenus in verbis præcedentibus ab Apostolo pertractata, & Romanis quoque applicata: *Quòd fideles sint liberati à peccati culpa & pœna.* Quia verò Homines impii atque profani solent eâ abuti ad licentiam omnium scelerum, & securitatem carnalem: ideò Apostolus jam antè præmonuerat, Consolationem hanc pertinere ad illos duntaxat, *qui secundùm Spiritum, non secundùm Carnem vivunt.* Itaque nunc in verbis his subnectit salutarem Νουθεσίαν, *Exhortationem*, quâ Romanos, aliosque fideles stimulat ad studium Sanctimoniæ, gravissimis in medium propositis argumentis. Considerand. occurrit

ℵ. *Propositio, vers.12.* quâ Apostolus indicat,

1. Ἀρνητικῶς, quid *non faciendum: ne vivamus secundùm Carnem.* Quid sibi vox [*Carnis*] velit, & quid sit, [*Vivere secundùm Carnem,*] jam suprà ad *versum 1.* dictum est.

2. Θετικῶς, quid è contrario *faciendum*. Per ellipsin hoc subticuit, sed in mentione contrarii subintelligendum duxit: videlicet *ut vivamus secundùm Spiritum.* cujus locutionis sensus jam etiam superiùs est expositus.

ℶ. *Confirmatio*, cujus loci sunt tres.

α. Ab *Aequo* & *Honesto.*

Vers.12. *Debitores sumus non Carni, sed Spiritui.*

Debitum hoc exigit

Creatio nostra. Sumus enim ad Imaginem Dei creati in sanctitate, & per consequens ad Dei honorem & gloriam.

Redemptio nostra per Christum. Redemit enim nos à peccati non solùm reatu, sed & servitute, ut deinceps valedicamus peccato, & vivamus justitiæ. *Tit.2.11,12.*

Justificatio & *Regeneratio* nostra: cujus tesserâ habemus S. Baptismum, in quo sumus abluti à peccatis, Caro seu vetus noster Homo crucifixus & Christo cõsepultus est, ut deinceps vivamus Deo. Suprà *Cap.6.v.4.* & *1.Cor.6.v.11.*

Spes futuræ nostræ *glorificationis* & hæreditatis cœlestis, à qua Caro excluditur.

Observ. heic obiter, Omnem nostram sanctimoniam, adeóque

bona opera vocari ὀφειλήματα, *debita*. uti alibi *Luc.17.v.10. Debitores sumus Spiritui.* Facessant ergo merita Papana.

β. A' *Necessario.*

Videlicet, ad declinandam Mortem sempiternam. *vers.13. Si secundùm Carnem vixeritis, moriemini. Comminatio* horrenda! Neque enim intelligenda est tantùm de Morte temporali, cui etiam spirituales & regeniti obnoxii sunt, sed de Morte æterna: id quod ex opposito patet, quia spiritualibus Vita promittitur spiritualis & æterna. Ita suprà *vers.6,7.* ubi quoque habetur αἰτιολογία, quia sapientia Carnis sit inimicitia adversùs Deum.

γ. Ab *Vtili.*

Vers.13.b. Sed si Spiritu actiones corporis vivificetis, vivetis.

Promissio præclara! Indicat Apostolus in ea Hominis spiritualis

1. *Factum*, & simul *Officium*, quod est, *actiones Corporis mortificare.* α. *Corpus* intelligo *peccati*, hincq; *mortis*, de quo suprà *Cap.7.v.24.* sc. Corruptionem residuam in regenitis: sic dictũ, tùm oppositè ad *Spiritũ*, in spiritualibus prorsus occupatum: tùm *appositè*, ad *Corporis Humani membra*, per quæ vim suam peccatricem prodit & exercet, uti superiùs monitum. β. *Actiones Corporis* intelligo, peccata quævis actualia, ex fonte illo impuro promanantia. γ. *Mortificationis actionum Corporis* facit mentionem Apostolus. Vbi observo duo, diligenter attendenda.
   a. Quòd non *Corporis* ipsius, sed *Actionum Corporis* meminerit. Equidem alibi quoque mentio fit Mortificationis & Crucifixionis veteris Hominis, uti suprà *Cap.6.v.6.* in Doctrina de Sanctificatione: sed quia heic, contra reliquias Peccati in Regenitis, uti consolatione, ita quoq; exhortatione voluit instruere fideles Apostolus; quum *Actionum Corporis* meminit, voluit insinuare, Corpus residuum peccati non posse prorsus in hac Vita aboleri & desinere, ne sit in ipsis. interim operam dandam, ut actiones ipsius mortificentur, id est, ita labes illa residua coërceatur, reprimatur, ut ad-instar alicujus pestiferæ arboris, fructibus, frondibus, ramis, trunco spolietur &

destrua-

destruatur usque ad radicem; præcaveantur interim & præcidantur, quantum infirmitas hujus seculi permittit, omnes ex radice ejus reliquæ malignæ fibræ: donec tandem funditùs in morte eradicetur.

b. Quòd dicat, *si mortificetis.* Sic indigitat continuum cursum & studium mortificationis: quod fidelibus incumbit, quamdiù vivunt. Ex quo arguitur, Mortificationem Carnis semper esse imperfectam, & consummandam demùm in Morte.

a. *Fructum* & remunerationem, videlicet *Vitam.* Ideò addit, *vivetis.* *Vitam* intelligens non temporalem, sed æternam, uti suprà quoque ad *vers.6.* monitum. Heic autem Apostolus describit *Vitæ* hujus atque Salutis tùm

α. *Certitudinem* ex ejus causa, τῇ υἱοθεσίᾳ & *adoptione*, sic ratiocinans:

Quicunq; sunt Filii Dei, illi sunt vitæ & hæreditatis æternæ participes. Filiorum enim est hæreditas.

Atqui, si secundùm Spiritum vixeritis, estis Filii Dei: sive: Atqui Homo spiritualis est Filius Dei.

Ergo si vixeritis secundùm Spiritum Dei, vivetis, aut vitæ & hæreditatis æternæ participes eritis.

Assumptionem Apostolus probat tali *Prosyllogismo:*

Quicunque aguntur Spiritu Dei, ii sunt Filii Dei.

At qui Spiritu actiones corporis mortificāt, illi aguntur Spiritu Dei.

Ergo illi sunt Filii Dei, & per consequens hæredes Vitæ æternæ.

Major est *v.14. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei.*

Minor est *v.15.& 16.* ubi Romanis ostendit, eos ceu fideles & spirituales Spiritu Dei agi, tùm

a. Ex *opposito*, quia *non acceperint Spiritū servitutis rursus ad metum, v.15.a.* qualis Spiritus cadit in Homines irregenitos, sub Legis jugo versantes. Quis & qualis iste sit Spiritus, dicetur in *Quæstionibus.*

b. Ex *effecto* gemino, tùm

Externo, invocatione Dei, ceu Patris, *vers.15.b. sed accepistis Spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba, Pater.*

Interno, fiduciâ, sive testificatione Spiritus sancti, unà cum Spiritu nostro, de nostra adoptione. *v.16. Et ille ipse Spiritus testatur unà cum Spiritu nostro, nos esse Filios Dei.* Vbi observetur geminum testimonium, quo fidelibus ipsorum υἱοθεσία subarrhatur; Spiritûs ipsorum, & Spiritûs Dei, de quo plura in *Quæstionibus.*

Conclusio tandem & *Prosyllogismi* & *Syllogismi* connectuntur, *vers.17. Quòd si Filii, etiam hæredes.* Q. D. Ergo estis Filii Dei, & per consequens hæredes Vitæ æternæ.

β. *Modum* indicat voce *κληρονομίας, hæreditatis Dei*, & *συγκληρονομίας Christi. Ibid. Si Filii, etiam hæredes: hæredes quidē Dei, cohæredes autem Christi, si modò cum eo patiamur.* Vitam & felicitatem æternam Apostolus describit per similitudinem desumptam ab Hæreditate aliqua terrena, quæ manet Filios alicujus Patrisfamiliâs. Insinuat autem Apostolus seqq.

a. *Authorem* Vitæ æternæ, videlicet *Deum Patrem*, qui hæreditatem hanc nobis destinavit & præparavit. *Matth.25.34.*

b. *Causam impulsivam*, solam *Dei gratiam.* quia hæreditas hæc est effectus, fructus adoptionis gratuitæ. Hinc ait: *si Filii, etiam hæredes.*

c. *Causam meritoriam, Christum*, cujus sumus *cohæredes*, quia ille nobis hæreditatem istam suo merito procuravit, sicut etiam τὴν υἱοθεσίαν. *Joh.1.12.*

d. *Objectum. Hæredes* vocat DEI, non tantùm quòd Deus sit hæreditatis hujus author & donator: sed quia Deus ipse est hæreditas nostra, plena videlicet ejus cognitio, communio & fruitio, cum omnibus ipsius, tanquam Patris nostri cœlestis, bonis.

e. *Adjunctum* & *socium* hæreditatis, *Christum* iterum: *cohæredes autem Christi.* quo nomine Apostolus tria mihi indigitare videtur. 1. Quòd Christus, ceu Filius Dei, hæreditatem hanc nobis procuraverit, uti modò dixi. 2. Quòd ipse in assumpta Carne & natura nostra Humana hæreditatem hanc adierit. 3. Quòd nos non solùm cum ipso, sed & in ipso, tanquam membra in Capite, hæreditatis hujus participes simus.

f. *Medium* & *viam* adeundæ istius hæreditatis, videlicet *Crucem.* exemplo Christi, qui per Crucem & Passionem ingressus;

gressus est in Gloriam cœlestem. *Luc.24.26.* Ideò addit: εἴπερ συμπάσχομεν, *si modò cum eo patiamur.* Et hac ratione aditum sibi facit Apostolus ad alterum Consolationis Christianæ caput, de quo deinceps.

QUÆSTIONES,
ex Cap. VIII. vers.1--17.

Quæst. I. An Regeniti possint esse perfectè sancti, adeóque ἀναμάρτητοι? *Rat.dub.* Quia *vers.1.* dicitur: 1. *Nullum esse in ipsis κατάκριμα:* 2. *Eos ambulare non secundùm Carnem, sed secundùm Spiritum.* Et postea *vers.9.* dicuntur *non esse in carne.*

Resp. 1. Regenitos non esse ἀναμαρτήτους & perfectè sanctos, patet ex συγκρίσει hujus *vers.1.* cum *vers.ult. Capitis praced.* ubi Paulus dixerat; *se mente quidem servire Legi Dei; Carne verò Legi peccati.* Noluit ergo *hoc versu,* se aliósve regenitos eximere prorsus à peccato, sed tantùm à condemnatione, propter peccatum. Itaque, quod in Analysi quoque monitum, non dicit, nihil esse *condemnabile* in ipsis, sed, nullam *condemnationem:* quia peccatum non ampliùs ipsis imputatur, propter Christum, qui eos liberavit à peccati reatu & pœnâ, de qua liberatione egerat *Cap.praced.vers.ult.* 2. Τὸ *Non ambulare secundùm Carnem,* non arguit perfectionem ἀναμαρτησίας, sed conatum & studium continuum mortificandæ Carnis. Imò hoc ipso præsupponitur, in Regenitis adhuc manere Carnem, adeóque peccatum, cum quo ipsis perpetim luctandum est. 3. Hinc porrò *vers.9. Non esse in Carne,* non significat, *Carne,* id est, nativâ vitiositate prorsus carere; sed non vivere Carni, non subjicere se Carnis imperio, uti carnales & irregeniti, de quibus *vers.5.* dicit, *quòd sapiant* tantùm, *quæ sunt Carnis,* id est, mentes suas & studia omnia Carnis illecebris & cupiditatibus addicant. Hoc suprà ad *Cap.VII. pag.164.* uberiùs est explicatum.

Quæst. II. An non tantùm Fide, sed & Operibus justificemur? *Rat.dub.* 1. Quia Apostolus *vers.1.* videtur causam hanc afferre immunitatis à condemnatione; quòd Fideles *ambulent non secundùm Carnem, sed secundùm Spiritum.* 2. Quia *vers.2.* dicit; *Spiritum Vitæ,* id est, gratiam Regenerationis, *nos liberare à Lege peccati & Mortis?*

Resp. 1. Apostolus superiùs fuse Operibus Justificationem abrogavit, ut Fidei soli eam vendicaret. 2. Itaq; *vers.1.* τὸ *Ambulare non secundùm Carnem, sed secundùm Spiritum;* non notat Justificationis causam, sed justificatorum χαρακτῆρα & τεκμήριον. Verba autem illa, quæ proximè præcedunt: *iis, qui sunt in Christo Jesu;* causam complectuntur. Cur enim nulla est cōdemnatio fidelibus? Nimirum, *quia sunt in Christo Jesu,* ejusque justitiâ tecti & amicti, ne peccata eis ampliùs imputentur. 3. *Legem Spiritus Vitæ, vers.2.* Analysis nostra interpretata est de justitia Christi. Quòd si quis malit eam accipere pro gratia Regenerationis, quæ est in nobis; nec tamen hinc exsculpet Justificationem operum: quia tunc liberatio à Lege Peccati & Mortis intelligenda fuerit non de liberatione à Peccati culpa & pœna, sed à Peccati dominio & regno.

Quæst. III. Quid sibi velit *vers.3.* phrasis illa, quâ dicitur *Deus misso Filio suo in Carne condemnâsse peccatum in Carne?*

Movetur *Quæstio* propter Socinum, qui *Part.2. de Servatore, cap.23.* hunc locum ψευδερμηνείᾳ pervertit, ut evertat Satisfactionem Christi pro peccatis. Itaque condemnare Peccatum in Carne, ei nequaquam est, *Peccatum punire,* aut *Peccatorum pœ-*

nam à sontibus exigere; sed. *peccatum exauctorare, sive exauctoratum declarare, vel delere.* Id autem postea explicat: *Hominem à peccati servitute liberare,* (nempe per sanctificationem,) *atq; eâ ratione justum coram Deo illum constituere, non solum peccatum delendo in nobis* per Christi Passionem & Mortem, sed & *vim peccati* mortiferam extinguendo per Christi Resurrectionem.

Resp. 1. Quanquam non desint veteres & recentiores Interpretes, qui illud *κατάκριμα peccati, vers.* 3. extendant quoque ad *Sanctificationem*, per quam à servitute peccati liberamur: tamen malui in Analysi illud restringere ad *Justificationem*. *Rat.* 1. Quia passim Paulus τὸ κατάκριμα sumit pro *Condemnatione*, quæ opponitur *Justificationi.* 2. Quia scopus Pauli fuit ostendere, nos esse liberos à reatu & pœna peccati; propter peccati τὸ κατάκριμα in Christo, aut per Christum in Carne ipsius factum. Quomodo? Vtique non per nostram Sanctificationem, quæ adhuc imperfecta est, sed per satisfactionem Legi à Christo præstitam nostro loco, propter ἀσθένειαν Carnis nostræ, *vers.* 3. *a.* & quidem eo fine, *ut τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου in nobis impleretur, vers.* 4. *a.* id est, ut possemus à Lege in Christo absolvi, à culpa scilicet & pœna peccatorum; & e contrario justitiæ & præmii justitiæ in Christo participes fieri.

Objicit Socinus, *Legi per Carnis impotentiam non fuisse impossibile, peccatorum pœnam à sontibus exigere, aut peccatum punire. Vtrumq; enim & fecerat & faciebat Lex, neq; Caro ejusmodi vim illi adimebat, aut effectum impediebat.*

Resp. 1. Paulus loquitur de ea ἀδυναμίᾳ Legis, quâ non potuit, nec potest Hominem liberare à Lege Peccati & Mortis, id est, à vi, Hominem propter peccatum condemnandi, ut docet συζυγία aut nexus *versus* 2. & 3. Atqui exactio Pœnæ, & punitio Peccati in sontibus, quæ fit vi Legis, est contraria Liberationi à Lege Peccati & Mortis. Ab ista ergo exactione & pœnâ ut liberaremur, necesse fuit alibi, quàm in nobis Legi satisfieri, videlicet in Christo, in quo, ceu Vicario & Sponsore nostro, vim suam Lex exercuit, ut ab illa liberaremur. Hoc factum per Christi incarnationem, & in Carne assumpta subjectionem, qua obnoxius fuit Legi factus. *Gal.* 4. 4, 5. 2. Hinc Legi quidem non fuit ἀδύνατον, pœnam propter peccata à nobis exigere, cùm hæc ipsissima sit Legis vis: ἀδύνατον autem fuit Legi per hanc exactionem, & illius quoq; præstationem, nos salvare. *Rat.* Quia sic non fuissemus à pœna liberati, imò nunquam: eo quod in æternum nobis pro peccatis fuisset patiendum, nec plena unquam Legi satisfactio præstita fuisset. 3. Posito, *Peccati condemnationem, vers.* 3. designare Regenerationem, inde tamen non sequitur, Legis ἀδύνατον prædictum tolli per eam. *Rat.* Quia jus Legis contra nos, sive ad nos condemnandos, non potest per Regenerationem aut Sanctificationem compleri: cùm ipsa Sanctificatio non sit plena & perfecta, & Regeniti Carnem adhuc secum ferant, hincque τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου per Carnem maneat.

Quæst. IV. An non Paulus *hujus Capitis vers.* 5. & *seqq.* videatur dicere ἀντιφατικὰ iis, quæ supra *Cap.* 7. *vers.* 9. & 23. de se ceu Regenito pronunciaverat?

Resp. In *Quæstionibus* ad *Caput VII.* omnis ἐναντιοφανεία contra Socinum & consimiles fuit expedita, quò Lectorem remitto. *pag.* 163. & *seqq.* Paucissimis nunc hæc tantùm aspergo, Propositiones sequentes non esse ἀντιφατικάς.

Regenitus malum, quod non vult, agit. Cap. 7. *vers.* 19, 23. Item: *Regenitus captivus redditur Legi peccati.*

Et:

***Regenitus non ambulat secundùm Carnem, Cap.* 8. *vers.* 4. *non est ampliùs in Carne. Ibid. vers.* 9.**

Ratio hæc est: quia in istis Propositionibus prædicata de subjectis sumuntur κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο, & secundùm diversos, distinctos gradus: cùm vera oppositio debeat fieri secundum idem, ad idem, eodem modo, gradu, &c. i. e. 1. *Regenitus* dicitur opera Carnis edere,

non

non secundùm Spiritum, sed Carnem. Hinc Paulus *Cap.7.v.17.* negat, se, scilicet quà Novum & Regenitum Hominem, malum perpetrare: & se præsentat tanquam alium & diversum prorsus à Carnali, non distinctione *Personæ*, ut nuper dixi, sed *qualitatis*, scilicet tùm *corruptionis* residuæ adhærentis; tum *renovationis*, per regenerationem, ex parte. 2. Hinc porrò idem *Regenitus* dicitur ibidem *malum perpetrare*, non pleno, sed remisso gradu: quia habet Spiritum reluctantem. Dicit enim Paulus: *Ago malum, quod nolo*, nempe secundùm Spiritum, quà sum regenitus. 3. Regenitus *Cap.8.v.4.* dicitur *non ambulare secundùm Carnem*, nempe quomodo Servus ambulat & sequitur suum Dominum, ut ab illius nutu cum obsequio & servitute dependeat, uti satis expositum in Analysi. quo etiam sensu, ut nuper monui, dicitur *non esse in Carne*, id est, *in Carnali statu*, aut *Carnis servitute*: sed potiùs *in libertate Spiritus*; nec tamen plenâ, sed semiplenâ. ut mirum videri non debeat, non rarò Spiritum à Carne malesuada, viribus, licèt inferioribus ad peccati actum impediendum, reluctantibus, captivum abduci.

Quæst. V. Quid Apostolus *vers.*10. intelligat per *Corpus nostrum*, & *Spiritum*, quem vocat *Vitam*?

Resp. Dissonantes heic habemus Interpretes, attamen ab ὀρθοδοξίᾳ veræ Religionis nequaquam declinantes. Postulare enim omnium Interpretum συμφωνίαν & πανταρμονίαν est, supponere nos esse in meta, non in itinere. Quid mihi visum sit, explicavi paucis in resolutione *versus* 10. me intelligere per Σῶμα νεκρὸν, *Corpus mortuum*, Corpus Hominis mortale, ut est contradistinctum Animæ, quam puto intelligi per *Spiritum*, qui dicitur *Vita propter justitiam*. Nam etiamsi Regeniti propter peccatum *Corporis* sui respectu sint obnoxii Morti: tamen secundùm *Spiritum*, id est, Animam rationalem, vivunt, & vivent in sempiternum. Imò etiam *Spiritus* Vita, propter eorum cum Christo unionem, & Vitæ seu Resurrectionis ejus virtutem & participationem, secum tandem trahet quoque *Corporis Vitam* & Resurrectionem: quod Apostolus *versu* 11. *seq.* innuit. Hinc existimo, Paulum τὸ [νεκρὸν σῶμα] *vers.*10. & τὸ [θνητὸν σῶμα] *vers.*11. habuisse pro æquipollentibus.

Video tamen Viris magnis circa hujus loci interpretationem aliam esse mentem; ut *Corpus mortuum* accipiant de Homine secundùm Carnem corrupto, quà irregenito, uti suprà, *Cap.7.v.24.* meminerat σώματος τοῦ θανάτου τούτου. per *Spiritum*, qui dicitur *Vita*, intelligant Hominem, quà regenitum. Hinc sicut Homo, quà adhuc irregenitus, dicitur habere *Corpus mortuum, propter peccatum*, sive corruptionem in ipso residuam; ita postea dicatur *Spiritus in eo esse Vita, propter justitiam*, scilicet per Regenerationem, & justitiam in ipso renovatam & instauratam. Itaque secundùm eorum interpretationem Analysis hæc fuerit.

Object. Etiamsi Spiritus sanctus, de quo *vers.9.* partem aliquam nostri, videl. *Spiritum*, occupet: tamē alteram partē, videl. *Carnem*, adhuc detineri in Morte.

Resp. Hoc saluti obstare non posse. *Rat.* Quia vis vivificandi in Spiritu Christi insit, quæ valeat ad absorbendam nostram mortalitatem. Hinc exspectandum esse, dum peccati reliquiæ prorsus aboleantur. Sic *Calvinus*.

Nolo heic agere Criticum: sed cùm ambæ interpretationes sint piæ, nec quicquam secum trahant alicujus ἑτεροδοξίας, Lectoris judicio permitto, quamcunq; eligere velit.

Quæst. VI. An Resurrectio mortuorum solis fidelibus competat, infidelibus ab ea exclusis? *Rat.dub.* 1. ex *vers.*11. Quia fidelium resuscitatio asscribitur Spiritui Dei habitanti in solis fidelibus; idq; per virtutem & efficaciam Resurrectionis Christi, à qua infideles sunt alieni. 2. Quia alibi, *Psal.*1.5. impii non dicuntur venturi esse ad Judicium.

Resp. 1. Resurrectionem universalem omnium Hominum citra exceptionem, futu-

futuram confitemur *Artic.*11.Symbol.Apostolici ex Scriptura passim, *Dan.*12.2. *Joh.*5. 28,29. *Apoc.*20.12,13. Hinc Judæorum & aliorum secus sentientium deliria delirantibus relinquimus. 2. Locus præsens Pauli *vers.*11.*hujus Capit.* nihil evincit in contrarium. *Ratio* patet ex discrimine Resurrectionis fidelium & infidelium, quoad *causam efficientem, formam, & finem.* 1. *Illa* fiet virtute Resurrectionis Christi, & Spiritus S. diffusi in fideles à Christo ceu Capite: *hæc* virtute Dei omnipotente, & potestate Christi judiciariâ. 2. *Illa* erit vera fidelium ζωοποίησις, *vivificatio*, quia conjuncta erit non solùm cum Corporis, sed & Animæ plenâ & perfectâ vivificatione, consistente in perfecta cum Deo & Christo, ceu fonte vitæ, communione: *hæc* erit quidem vivificatio per Corporis cum Anima iterum uniti animationem: sed quæ *mortificatio* potius, quàm *vivificatio* utriusq; respectu nuncupanda venit: quia Mors & Corpori & Animæ dominabitur. Hinc tandem illa futura est ad *Vitam*; hæc ad *Mortem* sempiternam. 3. Locus *Psal.*1.5. non negat impiorum resurrectionem ad Judicium, sed tantùm consistentiam, sive justificationem & absolutionem in Judicio.

Quæst. VII. Quis sit *Spiritus servitutis*, de quo *vers.*15. mentio fit, oppositus *Spiritui adoptionis*?

Movetur *Quæstio* partim propter *Arminianos*, qui hunc Spiritum servitutis communem esse volunt omnibus Irregenitis, non solùm ex Judæis, sed & Gentilibus, à quo Spiritu illi quidem per Legem Naturæ, conscientiis insculptam; hi verò per Legem Mosis scriptam, in conscientiis suis redarguantur, & ad metum judicii Divini adigantur, hâcque ratione salutariter præparentur ad suam Regenerationem, si modò Libero suo Arbitrio ductum hujus Spiritus, tanquam Pædagogi ad Gratiam, sequantur.

Alii νοτεριζόντες *Spiritum* hunc *servitutis* nolunt esse omnibus Irregenitis communem: sed, quia classes faciunt distinctas *Irregenitorum, mediorum*, seu *indifferentium*, & tandem *Regenitorum*: volunt, *Spiritum* hunc pertinere tantùm ad *Medios*, quo Spiritu tanquam prodromo disponantur ad statum *tertium* Gratiæ seu Regenerationis. Hinc Hominem à Paulo *Cap.VII.præced.* sub schemate suæ Personæ volunt describi in hoc intermedio statu. Jam aliquid ad Caput illud attigi superiùs.

Mei instituti ratio & compendium Operis, tanquam Analytici, non permittit, ut lites istas examinem, sententias ad libram veritatis revocem, multò minus componam. Paucis tantùm quid mihi ad *Quæstionem* prædictam respondendum videatur, exponam.

Respondeo itaque, & quidem articulatim.

I. *Spiritum* intelligi, qui est ex Lege. Sed quia Lex potest considerari, in respectu tùm 1. ad *Gentes*, Verbo Dei & Lege scriptâ carentes: 2. tùm ad *Judæos*, qui Legem Mosis habuerunt: ideò dico, *Spiritum servitutis*, Legis tùm *Naturæ*, tùm *scriptæ* respectu, diversimodè competere.

α. *Gentibus* competit *Spiritus servitutis*, 1. Quatenus Lex, cordibus eorum inscripta, *Rom.*2.15. pungit eorum conscientiã; metum dehinc ipsis incutit iræ & judicii Divini per suas in conscientiis ipsorum κατηγορίας, *Rom.*2.15. 2. eosq; ex metu pœnæ, & ictu conscientiæ, ad externam quandam civilem honestatem in Vita compellit: attamen tantùm per servile dictamini naturali exhibitum obsequium. quanquam ne quidem vel sola illa Lex Naturæ hoc efficere posset, nisi Divina quoque assistens Gratia, quam vocant *coercentem, & reprimentem*, adeóque *Spiritus Dei*, ipsis quoque quadantenus assistens, eosque gubernans, frænans & refrænans, per instinctum naturalem ipsos cohiberet: secus enim promiscuè citra discrimen despumâssent, lumine Naturæ extincto, & conscientiâ obfirmatâ, in omnis generis flagitia.

β. *Judæis*, & aliis *Verbo Dei donatis*. Nam si consideremus

1. *Legem* ipsam in se abstractè, i.e. separatim ab Evangelio & Gratiâ, non poterant ex ea Judæi alium haurire Spiritum, nisi servitutis & metus. Hoc

cum

enim respectu *Lex* dicitur esse *Litera occidens, ministerium Mortis*, 2.*Cor.*3.6,7. Quid enim Lex absque Evangelio, & extra Christum & Dei gratiam considerata potest valere, quàm accusare, terrere condemnare atque ad Dei tribunal rapere? Sed quia Lex Dei est quoque ipsius Spiritus Dei, hoc ò negare non possum, Spiritum hunc servitutis & metus, quo terrentur irregeniti in suis conscientiis; etiamque, uti jam dixi de Gentilibus, ex hoc metu, quamvis servili, veluti adiguntur ad externam quandam obedientiam: esse quoque Spiritum Dei, eundem nimirum, qui conscientias irregenitorum & impiorum terret per Legem; & regenitorum ac piorum è contrario refocillat per Evangelium: sicuti unus est Sol ceram liquans & lutum indurans pro diversa objecti constitutione.

2. *Oeconomiam Legis in Veteri Testamento*, quæ quidem tantùm pertinebat ad Populum Israeliticum, interim pædagogica fuit adeóq; in συγκρίσει eorum cum nostro Statu in Novo Testamento potest dici, Statum veterem fuisse Servitutis, nostrum Libertatis. Sanè huc respicit Apostolus alibi, *Gal.*4.14. Sic *Hebr.* 2.16. Sed hæc sunt accipienda non ἁπλῶς, sed κατά τι & συγκριτικῶς, ut dixi: non quasi Patres in Veteri Testamento caruissent omni libertate, & plene in servitutem Legis fuissent conclusi; quod militat contra Oeconomiæ Legalis scopum, quem Deus intenderat: sed quòd tanquam παιδία, pueri, infantuli, sub Lege, tanquam Tutore, & quidem rigido, severo, quotidie instante, flagellante, custodiri; libertatis quidem filiorum Dei jus habuerant; nondum autem plenam illius fruitionem, quæ differebatur in Novum Testamentum, fuissent consequuti. Atque hinc factum, ut, uno oculo intento in suam παιδαγωγίαν, metum conceperint; altero oculo, reflexo in suam adoptionem, fiduciâ & spe plenæ olim sequuturæ liberationis se erexerint. Quo quidem Apostolus videtur allusisse per vocem [πάλιν, RURSUS,] quâ innuere voluit, Deum nunc in Novo Testamēto longe liberalius & tolerabilius nobiscum agere, quàm cum Patribus Veteris Testamenti.

II. Dico, *Spiritui huic servituti & metus* esse obnoxios tùm *Irregenitos*, tùm *Regenitos*: ast diversimodè. *Irregenitos* quidem, quatenus adhuc sub Legis jugo & maledictione prorsus captivi detinentur. *Regenitos* autem κατά τι tantum & quodammodò: quatenus nimirum sunt quidem non solum à pædagogia veteri Legali, quæ, ut dixi, quodammodò fuit servilis, *Gal.*4.1. sed & à Legis condemnatione liberati; interim in ipso statu Gratiæ considerati, in quo Legem etiamnum & quotidie habent ipsis intonantem, propter continuas prævaricationes non possunt non istum Legis & morsum conscientiæ apud se persentiscere. & hinc metum aliquem concipere: cui tamen confestim medela ex Evangelio succurrit & opitulatur.

III. Hinc porrò dico, ad *Spiritum hunc servitutis & metus* inveniendum, non necesse esse, nos comminisci inter statum Peccati & Gratiæ, adeóq; Irregenitorum & Regenitorum, medium aliquem & indifferentem statum, in quo sit considerandus Homo ille ab Apostolo *Cap.VII.* in sua Persona descriptus, in gratiam Socini, & consimilium, qui, quantum possunt, ἀπύχῳ ποδὶ gradiuntur in castra Pelagianorum.

Quæst. VIII. Quænam sint illa *Testimonia*, quorum mentio fit *vers.*16. per quæ nostra υἱοθεσία seu Adoptio in cordibus nostris obsignatur?

Resp. 1. Ante omnia notandus est hic locus contra σκεπτικοὺς Pontificiorum: dum censent & docent, Neminem per fidem certum esse posse aut debere de sua adoptione, & per consequens salute æternâ, imò anathemate feriunt hoc ipsum credentes. *Concil. Trid. Sess.*6. *Can.*15. Atqui Paulus prorsus contrarium heic docet, ostendens, Nos ado-

ptionis nostræ, hincq; hæreditatis Cœlestis habere duos testes infallibiles. *Ille ipse*, inquit, *Spiritus* (adoptionis) *testatur unà cum Spiritu nostro, nos esse Filios Dei: quod si Filii, etiam hæredes, &c.* Itaque non solum Paulum, sed & Spiritum ipsum sanctum mendacii insimulant, qui in πληροφορίαν nostræ adoptionis & salutis articant. *Quando* enim *Spiritus testatur*, verba sunt Chrysostomi in hunc locum, *quænam relinquitur ambiguitas? Quòd si Homo quispiam, vel Angelus, vel etiam Archangelus, aut alia certè hujusmodi quædam potestas aliquid promitteret, meritò quispiam dubitaverit. Supremâ verò illâ essentiâ, quæ & hoc ipsum largitur, quod promittit, atq; adeò orare etiam jussit, testimonium nobis perhibente; quis nam de dignitate hac deinceps dubitare poterit? Neq; enim facilè subditorum aliquis, Rege quempiam eligente, laudesq; illius deprædicante, contradicere audebit.*

2. Quid verò est, quod dicit: τὸ Πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν? Chrysostomus iterum distinguit Spiritum Dei tanquam *donantem*, à clamore, quo Deum invocamus ut Abba, i.e. Patrem, tanquam *dono*, dicens: *Paracletus istud dono nobis præstitit facit. Non enim vox hæc præstitit tantummodò charismatis est, sed & præstantis illud Paracleti. Ipse quippe charismate suo ita nos loqui docuit.* Possent quidem verba Pauli cum vetere Interprete sic reddi: *Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro*, uti nonnunquam τὸ συμμαρτυρεῖν, intelligitur etiam de uno teste. Sed puto Paulum heic combinare voluisse duo testimonia, 1. *Spiritus*, id est, Animæ & Cordis *nostri*, tanquam *secundarium* & *subordinatum*; quo nos per fidem persuasi sumus de nostra adoptione, quodq; patefacimus per invocationem Dei filialem. 2. *Spiritus Dei*, tanquam *primarium* & *principale*, tanquam πληροφορίας nostræ causæ procreantis, conservantis, augentis & corroborantis. Neque enim, quum audimus distinctionem *Spiritus nostri* & *Spiritus Dei*, cogitandum: quasi testimonium Spiritus nostri esset domi natum, sive à nostro genio profectum, cum Fides non sit nostræ opis aut virtutis; sed quòd Spiritus noster tanquam actus à Spiritu Dei agat, quod agit, id est, testetur in corde, & clamet ore, quòd Filii simus Dei, & Deum habeamus Patrem.

Quæst. IX. An Passiones nostræ sint causæ meritoriæ hæreditatis cœlestis?
Ex *vers.*17. *Rat. dub.* 1. Quia patientibus hæreditas illa promittitur.
2. Quia Passiones nostræ conjunguntur Passioni Christi:
εἴπερ συμπάσχομεν. Atqui Christi Passio est meritoria.
Videtur ergo, nostram quoque esse meritoriam.

Resp. I. Passiones nostras meritorias esse non posse, 1. docetur *vers.*18. quo indicatur, nullam esse proportionem inter nostras Passiones & Gloriam suturam. Atqui inter *meritum* & *mercedem* debet esse aliqua proportio. 2. Cum Vita æterna *hæreditatis* nomine veniat, *meriti* rationem habere non potest. Quod enim obtingit per hæreditatem, obtingit non ex merito: adeóque debito; sed ex libera & gratiosa Testatoris voluntate. 3. *Cohæredes* Christi vocamur, non aliam ob causam, quàm quòd per meritum Christi Filii Dei nobis Vita æterna obtingat, tanquam ex gratia à Deo in ipso in Filios adoptatis. *Ephes.*1.5.

II. *Argumenta* in contrarium nullius sunt commatis.

Non *primum*, propter fallaciam ἐξ ἀσυνάρτου. Nam promittitur hæreditas cœlestis patientibus, non propter meritum Passionis: Passiones enim nostræ, si extra peripheriam Gratiæ Dei considerentur, sunt pœnæ peccatorum, non meriti præmia: sed ex gratiosa Dei dispensatione & voluntate; & propter συμμόρφωσιν cum Christo, qui per Passiones intravit in Gloriam cœlestem.

Non *secundum*, propter fallaciam falsorum parium. Neque enim convenientia Passionis Christi & Passionum nostrarum, in ᾧ τῷ aut relatione ad Vitam æternam, est utrobique *causalis*, sed tantùm *consecutiva*, seu ut ... aut similis consequutionis, ut sensus sit: Sicut Christi Passionem consequuta est Hæreditas & Gloria cœlestis, tanquam

meta

meta aliqua, sic quoque nostrarum Passionum eandem futuram metam & finem. Imò, quia Christi, tanquam θεανθρώπου, Passiones nobis fuerunt meritoriæ, nostræ Passiones nobis non possunt esse meritoriæ: nisi meritum Christi arguere velimus alicujus imperfectionis, contra Apostolum, *Hebr.* 10.14. Nam quod alibi dicit Paulus; *se portare in corpore suo τὰ λείμματα, reliquias afflictionum Christi*; non intelligit de supplemento alicujus meriti Christi, sed nomine *Christi*, mysticè considerato, de Capite unà cum Corpore Ecclesiæ; loquitur de afflictionibus, Christo sustinendis in Corpore suo mystico, non ad meriti sui, ut dixi, consummationem, uti nugantur Sophistæ, sed ad conformationem & configurationem Ecclesiæ omniumque Fidelium secum, tanquam cum Capite.

Hactenus pertractata fuit prima CONSOLATIO Fidelium contra Tentationem residui in ipsis PECCATI.

2. *CONSOLATIO secunda Fidelium contra Tentationem CRUCIS.*

Quia Regenitis & Fidelibus cum utroque malo, tùm *culpæ*, videlicet peccati in ipsis residui, tùm *pœnæ*, crucis & variarum afflictionum in hoc seculo luctandum est: uti hactenus Apostolus contra *primum* malum eos est consolatus; ita nunc contra *alterum* eos consolatur, ne scilicet ullis afflictionibus ac persequutionibus succumbant. Occurrit heic

I. *Propositio*, de ferenda Cruce, *v.17.b. Si modò* cum eo (Christo) *patiamur*. De quibus verbis jam in præcedentibus agere cœptum. Ostendit Apostolus, manere nos quidem, ceu Filios Dei, hæreditatem cœlestem, sed eâ lege & conditione, ut per crucem eam adeamus. Sic alibi, *Act.14.22. 2.Tim.2 5.*

II. *Confirmatio*. Multis validissimis argumentis demonstrat, fidelibus Crucem esse patienter ferendam. 1. Quia hoc sit *æquum* & *honestum*. 2. Quia *utile*. 3. Quia Dei auxilio sit *facile*: partim, quòd Spiritus S. præsidio in afflictionibus juvemur: partim, quòd afflictiones ipsæ juvent & promoveant salutem nostram ex Dei consilio æterno.

A. *Argumentum ab AEQVO & HONESTO.*

Quia patiamur cum Christo. *v.17.* Mens hæc est: Si Christus passus est, nos quoque pati æquum est & honestum. Atqui Christus passus est. Ergo &c. Argumentum hoc concludit dupliciter.

α. A' *Christi exemplo* nobis imitando. *1.Pet.2.21.* Cujus imitationis multæ sunt rationes graves, à consideratione,

1. *Persona* Christi & nostræ. Nam α. Christus est Filius Dei: nos sumus Homines, miseri vermiculi terræ. β. Christus innocens, sanctus, à peccatoribus segregatus. *2 Cor.* [illegible] *1.Pet.2.22.Hebr.7.26.* nos miseri peccatores, *Rom.3.23.* Christus est Dominus, nos servi. *Joh.15.20.*
2. *Passionis* Christi & nostræ. Illa infinito pondere exsuperat nostram.
3. *Causa* Passionis Christi & nostræ. Christus insons passus est propter nos, id est, peccata nostra, ei imputata: [illegible] nos nocentes castigamur propter peccata, vel in [illegible] honoris gradum extollimur, ut propter Christum & Nomen ejus patiamur.
4. *Finis.* Christus passus est ad expianda nostra peccata, & nos Deo reconciliandos, adeoq; ad salutem nostram. nos non ita patimur, cùm à nobis ad Christum nullum petiit redundare beneficium; sed ut per passionem Christo conformemur.

β. A' *Communione* nostra *cum Christo.* Nos enim sumus unum cum ipso Corpus, in quo, Capite patiente, omnia membra debent *συμπάσχειν.* Hinc Paulus, ut nuper dixi, docet suo exemplo, nos reliquias afflictionum Christi portare in Corpore nostro. *Coloss.1.24.* Et Bernhardus: *Pudeat membrum delicatum sub Capite spinis coronato.*

B. *Argumentum ab* [illegible]

Addit Paulus *vers.17.c.* *ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν, ut cum eo etiā glorificemur.*

1. *Promittit* patientibus Gloriam, & quidem non [illegible] vanam, evanidam & momentaneam, sed [illegible] cœlestem.
2. *Confirmat* promissionem iterum ab *exemplo* & [illegible] *Christi.* Ideò non dicit simpliciter, *ἵνα δοξασθῶμεν;* sed [illegible] *δοξασθῶμεν* q. d. Quemadmodum & quia Christus per & post Passionem glorificatus est: sic etiam nos unà cum ipso [illegible] & post passionem glorificabimur. Ac sanè hoc iterum sequitur ex nostra cum Christo communione. Nam sicut Capitis passio secum trahit passionem Membrorum, sic Capitis gloria secum trahit gloriam membrorum, juxta illud Tertulliani: *Ubi præcessit gloria Capitis, ibi sequetur spes ipsa Corporis.*

Cæte-

Cæterùm *GLORIÆ hujus cœlestis* Apostolus describit & ostendit

I. *Magnitudinem*, vers. 18. *Reor enim, minimè pares esse præsentis temporis perpessiones gloriæ in nobis revelandæ.* Comparationem imparium instituit inter Crucem præsentis & Gloriam futuri seculi. Meritò. quia illa huic nequaquam est æquiparanda. Gloria enim, quam exspectamus, est participatio gloriæ Christi, qua de causa etiam nos *vers. 17.* dixerat *cohæredes Christi.*

Crux seculi præsentis majori ex parte corpus & fortunam externam Hominis infestat, citra Animæ damnum aut jacturam: Gloria autem Vitæ alterius diffundet sese in nos totos, Corpus & Animam.

Crux omnis est finita: Gloria immensa & infinita. Crucem præsentem comprehendimus sensibus nostris, describere possumus verbis, imò plerunq; in exaggeranda Cruce nimii sumus & ὑπερβολικώτεροι: Gloriam autem cœlestem nobis Scriptura describit tanquam incomprehensibilem & ineffabilem. *Jesa. 64.4. 2. Cor. 12.4.*

Crux nostra, utut magna sit, tamen sua habet intervalla & temperamenta relaxationum: Gloria auté cœlestis nulla unquam Crucis aut molestiæ vel minimâ nubeculâ turbabitur. *Apocalyps. 21.4.*

Crux nos manet in Terris: Gloria autem nos manet in Cœlis. Quo majus & sublimius est Cœlum Terra, eo major & sublimior futura est Gloria nostra cœlestis Cruce terrenâ. Hinc pios Homines, quoties gustum aliquem hujus Gloriæ percipiunt, oblivio cepit omnium mundanorum. *Exempl.* Petri, Johannis & Jacobi. *Matth. 17.4.*

Crux hujus seculi nullum potest afferre damnum, quod Gloria venturi seculi non sit in infinitum compensatura.

Crux est momentanea, sicut Vita nostra præsens: sequetur autem *æternum pondus Gloriæ καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, excellenter excellens. 2. Cor. 4.17.*

II. *Certitudinem.* Hanc Apostolus evincit geminâ Demonstratione.

Demonstratio prima.

Prior Demonstratio desumpta est à *consideratione Mundi & rerum creatarum*, & continetur his verbis.

Verſ.19. *Etenim Mundus hic conditus exerto capite obſervans exſpectat, dum revelentur Filii Dei.*

Verſ.20. *Nam vanitati Mundus hic conditus ſubjectus eſt, non ſuâ ſponte, ſed propter eum, qui ſubjecit eum iſti vanitati.*

Verſ.21. *Sub ſpe, quòd & ipſe liberabitur ex ſervitute corruptionis in libertatem Gloriæ Filiorum Dei.*

Verſ.22. *Scimus enim, totum Mundum creatum unà ſuſpirare, & unà parturire ad hoc uſq; tempus.*

Argumentum deſumitur in his verbis ab *exſpectatione Mundi.* Introducitur enim Mundus per proſopopœiam, ſub vanitate, cui a Deo propter Hominis peccatum ſubjectus eſt, ingemiſcentem, atque ardenti deſiderio aſſpirantem ad liberationem tùm ſuam, tum filiorum Dei, in Mundo varias calamitates tolerantium. *Summa* huc redit paucis:

Cui gloriæ Mundus totus & omnes in eo creaturæ atteſtantur, illa non debet, nec poteſt in dubium vocari.

Atqui gloriæ in fidelibus filiis Dei revelandæ, atteſtatur totus Mundus, omneſque in eo creaturæ. Nam cùm vanitati ſint ſubjectæ à Deo non ſuâ, ſed Hominis culpâ; naturali quodam inſtinctu ingemiſcunt ac veluti anhelant liberationem & gloriam filiorum Dei: imò inſtar parturientis Mulieris pondere ſuæ vanitatis levari diſcupiunt.

Ergo non debet iſta gloria in dubium vocari.

Heic verò jam uberiùs venit agendum de ſequentibus.

α. De *Vanitate* Μακροκόσμου. Dicitur enim *verſ.20. Mundus hic conditus vanitati ſubjectus eſſe.* Deſcribitur ſimul,

1. *Modus, verſ.21.* quum mentio fit δουλείας τῆς φθορᾶς, *ſervitutis corruptionis.* Intelligit corruptibilem Mundi conditionem, quæ ſeſe diffundit per omnes Mundi partes. *Ecclef.1.1.* HOMO, qui μέτρον eſt ἁπάντων, quid aliud eſt, quàm vanitatis ſpeculum? *Pſal.39.6,7. Jeſ.40.6,7.* Vitam orditur cum lacrymis, tranſigit in curis, periculis, laboribus, ærumnis. *Diù vivere*, ut ait Auguſtinus, ipſi *eſt diù torqueri*: finit tandem cum gemitu & doloribus. *Sir.40.v.1.& ſeqq.*

Poſt Hominem Regio ætherea, quæ videtur extra aleam veluti φθορᾶς & vanitatis verſari, eidem tamen obnoxia eſt. Cœlum ſuas patitur viciſſitudines, nebulis & nubibus obducitur,

ducitur. Aſtra lumine ſæpè deficiunt, quod docent Eclipſes majorum luminarium Solis & Lunæ. Influentiis ſuis afficiunt & non raro inficiunt aërem & corpora inferiora, eaque ad corruptionem diſponunt.

Quid vanius dehinc & mutabilius Elementis? Aër peſtilentem ſæpè aſciſcit qualitatem, continuis ventis, imbribus, grandinibus, aliisque meteoris undiquaque obnoxius. Mare in continuo fluxu & refluxu verſatur, ventorum ludibriis expoſitum. Flumina alia nunc creſcunt, nunc decreſcunt, nunc intra alveos ſuos ſe continent, nunc ebulliunt, exundant & integras regiones vaſtant. Terra nunc fructificat, nunc ſterileſcit, fructus nunc bonos, nunc noxios profert, horrens ſpinis, ſentibus, loliis, omnisque generis aliis peſtilentibus germinibus.

Animantia omnis generis corruptibilia ſunt, jugum Hominis ægrè patiuntur, inſidiis non raro, voracitate, rapacitate, crudelitate, rabie, & venenatâ aliquâ qualitate Homini ſunt infeſta.

Poſtrema vanitatis Mundanæ pars non eſt, quòd creaturæ in Mundo cogatur ſervire ſceleratorum Hominum abuſibus. Tandem, quò diutiùs Mundus hic durat, eò magis conſeneſcit, atque ad interitum ſuum properat, de quo Petrus fuſiùs *2. Epiſt. c. 3.* & David, *Pſal. 102. 27.* & Johannes, *Apoc. 20. 11.*

2. *Cauſa* iſtius vanitatis. Videlicet

a. *Principalis*, Deus, *verſ. 20.* Is eſt, qui 1. Mundum hunc & omnia ejus contenta creavit. 2. Eundem ſubjecit vanitati, ut quicquid in eo mutationis & corruptionis occurrit, ejus ſit judicium. 3. Et tandem eam quoque aboliturus eſt.

b. *Προκαταρκτική*, quæ

Ἀρνητικῶς, non eſt in Mundo ipſo. Hinc dicitur *v. 20. Mundum non ſuâ ſponte eſſe ſubjectum vanitati.* Mundum enim, ut & Hominem Deus primitùs creavit rectum, expertem illius, quæ poſtea ſequuta eſt, vanitatis. Ideò dicitur Deus *omnia, quæ creaverat, vidiſſe* bona, *Geneſ. 1.*

Θετικῶς, eſt in Homine. Trahit enim iſta vanitas ſuam originem ab Hominis peccato, ſeu primâ transgreſſione. Hæc veluti diluvio aliquo vanitatis & maledictionis non ſolùm Genus Humanum in Adamo, ſed & totum Mun-

Mundum perdidit: ſicut Homo aliquis peſte infectus totam aliquam Domum, & dehinc Civitatem poteſt contagio ſuo inficere & coinquinare.

β. De *Mundi ἀποκαραδοκίᾳ* in hac vanitate. Dicit Apoſtolus *verſ. 19. τὴν ἀποκαραδοκίαν τῆς κτίσεως ἀπεκδέχεσθαι revelationem Filiorum Dei. Ἀποκαραδοκία* ſignificat ſolicitam & ſummo cum deſiderio conjunctam rei alicujus exſpectationem, ut quum quis exerto capite & intentis oculis rei alicujus eſt obſervans. Poſtea *v. 22.* dicit, *omnem creaturam congemiſcere καὶ συνωδίνειν, una, uſpirare & parturire*, videlicet meliorem aliquem ſtatum, ex arcano veluti odio, faſtidio & deteſtatione præſentis ſuæ vanitatis: ſimilitudine deſumptâ à Muliere parturiente, ingemiſcente ſub pondere dolorum, & aſſpirante ad ſui liberationem.

γ. De *Liberatione Mundi* ab hac vanitate. *Verſ. 19.* dicit, *Mundum eam exſpectare. Verſ. 21* dicit, *Mundum ve ſari ſub ſpe hujus liberationis*, & quidem *in libertatem gloriæ filiorum Dei. Obſervetur*, Apoſtolum duo indicare:

1. Mundum non ſemper in vanitate hac perſtiturum, ſed aliquando liberatum iri: quod procul dubio fiet in die noviſſimo, *τῇ παλιγγενεσίᾳ, Matth. 19 v. 28. ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων, Act. 3 v. 21.* Quæ & qualis iſta liberatio futura ſit, aliquid monebo in *Quæſtionibus*.
2. Vanitate Mundi ſublatâ, Gloriam quoque Filiorum Dei patefactum iri. Hinc *verſ. 19* mentio fit *revelationis*, & *verſ. 21. libertatis gloriæ*, ſive, ut Lutherus vertit, *libertatis gloriæ Filiorum Dei.* Sicut enim Mundus, & cum eo quoq; Filii Dei ſunt ſervituti ſubjecti, & in hoc ſeculo veluti in carcere aliquo captivi detinentur, anhelantes ſuam liberationem: ita quum Mundus a ſua ſervitute liberabitur, & deſinet ſervire abuſibus & ſceleribus impiorum; tum quoque Filii Dei liberabuntur, & Gloria eorum, quæ in ſtatu ſervitutis hactenus fuit occultata, plenè pateſiet. *Coloſſ. 3. 3, 4. 2. Cor. 4. 11. 1. Joh. 3. 2.*

Demonſtratio ſecunda.

Poſterior Demonſtratio deſumitur a conſideratione *Fidelium regenitorum*, ſpe videlicet eorum & exſpectatione, per argumentationem à minori ad majus.

Si rerum aliarum creatarum exſpectatio ſolicita arguit certitudinem futuræ Gloriæ, quanto magis Hominum ipſorum fidelium, quippe quos iſta Gloria attingit?

Atqui

Atqui verum est antecedens, ut jam vidimus in præcedentibus.
Ergo verum quoque est consequens.

Sed videamus ipsa Apostoli verba:

Vers. 23. *Neq; verò ille solùm*, scilicet Mundus, *sed & ipsi, qui primitias Spiritus habemus, nos ipsi, inquam, apud nos ipsos suspiramus, adoptionem exspectantes*, id est, *redemptionem Corporis nostri.*

Vers. 24. *Nam spe servati sumus. Spes autem, si videatur, non est spes. quod enim quis videt, cur speret?*

Vers. 25. *Si verò, quod non videmus, speramus*, nempe *per tolerantiam exspectamus.*

Verba ista comprehendunt in se

ℵ. *Confirmationem*, cujus summa huc redit:

Cujus Fideles in cordibus suis habent infallibile argumentum & testimonium, illud in dubium vocari non debet.

Atqui fideles regeniti gloriæ sequuturæ cœlestis in cordibus suis habent infallibile argumentum & testimonium: videlicet primitias Spiritus sancti: item spem & exspectationem cum suspiriis conjunctam.

Ergo gloria illa sequutura in dubium vocari non debet.

Quò verò meliùs percipiatur sensus verborum, considerand. veniunt, *Exspectationis* hujus

1. *Subjectum. Nos*, inquit, *qui primitias Spiritus habemus.* Hæc verba quidam restringunt ad Apostolos, & per ἀπαρχὰς, *primitias*, intelligunt raram & eximiam præstantiam Spiritus. Sed de omnibus fidelibus accipienda esse scopus Apostoli indigitat. Vult enim omnes fideles ex interno testimonio & argumento certiores reddere ipsorum salutis. Itaque per ἀπαρχὰς intelligenda veniunt dona Spiritus S. per regenerationem in fidelibus heic inchoata, inprimis verò Fides. *Primitias* nominat α. per allusionem ad primitias frugum Legales Vet. Testamenti, Deo oblatas, ut per eas reliqui proventus sanctificarentur, de quibus *Levit. 23. 14. Deuter. 26. Rom. 11. 14.* β. Vt denotet, Spiritum S. nondum plenè & cum perfectione suorum donorum nunc habitare in nobis; sed guttulis nunc tantùm

quibusdam unctionis ejus nos perfundi, donec ea plenè in cœlis consummetur.

Observandum autem heic diligenter, hanc fidelium περιγραφὴν & περίφρασιν esse aitiologicam. *Causam* enim insinuat ejus *Spei*, ex qua Apostolus concludit certitudinem salutis, & gloriæ in Filiis Dei revelandæ. Quia enim ipsi accipiunt primitias Spiritus, non defuturum est olim complementum. Nam *qui capit in ipsis opus bonum, perficiet* quoq; *illud usq; ad diem Jesu Christi, Philipp.1.6.* sicut quoque olim primitiarum oblatio sanctificabat reliquum frugum acervum, & spem faciebat messis suo tempore fruendæ. Hinc alibi *dona Dei & vocatio* vocantur ἀμεταμέλητα, *Rom.11.29.* & Spiritus S. dicitur esse *arrhabo hæreditatis nostræ, Eph.1.14* quo *obsignamur in diem redemptionis. Ibid. cap 4.30.*

2. *Modus. Exspectamus*, inquit, *στενάζομεν ἐν ἑαυτοῖς, suspirantes apud nos ipsos*, videlicet *ἐν ἑαυτοῖς*, ex profundo corde, aut intimis penetralibus. Id *figuratè* ante per verbum [συστενάζειν] dixerat de cæteris creaturis, *v.22.* nunc *propriè* de nobis. nam in calamitatibus constituti cum gemitu & suspiriis desideramus & exspectamus nostram liberationem.

3. *Objectum*: quid scilicet exspectemus: *τὴν υἱοθεσίαν, adoptionem.* Non intelligit vel *æternam* illam, quæ coincidit cum nostra electione, *Eph.1.4,5.* vel *inchoatam* in hoc seculo, quum per fidem *τὴν ἐξουσίαν, jus & potestatem filiorũ Dei* consequimur, *Joh.1.12.* sicuti antea *v.15.* dixerat, *nos accepisse Spiritum adoptionis*: sed *consummatam* alterius seculi, quæ consistet in plena adoptionis nostræ patefactione & fruitione, hæreditate videlicet gloriæ & felicitatis cœlestis.

Ideò confestim explicat, addens, *ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν*: *redemptionem* intelligens non inchoatam hujus vitæ, sed plenam & perfectam. Hinc etiam non *animæ*, sed *corporis* facit mentionem. Nam, quando corpus plenè è vinculis peccati & mortis liberabitur, quod fiet in die novissimo & resurrectione; tunc plena erit & perfecta redemptio nostra. & sic alibi quoque sumit Apostolus vocem *ἀπολυτρώσεως, Eph.4.30.*

3. *Confutationem Objectionis* tacitæ.

Objicere quis potuisset: An non jam cõsequuti sumus adoptionem & redemptionem in hac vita? Nunquid Filii jam Dei sumus? Nunquid Christus jam nos suo merito redemit?

Respon-

Respondere vult Apostolus, adoptionem & redemptionem consummatam, de qua loquatur, non esse hujus, sed futuri seculi. Atque id evincit ex SPE, *v.24.25.* Argumentum huc redit:

Major. Id ipsum, quod speratur, utique nondum est præsens, sed futurum, adeóque exspectandum. Hæc propositio

Proponitur vers.25. Si, quod non videmus, speramus, per tolerantiam id exspectamus.

Probatur vers.24.a. Spes si videatur, non est spes. quod enim quis videt, cur speret? Nomine [SPEI] metonymicè intelligit rem speratam. Sensus est: Quod præsens est, videri & sensu percipi potest. Quod speratur, nondum videri potest, sed demùm exspectatur. Ergo quod speratur, non est præsens, sed futurum.

Minor. Atqui salus & redemptio nostra speratur. Hæc propositio habetur *vers.24.a. Spe servati sumus.* Vbi SPEI nomen ab Apostolo sumitur propriè. adeò ut in uno hoc *vers.24.* elegans occurrat *ἀντανάκλασις*, Apostolo familiaris: quando SPEI nomine utitur nunc *subjectivè*, pro habitu, qui est in Homine sperante; nunc *objectivè*, pro re sperata.

Conclusio. Ergo salus & redemptio nostra nondum est præsens, sed demùm exspectanda. *Conclusio* hæc connexa est *Majori* propositioni *vers.25*, jam allegato. Addit autem Apostolus exspectationi *tolerantiam*, quia ad plenam salutis nostræ cōsummationem, non nisi viâ Crucis perveniri potest, utì jam suprà *vers.17*, monuerat.

Observanda heic inter alia SPEI descriptio,

1. A` *Causa efficiente.* Indicatur enim esse donum Spiritus S. quæ tribuitur iis, *qui acceperunt primitias Spiritus*, id est, regenitis & sanctificatis, adeóque fidelibus. Nec mirum, quia Spes fidem comitatur, tanquam Filia Matrem. Nam postquàm fide apprehendimus promissionem, spem quoq; concipimus ejusdem adimplendæ.
2. Ab *Objecto*. quòd sit rerum non præsentium, & oculis aut sensui patentium; sed futurarum & *μὴ βλεπομένων*, *Hebr.11.* qualis fuit Abrahæ spes de Filio ipsi nasciture, & multiplicatione seminis ipsius: item nostra, de Resurrectione nostra & Vita æterna.
3. Ab *Adjunctu*, videlicet

α. *Certitudine ſpei. Spe enim ſervati ſumus, verſ.24.* nondum *re,* ſed *ſpe*, eâque interim tàm certâ, ac ſi jam re ipsâ ſalutem poſſideremus. Hinc ſuprà *Cap.5.v.5.* dixerat, *ſpem non pudeſacere.*

β. *Crucis tolerantiâ.* Eſt enim ſpes conjuncta cum ſuſpiriis, *verſ.23.* Ideò alibi Apoſtolus meminit *τῆς ὑπομονῆς ἐλπίδος, 1.Theſſal.1.3. patientiæ ſpei.*

γ. *Conſtantiâ* aut *perſeverantiâ.* Tribuit enim ei *exſpectationem, verſ.23.*

C. *Argumentum à* FACILI.

Hactenus Apoſtolus, ut Conſolatione fideles Romanos in Cruce ſuſtentaret, & pectora ipſorum ad patientiam firmaret, duo ipſis Argumenta propoſuerat, quorum primum deſumptum fuerat ab *Aequo & Honeſto*, propter Chriſti exemplum & communionem: alterum ab *Vtili*, propter Gloriam, quæ Crucem ſit inſequutura. Supereſt nunc tertium, quod deſumit à FACILI & POSSIBILI.

Facilitatem hanc & *poſſibilitatem* ferendæ Crucis probat Paulus dupliciter, 1. Ab auxilio *παραστατικῷ* Spiritus S. in Cruce ferenda: 2. A *Crucis* ipſius *συνεργείας* ad ſalutem noſtram.

Probatio prima Facilitatis & Poſſibilitatis, ferendæ Crucis.

Prima Probatio, occaſione deſumptâ ab eo, quod proximè *verſ.25.* dixerat de *tolerantia* Crucis, Spei Gloriæ cœleſtis conjunctâ, deſumitur à *παραστάσει, auxilio* aut aſſiſtentiâ; imò *προστασίᾳ* Spiritus S. in Cruce ferendâ, verbis ſequentibus.

Verſ.26. *Itidem autem & Spiritus unà ſublevat infirmitates noſtras. quid enim oremus, ut oportet, non novimus: ſed ipſe Spiritus intercedit pro nobis ſuſpiriis ineffabilibus.*

Verſ.27. *Qui verò ſcrutatur corda, novit, quid ſapiat Spiritus: quia ſecundùm Deum intercedit pro ſanctis.*

Argumentum Apoſtoli huc recidit:

Quodcunque nobis per Dei gratiam non impoſſibile, ſed poſſibile & facile eſt ferendo; illud cum patientia nos oportet & decet ferre.

Atqui Crux & afflictiones hujus ſeculi tales ſunt. Quantumvis enim infirmi ſimus Homines, qui, quantum ad vires noſtras attinet, neque conſilio, neque ope noſtrâ quicquam vale-

valemus; tamē Spiritus ſanctus noſtras infirmitates portat.

Rat. Medium enim efficax & validum excitat in cordibus noſtris, videl. *Preces*, quas juxta Dei voluntatem concipimus, quæ Crucem mitigant, & Dei opem è Cœlo trahunt, juxta illud Auguſtini: *Aſſcendit deprecatio, & deſcendit miſeratio.*

Ergo cum patientia nos decet & oportet Crucem ferre.

Hæc mens eſt verborum Apoſtoli. Quò verò ea majore cum fructu penſitemus, conſideranda veniunt ſequentia.

I. *Morbus* & *infirmitates* Filiorum Dei in Cruce. Facit Apoſtolus earum mentionem tùm:

α. *Generatim, verſ.26.* quum meminit *infirmitatum noſtrarum.* Quis neſcit, quàm ſimus infirmi ſub jugo Crucis? Equidem Favonio proſperitatis flante criſtas erigimus, firmitatem nobis pollicemur, dicentes cum Davide: *Non dimovebor in ſeculum: Pſal.30.7.* videmur nobis *pepigiſſe fœdus cum morte & ſepulcro: Jeſ.28.15.* tempeſtate poſtmodùm adversâ ingruente animo ſumus dejecto & fracto, Cœlum implemus querelis & indignis clamoribus, Dei potentiam, bonitatē, miſericordiam in dubium vocamus, & ſatagimus non rarò mediorum indecentium, quorum adminiculo poſſimus ex calamitatibus emergere.

β. *Speciatim, ibid.* quum meminit *Precum*, quòd *neſciamus, quid & quomodo orare nos oporteat.* Id verò eſt nimis verum & compertum.

1. Anguſtia, calamitatum magnitudo & multitudo non rarò orandi facultatem & voluntatem intercipit & ſufflaminat; ut putent Fideles, clamores eſſe veluti fruſtraneos.

2. Neſciunt ſæpè, *quid orandum* ſit: in vota non ſolùm inconſiderata, ſed & noxia non rarò effunduntur.

3. Affectibus ita mens turbatur, ut, *quomodo* ſit *orandum*, diſpicere nequeat, ſed mirum quantum exorbitet.

Exempla prædictæ infirmitatis in Scriptura ſunt obvia. Jobi, *cap.3.v.2.&c. & cap.6.v.1,2,3,& ſeqq. & cap.7.v.3,15.& cap.9.v.16. & cap.23.v.8 9.* Davidis, *Pſal.116.v.11.* Eliæ, *1.Reg.19.verſ.4.* Jonæ, *cap.4.v.3.* Johannis & Jacobi, *Marc.10.v.35--38.*

Cc 3,

II. *Remedium* sive *auxilium* Dei in statu hoc imbecilli & morbido.

Apostolus in verbis enarratis tria indicat.

1. *Quòd non deseramur*, sed à Spiritu S. sublevemur. *Spiritus*, inquit *vers.27. intercedit pro nobis.* Ita Spiritum S. describit tanquam *Paracletum*, qui nos sustentet, ne prorsus collabamur, & animam despondeamus in calamitatibus. Sic enim alibi quoq; Spiritus S. promittitur *Paracletus, Joh.14.16.* Quo sensu hoc sit accipiendum, dicam in *Quæstionibus.*

Obiter interim heic observetur vanitas superstitiosorum Hominum in Papatu, qui malunt niti advocatione B. Virginis Mariæ, aliorumque Sanctorum; quàm acquiescere in uno Advocato Christo, *1. Johan.2.v.1.* nostroque in cordibus apud Deum per preces Proxenetâ Spiritu sancto.

2. *Quomodo* seu *per quod medium sublevemur?* Πνεῦμα, ait Apostolus *vers.26.* ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν στεναγμοῖς ἀλαλήτοις: *Spiritus intercedit pro nobis suspiriis ineffabilibus.* Dei ergo auxilium in calamitatibus nostris hoc est, quòd Spiritum S. mittat in corda nostra, qui tanquam *Spiritus gratiæ & precum, Zach.12.10.* excitat in cordibus nostris suspiria, quibus ejus gratiam & opem tùm petamus, tùm obtineamus.

α. *Spiritum* describit tanquam *Advocatum* in Terris, cùm alium Advocatum habeamus in Cœlis, nempe Christum, quanquam alio sensu, ut dicam in *Quæstionibus.*

β. *Suspiria* tribuit Spiritui S. non quòd gemat ipse, sed quia gemitus & suspiria in nobis excitat, quæ mittimus in Cœlum. Est enim Spiritus S. velut Ignis ardens in cordibus nostris, qui scintillas suspiriorum projicit in sublime.

γ. *Suspiria* vocat *ineffabilia*, quia Spiritus S. inflammat & ardere facit corda nostra supra modum & communem naturâ. Sæpenumerò tantâ fideles angustiâ premuntur, ut nec mente sibi constare videantur, nec linguâ officium suum facere possint. In voragine aliquâ atque abysso profundâ tristitiæ & perturbationum constituti videntur, è qua nullus pateat exitus. Tunc ergo, cùm & consilium & verba eos deserunt, Spiritus S. ineffabilia in ipsis suspiria excitat, quibus

Cœlum

Cœlum pulſant, ut eliciant Dei auxilium in humanis deſperatum. atque hæc ſuſpiria apud Deum ſunt loco magni clamoris. *Exemplo* Moſis, *Exod.14.15.*

3. *Quo cum fructu & ſucceſſu.* Indicat Apoſtolus, preces noſtras atq; ſuſpiria non fore irrita apud Deum, *verſ.27.*

α. Quia Deus ea ſciat & nôrit. Ideò vocat eum *Scrutatorem cordium*, quia intima Hominis habet perſpecta. Sic alibi paſſim, *Pſal.7.10. Jerem.17.10.& 20.12.*&c.

β. Quia non ſolùm cognoſcat, ſed etiam approbet & gratas habeat preces noſtras. Nam hoc *nôſſe*, de quo heic, non eſt tantùm *theoricæ* cognitionis, ſed & *practicæ* approbationis & acceptationis. Id quod Apoſtolus iterum triplici documento oſtendit, ex quo fructus & efficacia *Orationis* piorum probari poteſt.

a. Quia ea fructus eſt & donum Spiritus S. in nobis. Ideò dicit, *Deum nôſſe, quid ſapiat Spiritus*, id eſt, quæ Spiritus S. ſuſpiria in cordibus noſtris excitet. Quomodo autem id poſſet Deo eſſe ingratum, quod ab ipſius Spiritu in nobis habitante proficiſcitur?

b. Quia eſt *interpellatio Spiritus pro ſanctis*, ſive pro Filiis Dei, qui ipſi non poſſunt non eſſe accepti atque dilecti, utpote quos elegit, redemit ſanguine Filii ſui, vocavit, adoptavit, juſtificavit, ſanctificavit.

c. Quia iſta interpellatio fit ſecundùm Deum. Ideò dicit: *Spiritus intercedit pro ſanctis ſecundùm Deum*, id eſt, ſecundùm regulam & præſcriptum Divinæ voluntatis: quod quidem eſt, piè, ſanctè, non ex corrupto aliquo carnali affectu, ſed ex dictamine Spiritus S. ſecundùm Dei Verbum, & ob bonum aliquem finem, videlicet ad Dei gloriam & animarum noſtrarū ſalutem, interpellare. An poſſet hæc interpellatio ſuo carere effectu? *1.Joh.5.14.*

Probatio ſecunda Facilitatis & Poſſibilitatis ferendæ Crucis.

Altera Probatio deſumitur à *Crucis ipſius utilitate & efficaciâ*: quod ſci-

licet afflictiones ipsæ juvent & promoveant salutem; tantum abest, ut eam impediant. quæ summa est afflictorum fidelium consolatio. Verba Apostoli ita se habent:

Vers. 28. *Novimus autem, iis, qui diligunt Deum, omnia simul adjumento esse ad bonum, iis* videlicet, *qui ex præstituto* ipsius *vocati sunt.*

Vers. 29. *Nam quos præscivit, eos prædestinavit conformandos imagini Filii sui, ut is sit primogenitus inter multos Fratres.*

Vers. 30. *Quos verò prædestinavit, eos etiam vocavit: & quos vocavit, eos etiam justificavit: quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.*

Apostolus ad Consolationem his verbis digestam transitum sibi facit per prolepsin, quod *vers. 28.* arguit particula *δὲ: Οἴδαμεν δὲ, &c.* Potuisset quis contra præcedentia *regerere:* Minimè apparere, quòd Deus gemitus nostros & preces exaudiat, cùm nullus sit finis afflictionum. *Respondere* vult Apostolus: Quanquam Deus non confestim opituletur, tamen pro sua sapientia & bonitate, uti omnia alia, ita ipsas quoq; afflictiones dirigere & convertere in suorum salutem. Occurrit autem heic tùm *Propositio,* tùm *Confirmatio.*

I. *Propositio* habetur *vers. 28. Consolationis* ibi proponitur

1. *Certitudo. οἴδαμεν, scimus.* Hoc non de simplici & *theoretica* scientia, sed fiduciali & *practica* intelligendum: quâ non solùm nos *theticè* scimus, Fidelibus omnia cedere ad salutem; sed & quilibet Fidelis *hypotheticè* de salute suæ personæ & salutari exitu suæ Crucis persuasus est, esseque debet.

Πόρισμα. Vt meritò hanc *πληροφορίαν* opponamus dubitationi & trepidationi Pontificiorum, quâ volunt, Fideles jactari oportere inter spem conjecturalem salutis, & metum condemnationis. Sed de hoc ulterius monebo in *Quæstionibus.*

2. *Summa:* Fidelibus *omnia συνεργεῖν, cooperari ad bonum.*

a. *Τὰ πάντα, omnia,* dicit

a. *Intensivè* & *strictè.* Apostoli scopus docet, eum intelligere omnis generis afflictiones, quas Fideles sustinēt in his terris, inprimis verò Christi causâ, ut patet ex *vers. 35, 36.*

b. Ex-

b. *Extensivè & latè* ſub catholica particula poſſunt intelligi omnia alia: videl. res & creaturæ omnes, caſus & eventus omnes, non ſolùm ſecundi, ſed & adverſi. Addo, cum Auguſtino, ipſa peccata, quæ medicâ Divinæ ſapientiæ, bonitatis & miſericordiæ Dei diſpenſatione in Filiorum Dei ſalutem cedunt.

β. *Τὸ συνεργεῖν, cooperari ad bonum.* Obſerv.

α. Quòd dicat, *afflictiones* non ſolùm tendere ad ſalutem, ſed & ſalutem *ἐργάζεσθαι, operari.* non equidem naturæ ſuæ aut originis reſpectu, quo reſpectu ſunt partus peccatorum: ſed ex Dei gratia, ordinatione, moderatione & directione, quam modò ea de cauſa vocavi medicam: quia Crux eſt Animæ medela, ſerviens mortificationi Carnis, explorationi fidei, humilitatis, patientiæ & conſtantiæ Fidelium.

b. Quòd dicat, afflictiones *συνεργεῖν, cooperari.* Sic indigitatur, eas ſubordinari principali ſalutis noſtræ Δημιουργῷ, Deo, qui hoc medio utitur ad ſalutem noſtram promovendam.

3. *Subjectum.* Sunt Homines fideles, qui ſoli ſunt participes hujus Conſolationis. Heic obſervanda ſunt diligenter eorum γνωρίσματα, quæ ſuppeditat eorum deſcriptio, quâ ipſos περιφράζει in relatione aut ordine tùm

α. *Fidelium ad Deum.* Vocat enim *diligentes Deum*, ab *officio* Fidelium. Dilectio enim Dei ἀνυπόκριτος eſt certiſſimum tùm υἱοθεσίας, tùm fidei eorum τεκμήριον. quia nonniſi Filii Dei Deum poſſunt diligere, uti patuit ſuprà ex *verſ.5.* neque dilectio hæc abſque fide ſtare poteſt, cùm ſit Fidei fructus & effectus. Hinc meo judicio Apoſtolus maluit hâc περιφράσει, quàm ſimplici Fidelium nomine uti, quia dilectio eſt fidei veræ lydius lapis & examen.

β. *Dei ad Fideles.* Ideò pergit Apoſtolus, & dicit: τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν. ſic deſcribit eos à beneficio Dei, videlicet *Vocatione* κατὰ πρόθεσιν.

a. *Vocationis* mentionem facit, tanquã primi gradus, quo Deus nos ex miſeriæ noſtræ abyſſo ad ſe extollit.

b. *Vocationis* meminit κατὰ πρόθεσιν, *ſecundùm propo-*

ſitum, ſeu, ut Beza reddit, *ex præſtituto*. Vbi iterum animadvertenda ſequentia.

1. Heic non agi de *Hominis propoſito*, utì nonnulli nugantur. Sic enim non Deus vocaret ipſos, ſed ipſi vocarēt Deum, ſaltèm in ipſius præſcientia: quaſi nimirum propter præſcitam vocationis acceptationem fuiſſent vocati, contra illud: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Ergo de *Dei* agitur *propoſito*.
2. Nec omnes vocari, nec quicunq; vocantur, vocari ſalutariter: quia Apoſtolus mentionem faciendo *vocatorum* κατὰ πρόθεσιν, eos ſignificanter diſtinguit ab iis, qui non κατὰ πρόθεσιν ſunt vocati, ut doceat, Vocationem eſſe geminam, communem & particularem; inefficacem & efficacem, utì videbitur deinceps in analyſi verborum ſeqq.
3. Vocationem fidelium pendere à Dei æterno conſilio & decreto. Ideò facit mentionem προθέσεως, non ſimpliciter θέσεως: ne exiſtimetur, demùm in tempore Deum de ſuis vocandis & adoptandis conſilium iniviſſe.
4. Hinc porrò conſequitur, Vocationem hanc eſſe merè gratioſam, *2.Tim.1.9.* Placet itaq; mihi Calvini judicium, dum exiſtimat, Paulum hac epitaſi voluiſſe præcidere Juſtitiariorum phantaſmata, quaſi Dilectio Dei eſſet cauſa ſalutis noſtræ, quia Paulus Fideles per crucem ſalvandos deſcripſerat, tanquam diligentes Deum.
5. Vocatos ſecundùm propoſitum, diligentes Deum, de ſalute ſuâ eſſe poſſe & debere certos, & vocatione ſuâ totaliter & finaliter excidere non poſſe. *Rat.* 1. Eſt enim Vocatio ſecundùm πρόθεσιν, præſtitutum, quod apud Deum eſt ἀμεταμέλητον, *Rom.11.29.* adeóq; immutabile, *Pſal.33.11. Jeſ. 14.27.* 2. Quia Apoſtolus hoc ipſo argumēto fideles contra OMNIA, adeóq; contra peccata, & ex iis emergentes afflictiones, conſolatur & erigit, propoſitâ ipſis ſalutis certitudine.

II. *Confirmatio* jam ſequitur *Conſolationis* Apoſtolicæ, comprehenſa *verſ.29. & 30.* recitatis.

Ante omnia diligenter conſiderandum, quid probandum ſumat Apoſtolus. Dixerat *verſ.28. Iis, qui diligunt Deum, omnia conducere ad bonum: qui ex præſtituto Dei vocati ſunt.* Jam non id vult probare, quòd di-

ligen-

ligentes Deum sint vocati *κατὰ πρόθεσιν*: sed hoc, quòd iis, qui juxta *πρόθεσιν* sunt vocati, omnia cooperentur ad bonum, quódque adeò tribulationes non possint ipsorum saluti obesse, sed potiùs prodesse & inservire debeant ejus promotioni.

Quomodo & quo argumento hoc probat? Arguméto ducto à primaria & originali salutis nostræ omniumque ejus mediorum *Causa*, videlicet *Proposito nostræ Electionis*. *Occasionem* huic argumento præbuit mentio *τῆς προθέσεως*, *propositi*, *v.28. secundùm quod* dixerat *esse vocatos eos, qui diligunt Deum*. Vult ergo Apostolus futuram Credentium Gloriam ex summa illa causa per *Soritem*, sive illud Argumenti genus, quod vocant à primo ad ultimum, ita concludere:

Quos Deus præcognovit, id est, ab æterno prædilexit, eos *etiam prædestinavit, ut conformes fiant imagini Filii sui per crucem.*

Quos autem prædestinavit, eos vocavit.

Quos vocavit, eos justificavit.

Quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.

Ergo *quos Deus ab æterno prædilexit, eos etiam glorificavit*: & per consequens per crucem Gloria ipsorum impediri nō potest.

Clariùs autem Apostoli mens hoc *Syllogismo* comprehendi potest:

Quicunque sunt à Deo ab æterno præcogniti & præordinati ad conformitatem cum Filio Dei, illi sanè certò & infallibiliter glorificabuntur; adeóq; nullâ re, & per consequens nullâ tribulatione possunt impediri & dimoveri à salute; sed omnia potiùs cogentur ancillari ipsorum saluti & gloriæ, tanquam fini, ad quem sunt prædestinati.

Rat. Quia Dei *πρόθεσις*, *πρόγνωσις* & *προορισμὸς* nō possunt falli aut impediri.

At quicunque juxta Dei propositum sunt vocati, illi quoq; sunt ab æterno à Deo præcogniti & prædestinati ad conformitatem cum Filio Dei. *Quos enim præcognovit, &c. eos etiam vocavit. vers.29,30.*

Ergo iidem certò glorificabuntur, adeóque omnia ipsorum saluti cooperari debent. Ideò addit: *quos vocavit, eos etiam justificavit & glorificavit*; ut ostendat, eos per media ista certò ad Gloriam æternam perduci.

Sed jam verba Apostoli singula accuratiùs evolvenda. quia comprehendunt in se *au eam Salutis Humanæ Catenam*, per quam omnes Fideles electi ad salutem æternam perducuntur. ut quod de Scala Ja-

cobi dicitur *Gen.cap.28.12.* quòd ea è cœlo fuerit porrecta in terram, in qua Angeli Dei descenderint & ascenderint: id possit quoq; dici de hac Salutis nostræ Scala, in qua Filii Dei ascendunt & descendunt.

DE AVREA CATENA ET SCALA SALVTIS NOSTRAE.

Exhibet in ea Apostolus nobis distinctos annulos & gradus, supremos, medios, infimos. *Supremi*, sunt Salutis nostræ Causæ originales: *Medii*, sunt Salutis media. *Vltimus* Salutis τέλος & complementum indigitat. *Causæ primæ* sunt πρόγνωσις & προορισμὸς: *Media*, sunt *Vocatio, Justificatio*, & *Glorificationis inchoatio*, videlicet *Sanctificatio*: *Finis* est *Glorificationis consummatio.*

DE CAVSIS PRIMIS ET ORIGINALIBVS SALVTIS NOSTRAE, nominatim de PRAEDESTINATIONE.

Vers.29. sic loquitur Apostolus: *Quos præscivit, eos prædestinavit conformandos imagini Filii sui: ut sit is primogenitus inter multos fratres.* In his verbis Apostolus nobis reserat magnum Mysterium nostræ PRÆDESTINATIONIS, de quo ita disseram, Deo dante, ut appareat, nihil nos comminisci ex cœca Hominis ratione, sed docere solum & purum Dei Verbum.

Nam quòd heic agatur de *Prædestinatione ad salutem*, indubium esse debet. Sunt quidem, qui id inficias eant, & scribere audent, Apostolum prorsus non agere in hoc loco de Prædestinatione ad salutem, sed tantùm de Prædestinatione Filiorum Dei ad Crucem. Sed id falsissimum est. quanquam enim id negari non possit, Crucem quoq; sub hac Prædestinatione comprehendi; tamen in Cruce Prædestinatio hæc non terminatur: sed voluit Apostolus docere, fideles à Deo ad salutem & gloriam esse prædestinatos, quæ sit per crucem, exemplo Christi, adeunda, & in qua crux omnis & afflictio sit terminanda.

Rat. 1. Scopus Apostoli id evincit, qui non tantùm voluit probare: Crucem esse ferendam piis, quia sint ad eam prædestinati: sed, quia Crux cogatur servire eorum saluti & gloriæ, ad quam sint ipsi prædestinati, quæq; eam ob causam ipsis eripi non possit. 2. Hoc nimis frigidum foret fidelibus solatium: Crucem ipsis ferendam, quia sint ad eam prędestinati: nisi scirent, quid tandē ipsis post crucem sit exspectandum. 3. Glorifi-

rificationis Apostolus expressam facit mentionem, tanquam finis Prędestinationis. 4. Justificationis item meminit, tanquam Prædestinationi subordinatæ salutis nostræ causæ.

Sed missis his Sophistis, eorumque similibus, quibus illud Petri, *2. Ep. c. 3. v. 16.* dictum est, quòd, tanquam *ἀμαθεῖς* & *ἀστήρικτοι, scripta Pauli, ut & reliquas Scripturas, detorqueant, suo ipsorum exitio*: videamus, quid nobis Apostolus paucis commemoratis verbis pangat de *Mysterio Prædestinationis.* Indicat ejus 1. *Objectum.* 2. *Causam.* 3. *Modum & Formam.* 4. *Finem.*

I. OBJECTUM Prædestinationis Apostolus insinuat articulo, *ΟΥΣ, QUOS, vers. 29.* Satìs docet,

1. Deum non totum Genus Humanum, atque in eo omnes & singulos Homines ad salutem prædestinâsse, sed tantùm quosdam. Ideò non dicit: *omnes Homines præscivit, &c.* sed, *quos Deus* ex Hominibus *præscivit, eos prædestinavit.* Prædestinatis dehinc tribuit Vocationem, Justificationem & Glorificationem, nemine prædestinatorũ excepto. Quis autẽ dicet, omnes Homines vocari, justificari, sanctificari, glorificari? Adde, prædestinatos *vers. 29.* vocari *multos* Christi *fratres, quorum ipse sit primogenitus*, quod extendi nequit ad eos, qui ad familiam Dei non pertinẽt, quibus olim Christus dicet: *Nunquam novi vos. Matth. 7. 23.* Ideò Scriptura alibi *Prædestinationem ad salutem* vocat *Electionem*, eamque opponit *Reprobationi*: quia nimirum Electioni nullus est locus, ubi assumuntur omnes. Christus dicit: *Scio quos elegerim. Joh. 13. 18.* Paulus dehinc *Cap. 9. v. 11.* Esavum excludit ab Electione; & *vers. 22.* distinguit in Genere Humano inter *vasa misericordiæ*, & *vasa iræ.* Alibi, quum dicit, *nos non esse constitutos ad iram, sed ad salutem, 1. Thessal. 5. 9.* distinguit electos à reprobis, quorum *illos* paulò antè, *vers. 5.* vocaverat *filios lucis & diei*; *hos* verò *filios noctis & tenebrarum.* Quin-imò alibi electi à reprobis distinguuntur, tanquam pauci à multis, *Matth. 20. 16.* Cadit itaque heic Electio & Gratia universalis veterum & recentium Semipelagianorum.

2. Deum in Genere Humano non elegisse indefinitè & indeterminatè tantùm quosdam, qui credituri erant in Christum. Secùs enim Electio non esset personarum, sed rerum, non fidelium, sed fidei: nec posset esse Electio firma & certa, cùm fieri potuisset, ut nullus crederet, imò nulla potuisset fieri Electio,

Dd 3

quia nullus crediturus fuisset, qui non ad fidem fuisset prædestinatus.

Est ergo Electio definita & singularium personarum, de quibus alibi Apostolus: *Novit Dominus eos, qui sunt sui, 2.Tim.2.19.* Sic Christus dicit, *se oves suas nôsse & nominatim vocare, Joh.3.3,14.* tanquam sibi à Patre per electionem datas è Mundo, *Joh.17. 6,7,9,11,12,24.* Hinc decretum Electionis comparatur *Libro*, qui dicitur *Vita*, in quo Deus inscripserit electorum & servandorum nomina. *Apoc.20.12,15.& 21.27.*

II. CAUSA *Prædestinationis* indigitatur voce προέγνω, *vers.29.* οὓς προέγνω, *quos præscivit*, aut potiùs, *quos præcognovit.*

Quidam intelligunt generalem præscientiam & providentiam, quâ Deus ab æterno præcognita habuit omnia sua opera, *Act.15.v.18.* Sed hac ratione non solùm prædestinati ad salutem, sive electi, quos Deus dicitur præcognovisse, sed & reprobi, imò omnes aliæ Dei creaturæ hanc πρόγνωσιν ingrederentur.

Alii, cum Pelagianis & Semipelagianis, per præscientiam hanc intelligunt prævisionem vel bonorum operum, quæ Electi edituri, ut Pontificii; vel saltèm fidei, quâ Gratiam oblatam recepturi erant: cujus respectu Deus eos elegerit, & è contrario alios reprobaverit, quorum futuram incredulitatem Deus præviderit.

Ast 1. quid hoc aliud est, quàm perturbare & invertere ordinem salutis ejusq; mediorum? Nam juxta hanc interpretationem dicendum erat: Quos Deus vocare, justificare & sanctificare decrevit, eos demùm, quatenus ut vocatos, justificatos & sanctificatos præviderat, prędestinavit. Nam ubi prævisio operum bonorum & fidei antecedit, ibi quoq; vocatio, justificatio, sanctificatio, cùm ab his illa dependeant. Sed Paulus longè aliam nos docet τάξιν: *Quos prænovit, hos prædestinavit: quos prædestinavit, hos vocavit, &c.* ut doceat, Electionem non ex operibus aut fide pendere, sed contrà, juxta loca, *Tit.1.1. Act. 13.48.* 2. Si glossa hæc valeret, nulla fuisset in Deo prædestinatio. quia Deus neminem nec benè operaturum, nec crediturum, nec in fide perseveratu-

rum

rum prævidiſſet, niſi cui dona hæc largiri decreviſſet. Quòd ſi prævideret Homines benè operaturos, credituros, &c. ex ſuo dono, adeóque ex antecedente aliquo decreto ſanctitatis & fidei ipſis conferendæ, quæ ſunt ſalutis noſtræ media: jam non ex his pendebit Electio, ſed media ab Electione. Hinc rectè Auguſtinus: *Eliguntur ut credant, non credunt ut eligantur.* imò Electio non eſſet Dei, ſed noſtra: non Deus nos prior elegiſſet per ſuam εὐδοκίαν gratioſam; ſed nos priùs in Dei prævìſione Deum per noſtram εὐδοκίαν elegiſſemus. 3. Hinc ſalutis noſtræ cauſa præcipua non conſiſteret in Deo ejusque gratiâ & beneplacito, ſed in nobis & noſtra voluntate; adeóque ſalus noſtra non ſupra petram, ſed ſupra arenam fundata eſſet.

Quid ergo Paulus per πρόγνωσιν *Dei* intelligit? Conſtat, per notitiam Dei in Scriptura non ſemper intelligi ſimplicem & *theoricam* Dei ſcientiam, quâ Deus omnia cognoſcit; ſed & *practicam*, quæ cum amore, dilectione & approbatione conjuncta eſt, ut docent loca, *Pſal.1.6. Amos 3.2. Joh.10.14,27. Matth.7.23. 2.Timoth.2.19.* Itaque heic quoque talis Dei πρόγνωσις intelligitur, quâ Deus eos, quos præcognovit, pro ſuis acceptavit & prædilexit: & quidem ab æterno, ne exiſtimetur, dilectionem hanc Dei demùm cœpiſſe in tempore. adeóque innuitur hac voce vera & impulſiva Cauſa *Prædeſtinationis* ſive *Electionis*, ſcilicet æternus Dei & gratioſus amor, quo eos, quos elegit, complexus eſt, quem Apoſtolus alibi vocat εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, *benevolam voluntatem Dei. Epheſ.1.5.*

III. MODVS & FORMA *Prædeſtinationis* indigitatur, quum dicitur, προώρισε, *prædeſtinavit, prædefinivit*: quâ voce deſignatur certa in Deo ab æterno, juxta gratioſum ejus beneplacitum, facta diſtinctio eorum Hominum, quos prædilexit, tùm ad *finem*, videlicet ſalutem & gloriam æternam; tùm ad *media*, ad finem hunc ducentia & præordinata, uti eſt vocatio, fides, juſtificatio, ſanctificatio, &c. quorum etiam dehinc Paulus mentionem facit. Ideò rectè in paraphraſi Germanica vertitur τὸ προώρισε per verordnet: ut intelligamus, *Prædeſtinationem* non eſſe Decretum al quod ἄτακτον, quo electis ſalus à Deo ſit deſtinata citra interventum mediorum, quod dogma olim tempore Auguſtini, dictis *Prædeſtinatianis* exprobratum fuit, hodiéque à malefeeriatis Adverſariis Reformatis per rancidam calumniam objicitur.

Quan-

Quantumvis enim *Electio* sit Decretum absolutum, à *priori*, respectu videlicet causarum aliarum extra Deum, quas Prædestinationis Adversarii quærunt & ruspantur in Hominibus: tamen non est absolutum à *posteriori*, id est, à mediis Electioni subordinatis, per quæ Deus electos ad finem, scilicet salutem & gloriam perducit. quo sensu Apostolus alibi dicit, *Deum nos elegisse ab initio ad salutem, per sanctificationem Spiritus, & fidem habitam veritati, 2. Thess. 2. 13.* id est, ut per sanctificationē & fidem ad salutem perducamur: sicut etiā *Ephes. 1. 4.* dicit: *Deum nos elegisse ante jactum Mundi fundamentum, ut simus sancti & inculpati coram Deo cum charitate.* ubi apertè docet, sanctitatem, & per consequens fidem, non antegredi electionem, tanquam causam; sed sequi eam, tanquam ejus fructum & effectum.

IV. FINIS *Prædestinationis* innuitur, quum additur: *συμμόρφους*, scilicet *εἶναι* aut *γίνεσθαι, τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ*: *ut simus, aut fiamus conformes imagini Filii ejus.*

1. *Ad quid ergo sumus prædestinati?* Ad *conformitatem imaginis Filii Dei.* Qui restringunt hæc verba ad conformitatem crucis, Apostoli verba prorsus pervertunt, & præcipuo solatio Fideles defraudant, quo Apostolus eos contra tentationem Crucis vult erigere atque munire. Nam Paulus vult ex nostra prædestinatione, tanquam certo & immobili fundamento, concludere certitudinem salutis Fidelium, quâ niti possint contra omnes seculi hujus afflictiones & tribulationes. Hæc autem certitudo non potest præcisè colligi ex conformitate Crucis, citra respectum ad Gloriam eam sequuturam; sed potissimum ex conformitate Gloriæ: quod addita quoque verba clarum faciunt, quæ pangunt hujus conformitatis finem: *εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς*: *ut sit ipse primogenitus inter multos fratres.* Designatur enim heic prærogativa Christi, ceu *primogeniti*, in Gloria, ut patet ex loco *Coloss. 1. 18.* Sed id in *Quæstionibus* ex hoc loco, planius faciam.
2. *Quâ cum limitatione?* Modò dictum, *ut Christus primogenitus sit inter multos fratres*, id est, ut ipse inter eos, qui sunt à Deo prædestinati ad Gloriam, per crucem adeundam, primas teneat & prærogativam. Id enim vox PRIMOGENITI insinuat, per allusionem ad primogenitos in Veteri Testamento, qui prærogativam habuerunt præ fratribus reliquis, dignitatis, potestatis & hæreditatis.

DE MEDIS SALUTIS NOSTRAE, ac primùm de VOCATIONE.

Observandum ante omnia, Paulum, postquàm disseruisset de *Prædestinatione*, ex qua certitudinem Salutis voluit probare contra tentationem Crucis; non statim prosilire ad *Glorificationem*: sed *Media* quoque describere & interserere, per quæ Homines electi ad salutem perducuntur & perduci debent.

Causa hæc est, jam antè delibata, ne putetur, Decretum Prædestinationis ad salutem, sic esse absolutum, ut excludat ordinaria salutis media, & hinc 1. vel licentiam Homines profani arripiant peccandi, & sub Electionis suæ prætextu, in sceleribus variis, contemptu Verbi & vocationis Divinæ, infidelitate & impœnitentiâ, lasciviendi: 2. vel Homines alii pii & electi in continua anxietate & dubitatione de sua prædestinatione & salute hærere cogantur.

Media enim ista, quorum Apostolus meminit, serviunt 1. *Refutationi* impiorum, qui doctrinâ de *Prædestinatione* ejusque immobilitate abutuntur ad lasciviam carnis & impœnitentiam, dicentes: Si electus sum, in tuto est salus mea, etiamsi de pœnitentia & vitæ sanctimonia minimè sim solicitus: sin reprobatus sum, nullis bonis operibus potero salutem redimere. 2. *Consolationi* piorum & fidelium: quia ex his mediis possunt *πληροφορίαν* suæ Electionis & Salutis concipere. Atque hoc nunc monuisse sufficiat contra indesinentes eorum calumnias, quibus nostram, imò Pauli Apostoli ipsius, Doctrinam de *Prædestinatione* infamare solent, quasi per eam partim impietati, partim desperationi fenestra aperiretur.

Media autem Apostolus commemorat tria, *Prædestinationi* subordinata, *Vocationem*, *Justificationem*, & *Sanctificationem*, quæ sub voce *Glorificationis* comprehenditur.

VOCATIONEM indigitat, quum dicit *vers. 30. a. Quos verò prædestinavit, eos etiam vocavit.* Quid de hac *Vocatione* ejus *Causa* seu *origine*, *Subjecto* item & *Objecto* sentiendum sit, patebit ex sequentibus.

I. *Vocatio* alia est

Naturæ, ut, quum Deus nos vocat ad sui, seu *Creatoris* cognitionem per *opera* Naturæ, *Rom. 1. 20. Psalm. 19. 2. &c.* quæ hujus nō est loci. Hæc enim Vocatio est universalis, communis omnibus Hominibus, tendens non ad eorum salutem, sed tantùm *τὴν ἀναπολογίαν*.

Gratiæ; quum vocat nos Deus per *Verbum* suum ad cognitionem sui salutiferam, non solùm ut *Creatoris*, sed & *Redemptoris* in Persona Christi. Atque hæc iterum est partim

Externa, quæ fit per externam Verbi prædicationē, tùm

Legis, ut per eam Homo ducatur ad miseriæ suæ agnitionem, & desiderium Redemptionis.

Evangelii, per quod introducimur in Redemptoris ipsius ejusque meritorum & beneficiorum cognitionem.

Interna est huic *externæ* conjuncta. Fit autem per Spiritum S. qui Verbum auribus prædicatum imprimit Animæ, efficaciter Mentes illuminando, Corda convertendo, & in iis tùm fidem, tùm veram resipiscentiam operando, per quæ Verbum prædicatum acceptamus & obedientiam ei præstamus. Et de hac *Vocatione* agit heic Apostolus.

De utraque hac *Vocatione* notanda veniunt sequentia.

1. *Externam*, quæ fit per Ministerium Verbi & Sacramentorū, absq; *interna* esse prorsus inefficacem & invalidam. Docent id quotidiana impiorum exempla, qui licèt vocentur ad fidem & resipiscentiam, tamen non obtemperant, sed aspidum instar aures suas obturant, *Psal.58.6.* quorum corda Verbi prędicatione magis obfirmantur. *Jesa.6.10. Jerem.18.12. & 44.16,17. Ezech.33.31,32.*

2. *Internam* Vocationem ordinariè non fieri absque *externa*. Quantumvis enim Deus etiã citra Verbi Ministerium Animas Hominum afficere, illuminare & convertere posset; tamen placet ei hoc medio uti, tùm ad sublevandam fidei nostræ imbecillitatem; tùm ad explorandam nostram obedientiam, quam exigit à nobis per Hominũ Ministerium. Id docent loca *Jesa.59.21. Rom.1.16. 1.Cor.1.21.* quod observandum contra Anabaptistas & consimiles fanaticos, qui jactant suos enthusiasmos, & arcanas extra Verbum revelationes.

II. *Causa Vocationis hujus efficacis* est sola & indebita Dei gratia & misericordia *2.Tim.1.9.* Gratia magna est Dei, quòd se nobis patefaciat per opera sua in Mundo. Gratia major, quòd vocat nos per Verbum

bum ejusque Ministerium. Gratia maxima, quòd insuper nos mediante Verbo vocet intùs & efficaciter per Spiritum suum sanctum.

Nihil heic concedendum ullis meritis & dignitati, vel etiam habilitati, aut dispositioni alicui præparatoriæ, quæ pendeat ab Hominum vocatorum virtute, studio, merito: solius indebitæ, immeritæ & liberæ gratiæ Dei hoc opus est. Omnes enim naturâ sumus mortui in peccatis, *Johan.5.25.* ut non plus habeamus virium ad Dei vocationem percipiendam & acceptandam, quàm mortuus ad vocem alicujus viventis. Sumus filii iræ, quos Deus non vocatos abjicere potuisset in æternum à facie sua. Vocantur à Deo non rarò omnium indignissimi, quales Galilæi tempore Christi: prætereuntur in speciem digniores. *Matth.11.21.&c.* Liberrima heic est Dei vocantis dispensatio, qui vocat quos vult, præterit quos vult, citra omnem *προσωποληψίαν*. *Joh.3.8. Rom.9.15,16.* Hinc Apostolus *v.28.* nominavit *Vocationem κατὰ πρόθεσιν*: & nunc *v.29.* derivat eam non ex Hominum demerito & dignitate, sed ex gratiosâ Prædestinatione: *quos prædestinavit*, ait, *hos vocavit.*

Documentum gratiosæ hujus Vocationis Deus olim exhibuit in Gente Israëlitica, quam in Abrahæ persona, tanquam arido trunco, discrevit ab aliis Gentibus, quas reprobavit, *Psal.76.2,3. & 147.19,20.* & quidem ex merè gratuito amore, citra intuitum ejus dignitatis præ aliis, *Deuter.7.8. & 9.6. & 10.14,15.*

Idem documentum exhibuit Deus tempore Novi Testamenti in Vocatione Gentium indignissimarum. *Ephes.2.12,13.* juxta oraculum, *Jesa.65.1.*

Facessant ergo veteres Semipelagiani Massilienses, qui causam *Vocationis* voluerunt esse præscientiam crediturorum. Sic enim Prosper apud Augustinum, *Tom.VII.p.m.1224. Prævisos*, inquiunt, *à Domino credituros, & ad unamquamq; Gentem ita dispensata tempora & ministeria Magistrorum, ut exortura erat bonarum credulitas voluntatum.* Sic postea de iisdem Hilarius, *p.1228. Dicunt esse præscientia Divinæ, ut eo tempore, & ibi, & illis veritas annunciaretur, vel annuncietur, quando & ubi prænunciabatur esse credenda.*

Hanc crambem recoctam hodiè nobis reponunt, qui, uti volunt Electionem niti vocatione & fide; ita Vocationem volunt niti habilitate & bonâ dispositione vocandorum: ut

qui donis naturalibus benè & congruè utantur, in Vocatione per Verbum aliis præferantur.

III. *Subjectum Vocationis* non sunt omnes & singuli Homines. Nam Veteris Testamenti tempore hoc Judæorum fuit privilegium, *quòd credita ipsis fuerint eloquia Dei, Rom.3.2. Psal.147.19,20. Gentes* autem *Deus sivit propriis earum viis incedere.* Et constat, etiam Novi Testamenti tempore multas Hominum myriadas aliquot seculis de Evangelio Christi nihil quicquam audivisse.

Vocatos verò quod attinet, distinguendi veniunt secundùm *Vocationis* modum *externum* & *internum, efficacem* & *inefficacem.*

1. *Externè* vocantur promiscuè quilibet Homines, boni & mali, fideles & infideles, electi & reprobi. Nullum heic discrimen. Christus id insinuat parabolâ de *Sagena, Matth.13.47.* & de *Nuptiis, Matth.22.2,&c.* Alibi electos vocatos distinguit à vocatis reprobis, *Matth.20.16.* Discrimen tantùm est in Vocationis fine. *Electi* enim vocantur à Deo cum intentione salvandi: *Reprobi* vocantur, ut per vocationem reddantur *αὐτοκατάκριτοι*; adeò ut ipsis ea cedat ad mortis odorem & condemnationis materiam: quia nimirum Vocationem repellunt, & Gratiam oblatam per incredulitatem & impœnitentiam respuunt.

   Dices: Atquî gratia ad ipsos non pertinet, si solorum sit electorum? Ergo meritò respuere videntur.

   Resp. Respuunt eam non tanquam ad se non pertinentem, ex conscientia videlicet suæ reprobationis: sed, tanquam extrinsecùs oblatam, per infidelitatem, hâcque ratione eam sibi impertinentem reddunt.

2. *Internè* etiam multi Reprobi vocantur ad tempus, usque ad gratiam & donum illuminationis, *Hebr.6.4,&c. 2.Petr.2.20.* absq; tamen Spiritu sanctificationis, quem capere non possunt, *Joh.14.17.* Hinc *Vocatio* hæc ipsis inefficax est ad salutem. Quanquam enim lucem cœlestis veritatis habeant in mentibus, & per gratiam coërcentem aut reprimentem pravitas cordis nonnihil cohibeatur, ne foràs sese prodat per aperta flagitia; unde aliqua quoq; apud tales mutatio vitæ ac morum deprehenditur: tamen intùs semper corda retinent lapidea & incircumcisa. sicut Solis luce etiam lapides irradiantur, non tamen liquefiunt aut mollescunt, sicuti hoc

vide-

videmus fieri in cera & glacie: imò instar luti corda talium per Verbum magìs indurantur.

3. *Efficaciter* tandem vocantur ad salutem soli *Electi*. Vocantur enim ex *Electionis præstituto, v.28.* Ideò *v.29.* prædestinatorum Paulus hanc *Vocationem* facit propriam, dicens: *quos prædestinavit, hos vocavit.* Innuit sic, *Vocationem* hanc esse Electionis testificationem. *Rat.* quia per eam efficaciter adducuntur ad fidem, ut patet ex locis, *Joh.6.44.& 17.6.* Augustinus *Tom.VII. Lib.de Prædest.Sanct.Cap.8.* id explicat evidenter & eleganter: *Gratia, quæ occultè humanis cordibus Divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur. Quando ergo Pater intùs auditur & docet, ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum & dat carneum. Sic quippe facit filios promissionis & vasa misericordiæ, quæ præparavit ad gloriam. Cur ergo non omnes docet, ut veniant ad Christum, nisi quia omnes, quos docet, misericordia docet: quos autem non docet, judicio non docet? quoniam cujus vult miseretur, & quem vult obdurat: Rom. 9.18. sed miseretur, bonum tribuens; obdurat, digna retribuens.*

IV. *Termini* deniq; *Vocationis* cōsiderandi, *Unde* & *Quò* vocemur.

1. *Unde?* Ex communi Generis Humani miseria tùm *culpæ*, tùm *pœnæ*, in quam præcipites nos dedit lapsus Protoplastarum. Ex hac ipsi postea à Deo vocati in Paradiso per concionem Dei primùm *Legalem*, subinde *Evangelicam, Gen.3.* Inde Abraham vocatus, *Gen.12.1,&c.* ejusque posteri in Ægypto. Hinc quoq; Gentes vocatæ in Novo Testamento. *Eph.2.11,12,13.*

2. *Quò* vocamur? Restringunt quidam, uti jam dictum de *Prædestinatione*, etiam *Vocationem* hanc prædestinatorum ad *Vocationem crucis*: quasi verò Apostolo aliud esset propositum, quàm Fideles contra Crucis molestias consolari de Salutis ipsorum certitudine & glorificatione, quæ sit crucem & afflictiones subsequutura; ex prædestinatione ipsorum & vocatione ad salutem.

Sciendum ergo, *Vocationis* hujus scopum esse salutem æternam, cui deserviunt media ad hunc finem tendentia, ad quæ pariter vocamur, videlicet CHRISTUS, qui annunciatur vocatis Redemptor, resipiscentia, fides in Christum, vitę sanctimonia, patientia, perseverantia, &c.

Hactenus de primo Salutis medio, scil. Vocatione.

DE IVSTIFICATIONE.

Alterum succedit Salutis nostræ *Medium* in aurea ejus Catena, videlicet IVSTIFICATIO, de qua parciùs nunc agendum veniet, quia uberiùs locus iste suprà, *Cap.1,2,3,4,& 5.* fuit pertractatus.

Sic ait Apostolus, *vers.30.b.* καὶ οὓς ἐκάλεσε, τούτους καὶ ἐδικαίωσεν: *& quos vocavit, hos etiam justificavit.* Observanda heic veniunt sequentia.

I. *Justificationem* ab Apostolo, uti *Vocationi*, ita quoq; *Electioni* postponi & subordinari. Non enim dicit: *quos justificavit, hos prædestinavit & præcognovit*: sed; *quos præcognovit & prædestinavit, hos vocavit & justificavit.* Indicat sic Apostolus, *Justificationem* non *Electionis*, sed hanc illius esse causam.

Ratio hæc est: quia Justificatio fit non nisi per fidem. Fidem autem non habemus ex nobis-ipsis, sed ex gratia Vocationis efficacis & Electionis, uti patet ex locis, *Rom.10.14. Act.13.48. Joh.6.37,44,45.* Hinc dicitur donum Dei, *Matth.16.17. Philipp.1.29.* Nam quòd quidam alibi dicuntur credere, *Luc.8.13.* qui tandem pereunt, id non accipiendũ de fide salvifica, per quam fideles custodiuntur à Deo ad salutem, *1.Pet.1.5.* sed de fide historica, vel πρόσκαιρῳ seu temporariâ, quæ à fide justificante & salvifica differt, quantum distant, ut vulgò ajunt, æra lupinis, nummus adulterinus & mendax à genuino.

Itaque gravem iterum errorem errant Semipelagianorum Advocati, qui, uti Fidem, ita Justificationem per Fidem, hincque Sanctificationem, imò Perseverantiam quoque Sanctorum, non subordinant, sed præordinant Electioni: adeò ut nemo possit dici à Deo electus ad salutem, nisi in puncto prævisionis fidelis ipsius ἀϑανασίας. Quid hoc, obsecro, aliud est, quàm suspendere Voluntatem Dei ab Hominis voluntate, & Salutis Gloriam auferre à Gratia Divina, & transferre in Hominem?

II. Per *Justificationem* Apostolum non intelligere *Sanctificationem*, per quam Homo impius & injustus fiat in se & habitualiter justus, sive per infusionem habitus justitiæ, quod pertendere solent Pontificii. Ajo, neque à Paulo, neque alibi à Spiritu S. in S.Scriptura hoc sensu verbum *Justificare* aut *Justificari*, cui respondet in lingua originali verbum *Hizdik*, usurpari. Imò com-

compluribus in locis *Justificatio* expressè à *Sanctificatione* distinguitur, v.G. *1.Cor.6.11. Apocal.22.11.* quem tamen postremum locum Pontificii ad suæ Justificationis habitualis patrocinium arcessunt: ast perperàm & præposterè. Nam ibi particula ἔτι, non significat Justificationis incremētum, sed continuationem & perseverantiam: aut, si quis malit de incremento interpretari, non de Justificationis *actu*, sed *sensu* & πληροφορίᾳ in cordibus Fidelium intelligatur.

Itaque sensu & acceptione forensi *Justificationem* ut alibi & suprà, ita heic quoque Paulus accipit, & nihil aliud hac voce intelligit, quàm absolutionem Hominis peccatoris coram tribunali Dei, quâ ipse, propter Christum ejusq; meritum, coram Deo pro justo habetur & acceptatur, per peccatorum remissionem, & imputationem justitiæ Christi.

Probatur ex hoc ipso Capite, quia *Justificatio* opponitur Accusationi & Condemnationi, *vers.33,34.* Sic suprà *Cap.5.v.16.* τὸ δικαίωμα opponitur κατάκριμα. & *Cap.4.v.5,6.* Paulus expressè docet ex *Psal.32.v.1.&c.* *Justificationem* nihil aliud esse, quàm *Remissionem peccatorum*, & *Imputationem justitiæ*, quæ est extra Hominem, scilicet in Christo. Et sic passim alibi quoque *Justificandi* verbum usurpatur, *Proverb.17.15. Jesa.5.23.&c.*

Ergo *Justificare* Paulo nihil est aliud, quàm absolvere Hominem peccatorem coram judicio Dei. Hæc Justificatio

1. Fit α. à Deo, qui justificat: β. ex mera ipsius gratia & misericordia, *Rom.3.24.* propter meritum Christi, *Ibid.* scilicet redemptionem ejus: γ. respectu nostri per fidem, scil. tanquam organum & instrumētum, quâ Christi justitiam apprehendimus. quo sensu suprà dictum, *Fidem imputari ad justitiam, Rom.4.5.* nempe non actus ipse credendi, sed res credita & per fidem apprehensa.
2. Consistit *Justificatio*, tum in *abjudicatione peccatorum*, scilicet reatus tùm culpæ, tùm pœnæ, quæ fit per *Remissionem peccatorum*, propter passionem & mortem Christi: tùm in *adjudicatione justitiæ*, quæ fit per *Imputationem justitiæ* alienæ, scilicet Christi.
3. Hæc *Justificatio* unicum est proximum fundamentum & causa salutis nostræ: quia per eam *tollitur* salutis impedimentum,

mentum, videlicet *Peccatum*; & *ponitur* ejusdem vera causa, scilicet Christi nobis imputata *Justitia*.

Patet hinc, quàm perniciosus sit error Papistarum, qui istam Justificationem prorsus subvertunt. Nam 1. Justificationem transformant in Sanctificationem. 2. Justificationem dicunt fieri non solùm ex Dei gratia, sed etiam ex merito tùm *Congrui*, tùm *Condigni*: *Congrui* quidem in Justificatione (quam comminiscuntur) *prima*; *Condigni* verò in Justificatione *secunda*. 3. Hinc porrò meritum Christi, quantum in ipsis est, annihilant, & urgent satisfactiones proprias: 4. adeóque propriam suam justitiam stabiliunt, quâ volunt coram tribunali Dei consistere, exemplo Judæorum, *Rom.10.3.*

DE SANCTIFICATIONE.

Ex Justificatione porrò nascitur SANCTIFICATIO, sicut calor ab igne, rivulus è fonte: quæ nihil aliud est, quàm Renovatio Hominis peccatoris, per Spiritum S. qui veterem Hominem in ipso crucifigit & mortificat, & novum Hominem vivificat; totumque Hominem refingit ad Imaginem Dei, ut desinat peccare, & deinceps justitiæ vivat secundùm Dei voluntatem.

Hoc beneficium etiã est merè gratuitum: pendens à merito Christi, virtute videlicet Passionis ejus, Mortis & Resurrectionis.

Discrimen autem à *Justificatione* est in sequentibus.

1. *Justificatio* est *Sanctificationis* causa, & hæc illius effectum.
2. *Justificationis* forma est Justitia imputata aliena, scilicet Christi: *Sanctificationis* autem est inhærens & per Spiritum S. in nobis effecta.
3. *Justificatio* fit simul & semel, idque in momento: *Sanctificatio* autem fit sensim, successivè & gradatim.
4. *Justificatio* nostra est perfecta, quia plenè absolvimur, plenè peccata remittuntur, & Justitia Christi perfecta imputatur: *Sanctificatio* autem est imperfecta: quod inde patet, quia adhuc Carnem & Corpus peccati circumferimus.
5. *Justificatio* non est medium tantùm Salutis, sed & causa, & fundamentum. *Sanctificatio* est quidem medium seu via ad salutem; non tamen ejusdem causa & fundamentũ, juxta

aliud

illud Bernhardi: *Bona Opera sunt via ad Regnum, nec tamen sunt causa Regni.* Hoc ergo sciendum, Sanctificationem esse medium quoque Salutis.

Inquis: Sed Apostolus heic tacet. Non enim dicit: *Quos justificavit, hos sanctificavit*, sed statim ad *Glorificationem* descendit.

Resp. Includitur *Sanctificatio*, ut antea dictum, *Glorificationis* quia est ejus initium, quod fit in hac Vita. Nam *Glorificationis* pars erit suo tempore plena nostra in Corpore & Anima sanctificatio.

DE GLORIFICATIONE.

Vltimus annulus superest, videlicet GLORIFICATIO. Vbi observanda veniunt duo.

1. Quid per *Glorificationem* intelligat? Plenam illam beatificationem Electorum, quæ fiet in altero seculo, quâ α. ipsi solutis vinculis mortis & sepulcri resuscitabuntur ad Vitam æternam. β. Corpore & Animâ plenè clarificabuntur. In *Anima* quidem, perfectâ sapientiâ, sanctitate & justitiâ; in *Corpore* verò, fulgore inenarrabili, ad-instar Stellarum & Solis ipsius. γ. Pervenient ad plenam communionem Jesu Christi, Sponsoris & Capitis, & per ipsum totius Sacræ Triados. δ. Angelis sanctis associabuntur. ε. Et in Cœlo Cœlorum in Dei pleno conspectu ac fruitione, omnibusque cœlestibus inenarrabilibus gaudiis vivent in sempiterna secula.
2. Quòd ista *Glorificatio* superioribus appendatur, & quidem in præterito perfecto, *Hos glorificavit*. Cur non dicit, *glorificabit*, sed *glorificavit?* Ad innuendam hujus beneficii certitudinem & infallibilitatem: sicut alibi, *Ephes.2.6.* Q. D. Quos Deus elegit, eos certò & infallibiliter perducet ad Gloriam æternam; & quidem tàm certò, quasi jam actu ipso essent glorificati.

Quanquam sano etiam sensu dici possit, Electos jam esse glorificatos, non solùm in Dei *decreto*, nec in *spe* tantùm, sed etiam *re* ipsâ. Quia jam glorificati sunt actu ipso in Christo Capite, cujus Gloria est Gloria ipsorum, cujus Vita est Vita ipsorum: ac licèt nunc sit abscondita, tamen suo tempore plenè in ipsis patefiet. *Coloss.3.3, 4. 2.Cor.4.11.*

ΠΟΡΙΣΜΑ. Ex prędictis omnibus jam evidenter liquet certitudo

& immobilitas Salutis nostræ: quòd videlicet ea non possit nobis ullâ cruce, nec ab ipsis portis Inferni eripi. Hoc ipsum enim Apostolus hoc in loco agit & docet, persuasos esse debere fideles de salutis suæ firmitate contra tentationem & scandalum crucis ac variarum hujus seculi afflictionum & persequutionum.

Ration. 1. Quia *Electio* eorum est immobilis. *Quos enim Deus elegit, hos glorificabit certò.* Hinc Christus testatur, *Electos seduci non posse, Matth. 24. 24.*

2. Quia *Vocatio* eorum secundùm propositum est immobilis. *Quos enim Deus vocavit, hos quoq; glorificabit.* Hinc *Vocatio* dicitur *ἀμεταμέλητος, Rom 11. 29.*

3. Quia dehinc *Justificatio* eorum per fidem est immobilis. *Quos enim Deus justificavit, hos etiam glorificabit.* Hinc postea, *vers. 33. 34.* docet Apostolus, apud justificatos nullam accusationem, nec condemnationem ampliùs locum habere.

4. Quia *Sanctificatio* eorum quoque immobilis est. Quanquam enim sit imperfecta, & non raro sua patiatur deliquia atque eclipses, tamen totaliter & finaliter in ipsis obliterari non potest. *Rom. 11. 29. Philipp. 1. 6.*

Meritò itaq; proscribimus eorum dogma, qui docent, verè fideles, justificatos, & per Spiritum S. regenitos, posse totaliter deficere, hâcq; ratione salute æternâ excidere. quo quidem dogmate fidelibus præcipua consolatio cōtra omnis generis tentationes eripitur. Quid enim solatii nobis contra peccatum & Diabolum restabit, ubi *πληροφορία* salutis nobis adimitur, propter incertitudinem & lubricitatem nostræ in gratia perseverantiæ? Nunquid in perpetua anxietate & trepidatione pectora nostra fluctuare necesse est? Nam si in nos ipsos respiciamus, & vires nostras metiamur, quam inveniemus spei anchoram? quis noverit, se esse perseveraturum? Quòd si in Deum respiciamus ejusq; nobis assistentem gratiam atque virtutem, pingitur ea ab his Doctoribus mutabilis, & a variis tentationibus superabilis.

Et tamen isti Homines, quando non idem cum ipsis stamus, sed cum Paulo docemus, Salutem nostram nisi immutabili Electionis decreto; clamant, nostram doctrinam esse fontem desperationis. Ego verò contrarium dico, illam doctrinam esse fontem veræ consolationis, quæ totam nostram Salutem dicit pendere non ab Homine, sed à sola Dei nos ad salutem eligentis gratia: & è contrario doctrinam illam esse fontem desperationis, quæ docet, Salutem nostram originaliter

naliter pendere non ab Electione, quâ Deus nos ex indebita gratia, citra ullam respectum illius nostræ dignitatis, meriti aut conditionis, quæ nos eligibiles reddiderit, prædestinavit ad salutem æternam: sed ab Electione nostra, quâ nos priores Dei gratiam oblatam per fidem elegerimus; & quidem conditionaliter tantùm; scilicet si in hac fide usq; ad finem perseveraverimus. Ratio evidentissima hæc est, quia per hanc doctrinam fundamentum nostræ salutis collocatur extra Deum in Homine: per nostram autem extra Hominem in solo Deo, ejusque immutabili gratia.

PARS II. CAPITIS VIII.

Hactenus Apostolus *primâ* hujus Capitis parte *Impugnationem* instituit præcipuorum Salutis nostræ impedimentorum, instruendo Fideles *Consolatione* salutari contra geminam Tentationem, tùm *Peccati* in ipsis residui; tùm *Crucis* & afflictionum, quæ eos manent in præsenti seculo. Sequitur nunc in *altera* Capitis hujus parte EXPUGNATIO atq; TRIUMPHUS de iis, *vers.31.usq; ad fin.Cap.* Instituitur autem per *καύχησιν* seu *Gloriationem* contra omnis generis hostes atque tentationes. Hæc *Gloriatio* instituitur ab Apostolo tùm in *genere*, tùm in *specie*.

א. *De Gloriatione Christiana in genere.*

Habetur ea in verbis sequentibus.

Vers.31. *Quid igitur dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

Vers.32. *Is quidem, qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum; quomodo non etiam cum eo illa nobis omnia gratificabitur?*

In quibus verbis occurrit

I. *Propositio ἐρωτηματική*, per *interrogationem, vers.31.*

1. *Quid igitur dicemus?* Q.D. Quid nunc volumus aut possumus movere in contrarium, quod possit corda nostra vexare, & consolationem Christianam hactenus propositam auferre? Vult dicere: Nihil prorsus. Sicq; indicat Apostolus, Doctrinam suam *παρακλητικήν*, de Salutis nostræ certitudine & firmitate, esse & manere indubiam & inconcussam, cui contradici jure nec possit, nec debeat.

2. Id verò meliùs nunc explicat, addens: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Vbi docet seqq.

α. Multos esse, qui sint contra nos: hostes videlicet & adversarios Fidelium. Sunt Hostes

Interni, *Caro* videlicet cum suis concupiscentiis, quæ militant adversùs Spiritum, uti vidimus Capite præced.

Externi sunt, 1. *Spirituales*, Diaboli, *Ephes.6.12.* qui modis omnibus Filiis Dei insidiantur, eosque infestant, nunc ad dextram in prosperitate, nunc ad sinistram in adversitate; & machinantur eorum interitum, temporale scilicet atque æternum exitium. *1.Pet.5.8.* 2. *Corporales, Mundus* impiorum, jacens in malo, *1.Johan.5.19.* semen antiqui Serpentis, *Genes.3.15.* suntq; partim *aperti*, qui conviciis, calumniis, minis & persequutionibus, Fidelibus infesti sunt: partim *occulti*, qui insidiantur iis per blanditias, sub specie amicitiæ, eosque seducere conantur fallacibus promissionibus, illecebris voluptatũ, & malo exemplo.

β. Hostes omnes nõ posse ampliùs obstare nostræ Saluti, hincq; nobis non esse coram ipsis trepidandum. Ideo dicit: *Quis contra nos?* Non negat ipsorum hostiles insidias, insultus, conatus: sed negat eorum efficaciam & successum. Q. D. In vanum est, quicquid contra nos & salutem nostram tentant & machinantur. Frustrantur suo proposito & voto: salus nostra, ad quã sumus electi & vocati, stat & manet in tuto inconcussa.

γ. Rationem annectit, dicens: *Si Deus pro nobis, &c.* Observetur,

a. Apostolum unum Deum opponere omnibus Hostibus nostris numero multis, magnitudine potentibus. Quanta omnium vanitas, si comparentur cum Deo, qui à nostris stat & militat partibus! Si *sunt* & *vivunt*, unde id ipsis, nisi à Deo, *Act.17.28. 1.Cor.8.6. Rom.11:36.* qui momento ipsos in nihilum redigere potest. Si *multi* sunt & numerosi, quid sunt aliud, quàm *stilla situlæ, & pulvis tenuis staterӕ? Jesa.40.15.* Si *astuti* sint, quis Deo sapientior, *cujus intelligentia est impervestigabilis? Ibid.v.28.* qui *deprehendit sapientes in astutia ipsorum, & consilium reluctantium præcipitat. Job.5.13.* Si *potentes* sint, quis Deo potentior, qui *pro sua insuperabili virtute omnia sibi subjicere potest? Philipp 3.21.* Si *sublimes* sint *& gloriosi*, *quis par est Jehovæ Deo nostro, altissimè habitanti? Psal.113.5.* Si *furiosi* sint, minaces, iracundi, truculenti; *quis coram Dei indignatione subsistat? quis consistat in æstu iræ ejus, cujus excandescentia fun-*

funditur velut ignis? ipsa rupes evertuntur ab eo, conflagrat terra à conspectu ipsius, & orbis habitabilis cum omnibus habitantibus in eo. Nah.1.5,6.

b. Quòd dicat, *Deum esse pro nobis*, id est, à nostris stare partibus. Quomodo Deus sit pro nobis, repetendum est ex præcedentibus, quando dixerat, *Deum nos præcognovisse, prædestinâsse,&c.* Vult ergo sic ratiocinari Apostolus:

Si Deus pro nobis est, id est, si Deus prædicto modo nos præcognovit & dilexit ab æterno, hinc nos prædestinavit ad conformitatem Filii ipsius, si vocavit, justificavit, glorificavit: quis jam poterit nos dimovere à salute?

Atqui Deus sic est pro nobis,&c.

Ergo &c.

II. *Confirmatio* generalis *Propositionis*. Ex quo indicio seu τεκμηρίῳ nobis fidelibus indubiè constare possit, quòd Deus sit pro nobis, ut à nemine sit timendum? Indicat Apostolus *vers.32.* ex missione seu traditione Filii Dei. Quomodo enim Deus evidentiùs potuisset demonstrare suum erga nos amorem, quàm hoc ipso? Hinc alibi quoq; Dei erga nos dilectio ex hoc effecto commendatur. *Joh.3.16. 1.Joh.4.9.* Hîc autem Apostolus describit

A. *Beneficium*, cujus indicatur

1. *Efficiens Causa*, videlicet *Deus Pater*. Is enim dedit & misit Filium. *Joh.6.38,&c.* Hinc Christus Legatus Patris. *Jesa.61.1.*

Causa impellens nulla alia, nisi ipsius gratiosus & indebitus amor erga genus Humanum. *Joh.3.16. 1.Joh.4.9.*

2. *Materia*, est *Filius* ipse *Dei*, qui dicitur heic *proprius*, sicuti alibi *unigenitus*; ut distinguatur à nobis, qui sumus Filii per gratiosam Adoptionem. Ipse autem est Filius non ex *gratiâ*, sed *naturâ*, quia genitus ab æterno ex substantia seu ὑποστάσει Patris.

Atq; hoc pertinet ad amplificationem Gratiæ Dei. Alienum si dedisset filium, nõ ita commendâsset Gratiam suam. Sed quia dedit Filium proprium, unicum, unigenitum, patefecit suum erga nos admirabilem & incomparabilem amorem. Abraham quidem suum amorem erga Deum olim declaravit, offerendo Isaacum, *Genes.22.v.1.&c.* Sed nulla paritas 1. inter Abrahamum & Deum: *Genes.18.27.* 2. Neq;

inter illius & hujus amorem. Nam illius amor fuit debitus, hujus indebitus. 3. Neq; inter donum. Nam illius donum non fuit tantùm de proprio. Isaac enim fuit æque & magis filius Dei, quàm Abrahami.

3. *Forma* seu *Modus*. Dicitur 1. *παρέδωκεν*. Quo ipso non tantum indigitatur Missio in Carne, sed digitus intenditur in ipsius Oblationem in Cruce, Passionem & Mortem. Ideò 2. magìs explicatur, *οὐκ ἐφείσατο, non pepercit*. Quod summè est emphaticum: quo innuitur, sic eum tradidisse, ut non habuerit Filii sui, aut majorem ipsius quam nostri rationem; sed potius eum exposuisse Morti.

Notetur autem, hæc ipsa omnia heic Deo tribui. Scimus, quid fecerint Hostes, quòd Judas ipsum prodiderit, Pontifices, Scribæ, Seniores ipsum Pilato tradiderint, Pilatus in Judæorum gratiam eum ad Crucem condemnaverit. Et tamen Paulus heic dicit, Deum tradidisse eum, Deum, scilicet Patrem, ei non pepercisse, nempe ut appareat, quæcunq; cum Christo gesta fuêre, gesta fuisse ex Dei consilio. *Act. 3.13.*

Object. Ergo dices. Judas, Judæi, Romani, fuerunt excusati, Christum prodendo, tradendo, occidendo.

Resp. Nihil minus. Nam, ut Augustinus ait, *in uno & eodem opere benè distinguendum, quod Deus facit & Homo. Quod enim Deus facit benè, id Homines faciunt malè, quia non eo animo, modo ac fine faciunt, quo Deus.* Tradidit Deus in mortem Filium suum. Id fecerunt quoq; Judæi & Diabolus. Sed magno discrimine. Deus fecit ex amore erga nos, ad Gloriam suam, & Redemptionē nostram. Longè aliter se res habet cum Diabolo & Hominibus, qui in morte Christi explere voluerunt suum odium adversùs eum.

4. *Finis. ὑπὲρ ἡμῶν πάντων.* Vbi duo observ.

α. *Finis* ꝗ. *Quorum causâ sit traditus? Omnium nostrûm.*

Quæritur heic, An ergo Christus pro omnibus & singulis Hominibus sine discrimine sit mortuus?

Resp. 1. Heic per [*Omnes*] non intelligit Apostolus omnes & singulos Homines, sed omnes & singulos electos & fideles. Ideò non dicit simpliciter, *omnium*, sed *nostrûm*: ut appareat, de quibus loquatur, videl. Electis fidelibus, quod ex præcedentibus & sequentibus verbis clarissimè patet;

patet: *Quis contra nos?* Item: *quomodo nobis non omnia gratificabitur?* Item: *quis intentabit crimina adversùs Electos Dei?* Sciendum ergo, Christum propriè, si intentionem & fructum Mortis ejus spectemus, mortuum esse pro Electis tantùm & fidelibus, ut patet ex aliis locis, *Joh.10.15. Pono animam meam pro ovibus. Joh.17.v.9,19. Pro eis rogo, non pro Mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi, quia tui sunt. Eorum causâ sanctifico me ipsum. Act.20.28. Deus Ecclesiam suo proprio sanguine acquisivit.*

2. Cæterùm alio quoque sensu dici potest, Christum mortuum esse pro toto Genere Humano, si ita intelligatur: Quotquot ex toto Genere Humano servantur, non nisi per mortem Christi servari: perinde ac si dicam, Sol omnes in Mundo Homines illuminat, ut sensus sit, quotquot Homines in Mundo illuminantur, illuminari à Sole. unde tamen non sequitur, cœcos quoque ab eo illuminari.

β. *Finis 3. Quo fine sit traditus? Pro nobis.* Intelligendum sic, tùm

a. *Loco nostro.* Quia Christus, Filius Dei, nostram sustinuit Personam in Tragœdia Passionis suæ, utì etiã in reliqua Vita. Quod enim nobis incumbebat, id in ipsum fuit à Deo Patre conjectum, nempe nostra ad Legem prçstandam obligatio, reatus peccatorum & pœna. *Jesa.53.6. 2.Cor.5.21.* quò pertinuit olim typus Hirci Mosaici, cui peccata populi imposita fuêre. *Levit.16.20,21,22.*

Object. An non hoc Justitiæ Dei cõtrarium est: cùm scriptum sit, *Ezech.18.20.* nullum pro altero, neq; innocentem pro nocente luiturum.

Resp. 1. Adeò hoc non est Justitiæ Dei contrarium, ut potiùs hæc Traditio Filii Dei sit maximum Justitiæ Dei documentum, quia Deus hoc ipso demonstravit justam suam contra peccata iram & judicium: quòd adeò noluerit peccata nostra impunita dimittere, ut potiùs voluerit ea plectere in Filio unigenito. Hinc Paulus suprà, *Rom.3.25.* dixit: *Ipsum placamentum fuisse à Deo factum, ad declarationem suæ Justitiæ.*

2. Neque inde argui potest Deus injustus, quòd istam Satisfactionem exegerit à Filio, & quidem innocente. *Rationes* sunt, α. Quia Filius ejus, qui portavit peccata nostra, non potest dici alius aut peregri-

nus

nus à nobis. Luit enim in natura, non peregrina, sed nostra, quam assumpsit, in qua noster Frater factus est, & nostram Personam sustinuit. *β.* Neq; potest dici prorsus innocens. Nam licèt in se fuerit innocens, fuit tamen nocens respectu nostri, quorum ipse sustinuit Personam in Judicio Dei, tanquam Sponsor & Fidejussor nobis à Deo datus. *γ.* Non fecit id invitus, sed volens, liberrimè, sicuti dicitur *Psal. 40.8,9.* *δ.* Facere id potuit, & quidem fine suo damno: potuit enim eluctari è Morte, id quod fecit in Resurrectione. Vnde patet, nihil contra Dei Justitiam heic militare.

b. *Bono nostro. Pro nobis*, id est, pro Salute & Redemptione nostra, videlicet ut nos possemus Deo Patri reconciliari, liberari à morte & condemnatione æterna, & æternum salvari. Hic finis est istius Traditionis.

B. *Beneficii* hujus *Vsum*, quem indicat ἐρωτηματικῶς, dicens: *Quomodo non etiam omnia nobis cum eo gratificabitur?* Observ. Non dicit simpliciter, πάντα, sed, τὰ πάντα, nempe *omnia illa*, de quibus egit in præcedentibus verbis.

α. Ergo τὰ πάντα sunt omnia illa superiora beneficia, ex amore Dei eligentis profecta, Vocationis, Justificationis, Glorificationis: inprimis autē auxilii in calamitatibus, & assistentiæ atq; protectionis contra omnis generis hostes, Peccatum, Diabolum, Mundum, &c.

β. Quomodo verò πάντα ista sequuntur ex hac Traditione? *Resp.* Per Consequētiam minoris ex majore. Sic enim vult Apostolus argumentari.

Qui dedit majus, cur negaret minus? Qui dedit Filium suum, cur non & alia beneficia, Filio minora? Si quis magnus Princeps alicui Civitatem donaret, cur negaret domum? Sic Christus argumentatur, *Matth.6.25. & Luc.12.22.* Qui dedit Corpus & Vitam, cur non daret victum & amictum? Hæc enim sunt longè minora, quàm illa.

Atqui dedit Dominus majus, videl. Filium. Quid enim potuisset dare majus, quàm Filium proprium, & quidem in Carne nostra, &, quod maximum, in Mortem maledictam, ei non parcendo? Si dedisset Regnum aliquod, si Cœlum, Terram, &c. hoc adhuc

huc leve respectu hujus boni, quòd dedit Filium. Nam nihil majus habuit. Quis enim major Dei Filio? Nihil charius. Est enim Filius ille dilectus. *Matth.3.17.& 17.5.*

Ergo cur non daret beneficia minora? Cur peccatoribus denegaret gratiam & veniam? Cur orantibus denegaret aurem & exauditionem? Cur miseris denegaret patientiam & auxilium? Cur famelicis denegaret cibum? Cur exulibus denegaret ductum & comitatum? Cur nudis denegaret vestitum? Cur tentatis & perturbatis denegaret solatium? Cur morituris denegaret præsentiam atque virtutem?

γ. Porrò notandum, quòd Apostolus dicat, χαρίσεται. Non dicit tantùm, *dabit*, sed, χαρίσεται, *gratificabitur*, id est, gratis dabit. ut notet fontem omnium Dei beneficiorum, nempe puram & indebitam Dei gratiam. Nam ex hac Gratia, uti antea dictum, dedit quoq; Filium suum. Ex eadem Gratia dat nobis reliqua omnia beneficia, dum vocat, justificat, sanctificat, dum assistit nobis contra Hostes, & tandem nos glorificabit.

2. *De Gloriatione Christiana in specie.*

Postquàm Apostolus *generaliter* in verbis præcedentibus contra omnis generis Hostes triumphâsset, nunc triumphat *in specie*, ac nominatim 1. contra *Peccatum:* 2. contra omnis generis *Adversitates*, per quas salus Fidelium in periculum & dubium vocatur. Triumphat

A. Contra *Peccatum*. Non sine causa incipit à Peccato, quia hinc omne malum. Hinc ira Dei, hinc Legis tonitrua, hinc Diaboli insultationes, hinc Mors, hinc metus Inferni. Et experiuntur maximè pii peccati non solùm reliquias, sed & inde nascentes gravissimas tentationes sæpè in conscientiis. Ac cùm à Peccato, seu ex vi Peccati, duplex electis Fidelibus immineat *Tentatio*, tùm *Accusationis*, tùm *Condemnationis*, Apostolus utramque fortissimis argumentis depellit.

1. Contra *Tentationem Accusationis*. Sic dicit Apostolus,

Vers.33. *Quis intentabit crimina adversùs electos Dei? Deus est, qui justificat.* Vbi observ.

α. *Pro quibus* pugnet Apostolus atque triumphet. Pro *Electis*, non pro *Reprobis*, infidelibus. Hi enim nullam habēt in ista consolatione atq; triumpho partem, cùm jaceant & maneant in ira & condemna-

tione. Sed pro *Electis*, de quibus videlicet antea *vers.29.* loquutus fuerat.

8. *Contra quos.* Omnes accusatores Electorum, nempe propter peccatum. Nam *Accusatio* est criminis intentatio. Vbi *observ.* non esse hunc Apostoli sensum, quasi nemo prorsus sit, qui Electos accuset. Nam, proh dolor! sunt Accusatores multi.

1. *Lex*, quæ accusat ipsos propter transgressiones. Lex enim data est propter transgressiones, *Rom.3.20.* & patefecit peccatum, *Rom.7.7.* adeóque est contra nos, & accusat nos coram Dei judicio.
2. *Diabolus*, qui Accusator est coram Deo fidelium. *Apocalyps.12.10.*
3. *Conscientia* intra nos, cujus accusationes & tormina non rarò fideles sentiunt. E.G. David, *Psal.51.5. Peccatum meum identidem est coram me.*
4. *Creatura* aliæ, *Rom.8.20.*

Ergo hoc tantùm vult indicare Apostolus: Quis accusando seu intentando crimina proficiet aliquid, nempe in Judicio Dei, suâ accusatione? Quasi dicat: Nemo & nihil: non Lex, non Diabolus, non Conscientia, non ulla Creatura.

7. *Quomodo, & in quo triumphet.* In beneficio Divino Justificationis. *vers.33.b. Deus est, qui justificat.* Vnde patet

a. *Justificationis* nomen & definitio, videlicet absolutio Hominis peccatoris coram Dei Tribunali, quâ Deus peccata remittit, & impium acceptat pro justo.

Object. Quomodo hoc fieri potest, dicat aliquis, cùm, qui nocentem condemnat, & nocentem absolvit, sint ambo horrori Deo? *Proverb.17.15.*

Resp. Hoc fit & fieri jure potest propter intervenientem satisfactionem Christi. de qua antea pluribus, & deinceps ex *vers.34.*

b. *Justificationis* fructus, Consolatio & Triumphus contra Peccatum. Frustrà intentantur iis crimina apud Deum, qui eos ex misericordia propter Christi satisfactionem absolvit à reatu, & justos pronunciat.

2. Contra *Tentationem Condemnationis.* Sæpè enim etiam Electi in metum incidunt *Condemnationis*, ut tantùm non prorsus desperent, existimantes, propter peccata se excidisse salute. Hinc sæpè

sæpè nulla vel exigua in cordibus ipsorum viget consolatio. Sed vide, quomodo Apostolus iterum occurrat huic tentationi, dicens:

Vers.34. *Quis est, qui condemnet? Christus is est, qui mortuus est: imò verò, qui etiam suscitatus est: qui etiam est ad dextram Dei, qui etiam intercedit pro nobis.*

Observa

α. Ἐρώτησιν, *interrogationem*: Τίς ὁ κατακρίνων; *Quis est, qui condemnet?* Iterum non vult dicere, Electos nullos habere condemnatores. Condemnat enim eos Lex, *Rom.3.19.* Condemnat eos Diabolus, Conscientia ipsa & Cor sæpe, in gravioribus tentationibus; cōdemnat eos Mundus. Hoc ergo tantùm vult dicere: *Quis jure condemnabit ipsos?* quasi dicat, Nemo. Ita immunes ipsos dicit à condemnatione, sicut etiam initio hujus Capitis *vers.1.*

β. Αἰτιολογίαν. *Quare?* Argumenta profert verbis seqq. Vbi

a. Ante omnia notandum: quòd nulla quærat Apostolus in Electis ipsis, v.g. ipsorum sanctitatem, dignitatem, merita, uti faciunt Justitiarii, qui venditant coram Dei tribunali sua opera & justitias. *Ratio.* Quia hęc omnia nō sunt pro nobis, sed contra nos. Nam 1. plura sunt nostra peccata, quàm opera bona, & vel unum peccatum adimit nobis omnem justitiæ, extra veniam consideratæ, gloriationem, *Jacob.2.10.* 2. Ipsa bona nostra opera & justitiæ potiùs ad condemnationem, quàm ad Justificationem serviunt, propter suam imperfectionem & impuritatem. *Jesa.64.6. Job.9.30,31.*

b. Ergo Apostolus argumenta extra nos, contra condemnationem nostram, quærit in solo Christo: & opponit tentationi condemnationis 1. *Mortem* Christi: 2. *Resurrectionem:* 3. *Sessionem ad dextram:* 4. *Intercessionem* pro nobis. Gradatim. Quot argumenta, tot triumphi contra Peccatum, Legem, Diabolum, Mortem, Infernum.

1. *Mortem* Christi. *Christus, ait, mortuus est.* Quare? Propter peccata nostra, *Rom.4.25.* ut deleret

Chirographum peccatorum. *Coloss. 2.14.* Ergo propter peccata condemnare nos non potest,

Neque *Lex,* quia Morte suâ Christus Legem, id est, maledictionem Legis abolevit, dum *κατάρα factus pro nobis. Galat. 3.13.*

Neque *Diabolus.* Nam *Christus morte suâ abolevit eum, qui mortis habebat imperium, videlicet Diabolum. Heb. 2.14.*

Neque *Conscientia,* quia Christus sanguine suo, quem in morte profudit, eam abluit & purificavit.

Neque *Mors,* neque *Infernus,* quia Christus abolevit Mortis imperium.

2. *Resurrectionem, vers. 34. imò verò qui etiam suscitatus est.* Sic *Rom. 4. vers. ult.* Hâc enim Christus docuit, & toti Mundo patefecit, quòd Victor sit Peccati, Diaboli, Mortis, Inferni: quia non potuit in Morte detineri.

3. *Sessionem ad dextram. Ibid. qui etiam ad dextram Dei.* quod plus est. Argumentum validissimum Salutis nostræ, & immunitatis à condemnatione, quia Christus non solùm Mortem & reliquos Hostes nostros vicit, sed etiã ascendendo de illis triumphavit, & jam pro nobis & loco nostro Cœlum possidet, fruens cœlesti gloriâ, majestate, potentiâ: unde & nos defendit & protegit contra omnes Hostes nostros corporales & spirituales.

4. *Intercessionem, vers. 34. qui etiam intercedit pro nobis.* Vbi nota, Intercessionem quoque Christo tribui in gloria. Nequaquam enim deposuit Pontificis munus. Intercessit quidem in Terris existens, *Johan. 17.* & quidem multis cum lacrymis, *Heb. 5.7.* sed non cessat etiamnum & continuè intercedere pro nobis. *Quomodo?* Non per genuflexionem, ut in statu exinanitionis; sed per apparitionem coram Dei facie, quum se-ipsum ceu Hostiam vivam, olim pro nobis in ara Crucis immolatam, sistit & præsentat coram facie Patris cœlestis: sicque ipsum permovet, ut ejus intuitu non imputet nobis peccata, sed nos in & propter Filium habeat pro reconciliatis & acceptis.

B. Contra omnis generis *Adversitates,* quæ solent manere Electos fideles à variis hostibus, Satanâ, Mundo, Morte, &c. in quibus adversitatibus ipsi solent dupliciter tentari, dubitatione videlicet 1. de *amore Dei:* 2. de ejusdem *perseverantia & constantia.*

Con-

Contra dubitationem de Amore Dei in adversitatibus.

Tentatio non rarò gravis Fideles corripit tempore variarum calamitatum, an versentur in amore Dei, aut potiùs odio. Quâ ratione Apostolus huic tentationi obviam eat, indicatur verbis seqq.

Vers.35. *Quis nos separabit à charitate Christi?* Num *afflictio, num angustia, num persequutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius?*

Vers.36. (*Sicut scriptum est: Tui causâ occidimur totum diem: reputati sumus, velut oves destinatæ mactationi.*)

Vers.37. *Imò in his omnibus ampliùs quàm victores sumus per eum, qui dilexit nos.*

Consideranda heic veniunt

I. *Tentatio ipsa*, cujus occurr.

1. *Media*, videlicet varia mala & afflictiones, quarum Apostolus in his verbis meminit: quibus Fideles obnoxios esse, nimis est in propatulo: & probatur quoq; ab Apostolo *v.36.* ex *Psal.44.23.* Possunt illæ ex sequenti tabella cognosci.

MALA in
- *Genere.* θλίψις, *afflictio.*
- *Specie*, tùm
  - *Interna.* στενοχωρία, *angustia*, animi inprimis: nisi quis accipere malit de *captivitate*.
  - *Externa* in
    - *Genere.* διωγμὸς, *persequutio.*
    - *Specie*, quoad
      - Victum, *fames.*
      - Amictum, *nuditas.*
      - Vitam
        - *Periculum.*
        - *Gladius.*

2. *Modus.* Dubitatio de Dei amore. Quando enim Fideles tot calamitatibus vexantur, partes suas in hac tragœdia agunt

Diabolus, solicitans eos ad impatientiam, pusillanimitatem & desperationem.

Mundus, insultans iis per calumnias, convitia & anathemata.

Caro ipsa, tentans eorum fiduciam, spem in Deo & patientiam.

Exempla obvia Scriptura,& quotidiana experientia tantâ suppeditat copiâ,ut commemoratione non sit opus.

II. *Depulsio Tentationis.* Apostolus contrà jam insurgit atque triumphat *Argumento* gemino,

1. *Indemnitatis*, *vers.35.A. Quis nos separabit à charitate Christi?* Q.D. Etiamsi undique premamur & angustemur, sumus tamen & manemus in *charitate Christi.* Per hanc non intelligit eam,quâ nos Christum, sed eam,quâ Christus & Deus nos in Christo prosequitur, sicut suprà dixerat *Cap.5. charitatem Dei diffusam esse in cordibus nostris.*

2. *Victoriæ*, *vers.37. Imò in his omnibus ὑπερνικῶμεν &c.* Vbi Apostolus indicat tria,circa hanc Victoriam, quæ pertinent ad nostram consolationem.

α. *Nos vincere.* Ergo adversitatibus istis non opprimimur. Dat enim Deus virtutē patiendi & emergendi, *1.Cor.10.13. 2.Cor.4.8 &c.*

β. *Nos in his vincere*, scilicet omnia ista patiendo. Mirabilis hæc & παράδοξος victoria: quum undiquaque omnium malorum & calamitatum congerie obruimur, usq; ad dispendium & jacturam omniū fortunarum & ipsius denique vitæ, nos vincere. Mundus hanc non reputat esse victoriam, sed in his triumphare solet ipsos fideles,quos persequitur. Atqui Paulus contrarium dicit, nos in his & consimilibus non *vinci*, sed *vincere*. Ideò utitur verbo ὑπερνικῶμεν, ut doceat, nos *potiùs* & *magis*, juxta Bezæ paraphrasin, *esse victores*. Ita est. Vincimus enim 1. *Nos-ipsos* & Carnem nostram. 2. *Mundum*, quod Martyrum exempla condocefaciunt, quorum fidem nulli Hostium & Tyrannorum furores, sævitia & tormenta expugnare potuerunt. 3. *Diabolum*, qui nullis viribus & machinis salutem nobis eripere potest: quia in Semine benedicto,CHRISTO,caput ei jam contrivimus. 4. *Mortem*,

tem, quam ipsâ morte nostrâ abolemus: cùm mors nostra nihil sit aliud, quàm mortalitatis cum immortalitate commutatio. *1.Cor.15.55.*

7. Vnde possimus de Victoria hac esse certiores & persuasi.
Ex *dilectione* & *victoria* Christi. Ideò addit *vers.37.b.Victores sumus per eum, qui dilexit nos.*
Christus semel *vicit* pro nobis, id est, loco & bono nostro, suâ Passióne, Morte & Resurrectione.
Christus quotidiè adhuc *vincit* in nobis, tanquam Caput in Membris, assistendo nobis ex alto, nosque protegendo contra omnes Hostes, ipsamque potestatem tenebrarum.
Christus plenè tandem *vincet* & nos cum ipso in die novissimo Adventus sui gloriosi, quo Satanam & omnes Hostes suos ac nostros conteret sub pedibus nostris, *Rom. 16.20.* ut in æterna Gloria cum ipso triumphemus.
Atque hoc omne dimanat ex ejus *pura puta dilectione* erga nos, quæ ipsum, citra ullum respectũ nostræ dignitatis aut meriti impulit; ut nostro loco & bono horrendum illum agonem cum Peccato, Diabolo, Morte, Inferno omnibusque adeò Hostibus nostris adiret, & cum Vitæ suæ temporalis propriæ damno Victoriam nobis acquireret.

Contra dubitationem de perseverantia & constantia Amoris Dei in adversitatibus.

Hæc ultima est pars *Triumphi Apostolici*, quâ Apostolus decidit hanc *Quæstionem*: An Fideles non solùm ingruentibus variis adversitatibus, possint ac debeant persuasi esse de Dei erga se dilectione: sed etiã, an in eadem sint constanter permansuri? Id verò Apostolus affirmat atque defendit postremis hujus Capitis verbis.

Vers.38. *Nam mihi persuasum est, neq; mortem, neq; vitam, neq; Angelos, neq; Principatus, neq; Potestates, neq; præsentia, neq; futura:*

Vers.39. *Neq; sublimitatem, neq; profunditatem, neq; ullam rem aliam creatam posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu, Domino nostro.*

Iterum heic venit considerand.
I. *Tentatio* de inconstantia Amoris Dei erga fideles. *Quæritur* enim,

enim, Num fieri possit, ut electi Dei excidant Dei amore aut charitate? Vbi

1. Per *charitatem Dei* non debet intelligi charitas nostra erga Deum, sed Dei erga nos: sicut antea quoque eodem sensu meminerat *charitatis Christi, v.35.*
2. Per *separationem à charitate Dei* Apostolus non intelligit imminutionem aliquam charitatis Dei erga nos, quoad sensum; quæ non rarò apud Fideles ad tempus deprehenditur in gravioribus tentationibus, quod exempla Jobi, Davidis, aliorumq; sanctorum satis addocent: sed finalem & totalem cessationem & jacturam amoris Dei erga nos.

Itaque *Quæstio* huc redit: An electi fideles, quos Deus dilexit semel, tanquam Pater, in Christo, in quo eos elegit ante jacta Mundi fundamenta, quos vocavit, justificavit, sanctificavit; possint ὅλως καὶ τελικῶς, totaliter & finaliter hoc Dei amore excidere, & contrarium ejus odium incurrere, sicq; in æternum perire?

Ratio quærendi est, multitudo & gravitas eorum malorum atq; adversitatum, quæ fideles his in terris circumstant, quarum etiam Apostolus *v.38.& 39.* per inductioné facit mentionem. Meminit enim

1. *Vitæ & Mortis.* Intelligit omnia, quæ viventibus aut morientibus accidere possunt, tùm prospera, tùm adversa.
2. **Angelorum**, **quo nomine intelligit *Spiritus malignos*, insidiantes fidelium saluti. quamvis extendi hoc nomen possit etiam ad *Angelos bonos* & *sanctos*, sed hyperbolico loquendi genere, ex hypothesi: si vel Angeli ipsi conarentur nos à Dei amore divellere, tamen id non possent; qualis locutio etiam occurrit alibi, *Gal.1.8.***
3. ***Principatuum & potestatum*, ἀρχῶν καὶ δυνάμεων. Per Hebraismum usitatum, abstractum pro concreto sumendo, intelligit *Principes* atque *Potentes*. Quidam exegeticè accipiunt iterum de *Angelis*. Nam alibi quoq; his nominibus & epitheris designantur, propter summam quâ pollent potentiam, tùm per naturam suam, tùm per Dei indulgentiam & dispen-**

dispensationem. *Ephes. 1.21. & 6.12. Coloss. 2.15.* Possunt tamen voces istæ commodè intelligi de *Tyrannis*, aliisq; *Potentibus* & *Magnatibus* hujus Mundi, à quibus Fidelibus impendent omnis generis insidiæ, latrocinia & persequutiones, sicut antea monuerat *vers. 36.* ex *Psal. 44.*

4. *Præsentium & futurorum.* Eventus quoscunque intelligit, tùm eminentes, tùm imminentes, tùm prosperos, tùm adversos. Piis enim luctandum est non tantùm cum dolore & sensu præsentium malorum, sed & cum metu impendentium periculorum.

5. *Sublimitatis & profunditatis.* Intelligit, quicquid in Mundo sublime vel profundum occurrit, v. g. Cœlum, atq; Elementa sub Cœlo, per quæ Hominibus non solùm beneficia, sed & judicia varia à Deo sunt exspectanda.

6. In genere tandem atque συλλήβδην meminit *omnis Creaturæ*. quia, cùm *omnis Creatura propter Hominem vanitati subjecta sit*, utì suprà *vers. 20.* indicaverat; videntur omnes veluti Creaturæ in Hominis exitium conspirare, nisi reprimerentur divinitùs, & in salutem Electorum dirigerentur.

II. *Depulsio* nunc sequitur hujus *Tentationis*, quâ Paulus satisfacit *Quæstioni* propositæ, & simul iterum triumphat de omnibus Hostibus & adversitatibus Fidelium. Opponit enim *Tentationi* prædictæ *certitudinem* & *constantiam charitatis Dei.* Est autem hæc *Certitudo*

1. REI, videlicet perpetuitas amoris Dei erga electos. *Nihil*, inquit, *nos separare potest à charitate Dei.* Indicat ergo, amorem hunc esse irrevocabilem & immobilem, & nunquam posse in odium & abjectionem Fidelium declinare.

Confirmat id certissimo argumento, pignore videlicet charitatis Dei, quum dicit, *eam esse in Christo Jesu, Domino nostro, vers. 39.* Hæc enim charitas est nobis per Christum comparata, & in Christo obsignata, ut, qui per fidem Christum apprehendit, in eo quoque particeps fiat immensi & nunquam finiendi Dei amoris. Atque id tria nomina, Christo heic tributa, insinuant.

Is enim noster est apud Deum æternus *Mediator.* Hinc vocatur CHRISTUS, id est, *unctus.*

Is æternus est noster *Salvator.* Hinc vocatur IESUS.

Is æternus est noster *Redemptor*, qui proprio suo sanguine nos sibi acquisivit in peculium, quod nunquam amissurus est. Ideò vocatur DOMINUS *noster*.

2. PERSONÆ. Quemadmodum non sufficit, Patrem constanti amore prosequi liberos suos, nisi iidem ejus certum aliquem sensum & persuasionem habeant apud semet-ipsos: ita non sufficit ad nostram consolationem, dilectionem Dei erga nos esse perpetuam & inseparabilem; nisi quilibet Fidelium de ea possit esse in corde suo persuasus, per indubiam πληροφορίαν. Hanc Apostolus insinuat verbo πέπεισμαι, *vers.38. Persuasus sum*, id est, certò hoc cognovi, nihil hæsitans, nec dubitans. *Considerandum* heic,

α. *Quorum sit ista πεποίθησις*. Loquitur quidem Paulus de se, sed sub persona sua inclusivè de omnibus Fidelibus. *Rat.* 1. Quia tentationi superiori, quâ Fideles nonnunquam sollicitantur ad ἀπιστίαν, seu dubitationem de salutis suæ & gratiæ Dei perseverantiâ, Apostolus nō suam tantùm, sed & in sua persona omnium aliorū Fidelium πεποίθησιν & πληροφορίαν vult opponere. 2. Hinc postea *vers.39.* non dicit, *Persuasus sum, nihil* ME *separare posse,&c.* sed, *nihil* NOS, electos scilicet & fideles omnes, *separare posse à charitate Dei.*

β. *Unde ista πεποίθησις oriatur.* Non heic comminiscenda extraordinaria aliqua & prophetica revelatio, quam habuerit Paulus, & quâ nunc destituantur alii Fideles. Sed dicendum, istam persuasionem esse persuasionem ordinariæ fidei omnium electorum. Nascitur enim ex fiducia in Christum, in quo & cum quo ipsi apprehendunt fiducialiter Dei charitatem, ut patet ex *vers.39.* hincq; etiam certiores redduntur de perseverantia in Dei amore & gratia, cogitantes de eo, quod Paulus suprà *vers.32.* indicaverat: Quibus Deus Filium suum proprium donavit, illis omnia alia, & per consequens quoque perseverantiam in fide, hincq; gratiam Dei, gratificaturum. Sed de his contra Adversarios Doctrinæ de Sanctorum Perseverantia pluribus monebo in *Quæstionibus*, quæ nunc sequuntur.

QUÆ-

QUÆSTIONES,
ex Cap. VIII. verſ. 17. uſq; ad fin. Cap.

Quæſt. I. An Paſſiones fidelium in hoc ſeculo promereantur gloriam futuri ſeculi? *Rat. dub.* ex *verſ. 17. b.* quia dicitur, *nos cum Christo pati, ut cum ipſo glorificemur.*

Reſp. 1. Jam ſuperiùs pag. 194. ad *Quæſt. IV.* dubium omne fuit diſcuſſum. *Verſus* 18. decidit litem, quando ſummam diſparitatem crucis præſentis & gloriæ futuræ deſcribit. Vbi nulla eſt meriti ad præmium proportio, ibi meritum non poteſt habere locum. Ita heic ſe res habet. Quid, quæſo mereantur paſſiones noſtræ? Sunt peccatorum λείμματα: ſunt finitæ, momentaneæ: ſunt, in συγκρίσει cum Chriſti paſſione, nullius valoris & pretii. Abſque Dei gratia, auxilio, quod Chriſtus promeruit, nobis ſunt ἀβάστακτοι, intolerabiles: & non niſi propter Chriſtum, ſi propter ejus nomen patiamur, honorabiles. An ergo poſſent eſſe meritoriæ gloriæ indebitæ, immenſæ, æternæ, & quidem in Chriſto ſolo, per & propter ipſius meritum adipiſcendæ. 2. Itaque ſciendum, gloriam futuram comitari crucem præſentem, non tanquam cauſam, ſed tanquam antecedens adjunctum, ei ad συμμόρφωσιν Chriſti præordinatum.

Quæſt. II. An non iniquum videri poſſit, Mundum hunc præſentem, propter Hominis peccatum, eſſe vanitati, uti habetur *verſ. 20.* ſubjectum? *Rat. dub.* quia Creaturæ, quibus cum Hominis culpa nihil fuit commune, videntur veluti innocentes pœnam luere alieni peccati? Hinc dicitur *verſ. 20. Creatura* οὐχ ἑκοῦσα fuiſſe ſubjecta vanitati.

Reſp. Si Mundus iſte, atque creaturæ Dei reliquæ nihil attingerent Hominem, dubio huic poſſet eſſe aliquis locus. Sed cogitandum, 1. Omnia propter Hominem condita, & in libra illius vel obedientiæ, vel inobedientiæ, non ſolum Hominis, ſed etiam totius Mundi fortunam à Deo primitùs fuiſſe ſuſpenſam. 2. Quicquid vanitatis ex peccato Hominis attraxit Mundus, id ceſſiſſe, propriè loquendo, non in pœnam creaturarum, quippe quæ per ſe & in ſe nullam habeant culpam; ſed in pœnam ipſi Homini, tanquam Mundi à Deo conſtituto gubernatori. 3. Nullâ interim injuriâ aliæ creaturæ à Deo affectæ, quia, ut dictum, conditæ à Deo fuerant tantùm in uſum Hominis, vel ſalutarem obedientiæ; vel noxium & pœnalem inobedientiæ, & conſequenter ad gloriam vel bonitatis, vel juſtitiæ Divinæ per eas exequendæ. 4. Τὸ ἄκων non pro voluntate, ſed pro inclinatione naturali accipiendum, ſecundùm quam omnis creatura fertur ad ſuam conſervationem & perfectionem.

Quæſt. III. Quæ nam & qualis ſit futura (*verſ. 21.*) τῆς κτίσεως ἐλευθέρωσις ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς, *liberatio Creaturæ à ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ Filiorum Dei?*

Reſp. Scio in varias & contrarias abire heic partes Doctores tùm veteres, tùm recentiores.

1. Sunt, qui dicant, ἐλευθέρωσιν hanc futuram per totius Mundi abolitionem κατ' οὐσίαν, ſecundùm ſubſtantiam, adeóque redactionem in nihilum, uti primùm ex nihilo fuit creatus: quia nimirum deſinendo ſervire impiorum abuſui, τὸ μὴ εἶναι, non eſſe, id eſt, in nihilum redigi, ipſi major ſit futura libertas, quàm τὸ εἶναι, eſſe aut exiſtere, ſed cum ſervitute conjunctum: ut, ſi quis Homo ad perpetuos remos, aut aliam aliquam intolerabilem ſervitutem damnatus, malit mori, quàm vivere, & mortem exiſtimet ſuam eſſe libertatem.

Militant hi pro ſua ſententia teſtimoniis S. Scripturæ, & rationibus quoq; ſpecioſis, inter quas hæc mihi videtur eſſe palmaria, quòd Mundus præſens fuerit tantùm in Ho-

minis, quà Viatoris, gratiam à Deo conditus: adeò ut, quum Homo pervenerit ad metam, sive immediatam Dei contemplationem & fruitionem, non opus ei sit futurum Mundo instaurato: inprimis, quòd locus ei sit futurus apud Christum in Cœlo Cœlorum, domicilio sanctorum Angelorum & beatorum: quod Theologi nostri judicant esse ἀφθαρτον, neque cum reliquo aspectabili Mundo periturum.

II. Alii in contrariam abeunt sententiam, Mundi ἰλαστήριον futuram non ejus substantialem φθορὰν, corruptionem: sed ἀνακαίνωσιν, per φθορὰν sive destructionem vanitatis Mundo propter peccatum Hominis adhærentis, hincq; servitutis; & μεταμόρφωσιν novam massæ illius, in quam sit, juxta Petri prædictionem, 2. *Epist. cap.* 3. sua abolitione redigendus, in alium longè gloriosiorem statum, quàm fuerit ab initio, etiam ante peccatum Hominis: quæ instauratio & transformatio Mundi sit habitura rationem novæ creationis, sed non immediatæ, quæ fiat ex nihilo; sed ex ruinis & cineribus, ut sic loquar, Mundi prioris aboliti.

Sane haud levioribus armis ex Scriptura & rationibus hos pro sua sententia militare puto, inprimis ex hoc ipso Apostoli loco.

1. Quia ἡ ἀποκαραδοκία, *anxia exspectatio, vers.* 19. & ἐλπὶς, *spes*, vix videtur conciliari posse cum totali Mundi destructione, quæ potius metus, quàm spei & desiderii esse videtur.

2. Quia finis istius *spei* & *exspectationis* est *α. Revelatio Filiorum Dei, vers.* 19. *β. Libertas Gloriæ ipsorum.* quo ipso innui videtur, cùm nunc Mundus iste in servitute jaceat, tanquam libidini & profanationi impiorum obnoxius; eum aliquando liberatum iri ita ab hac servitute, ut deletis impiis atque in Infernum detrusis, electi Dei Filii appareant, & fiant liberi & gloriosi Domini & possessores Mundi, ex jure & privilegio ipsis hinc inde promisso in Verbo Dei, *Psal.* 37. 9. 11. 29. Sanè cùm impii majore ex parte dominium Mundi sibi vendicent, pii è contrario sæpè, tanquam extorres, vix vestigium plantæ pedis possideant, exemplo Abrahami, *Act.* 7. 5. videri posset, impios præ piis promissionum talium participes esse.

3. Quia, quum dicit Apostolus, *vers.* 20. *Mundum ἀκουσίως, non suâ sponte*, sed quodammodò invitum *vanitati subjectum*, hincque liberationem anhelare, videtur indicare: Mundi inclinationem tendere solum ad vanitatis & servitutis depositionem, adeóque ἀνακαίνωσιν, non autem ad ἐξολόθρευσιν, sive annihilationem.

4. Quia *vers.* 21. *spes liberationis Mundi* confertur cum *spe liberationis Filiorum Dei ex sua servitute*: quæ utique eorum liberatio non futura est ipsorum destructio & plenaria abolitio, sed restitutio in liberum & gloriosum statum.

5. Quia Mundus aspirans ad suam liberationem, *vers.* 22. comparatur Mulieri parturienti, & quidè in societate veluti cum Filiis Dei, quod insinuant verba συστενάζει & συνωδίνει. Atqui Mulieris parturientis destructium non est sui extinctio & interitus, sed liberatio ab onere partus, & transitus à tristitia ad lætitiam, à labore ad requiem.

III. Existimo ego, *Quæstionem* hanc esse problematicam, nec tanti momenti, ut ea lites in Ecclesiis & Scholis conciere debeat. Nullus enim in ea Fidei articulus periclitatur, & quilibet potest heic abundare suo sensu, quanquam, quod nonnulli in sententiam priorem de Mundi substantiali & totali interitu ideò inclinare videntur, ut Corporibus glorificatis post hoc seculum auferant omnem localitatem, id nullâ ratione tolerari possit. Simul enim ab iis auferunt dimensionem &, ut sic dicam, corporeitatem: sic cum Mundo per suum phantasma abolebunt ipsa corpora, juxta illud Augustini, *Epist.* 57. *Spatia locorum tolle corporibus, & nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt.*

Interim fibula mihi non videtur esse laxanda iis, qui inclinantes in alteram sententiam.

tiam de Mundi instauratione, per vanitatis annexæ abolitionem, licentiosiùs & audaciùs mihi differere videntur de Animalium quoque brutorum, rerumque aliarum inanimatarum renovatione. Melius est in talibus σωφρονεῖν, quàm ὑπερφρονεῖν, ἐπέχειν, dubitare, aut potiùs tacere de occultis, quàm litigare de incertis. Τὰ κεκρυμμένα οὐ δεῖ ζητεῖν, τὰ δὲ δεδηλωμένα μὴ οὐκ ἀγνοεῖν. Sufficere ista nobis possunt:

1. Mundi præsentis faciem prorsus perituram, juxta illud Apostoli: Τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου παράγει, 1. *Cor.* 7.31. Hinc *Apocal.* 20.11. & 21.1. mentio fit fugæ *Cœli, Terræ, & Maris*: & *cap.* 21.23. absentiæ *Solis & Lunæ*, in Mundo novo. Et tamen *Cœli & Terræ novæ* fit mentio, 2. *Pet.* 3.13. *Apocal.* 21.1.
2. Fideles electos Mundi hujus usurâ vel ad Dei cognitionem, vel ad ullas necessitates alias, quas præsentis vitæ status requirit, nequaquam ampliùs opus habituros, cùm Deus sit futurus omnia in omnibus, ipsiq; immediatâ ejus contemplatione & communione, atque in ipso omnium incomprehensibilium bonorum, sint perfruituri.
3. An verò Deus ad Electorum non solùm quoad Animæ, sed & Corporis ulteriorem felicitatem, lætitiam, gloriam; hincque ad sui æternam concelebrationem, ultra sedem eam beatorum, in quam nunc Animæ eorum post mortem commigrant, Mundum præsentem in novam aliquam compagem & Theatrum Gloriæ suæ sit transformaturus; præstat vel ignorare, vel silentio præterire, quàm scrupulosè scrutari.

Quæst. IV. An suspiria & gemitus fidelium sub cruce sint argumentum sufficiens futuræ ipsorum plenæ liberationis & glorificationis? ex *vers.* 23. *Rat. dubitandi:* quia impii quoque & infideles gemunt sub cruce.

Resp. Magnum est discrimen inter gemitus Fidelium & Infidelium. 1. Illorum gemitus procedunt à Spiritu S. hos in ipsis excitante, ut postea docet Apostolus *vers.* 26. Hinc eodem hoc *vers.* 23. *eos* dicit *suspirare, qui habent primitias Spiritus*. Infidelium autem gemitus non operatur Spiritus S. sed sola crux ejusque sensus. 2. Fidelium gemitus, quibus aspirant ad sui liberationem, proficiscuntur ex fide: Infidelium gemitus ex infidelitate. 3. Fidelium gemitus conjunctam habent spem, patientiam, exspectationem: Infidelium gemitus conjunctam habent impatientiam, fremitum & tandem desperationem.

Quæst. V. Cur dicat Apostolus eodem *vers.* 23. *nos exspectare* demùm *nostram adoptionem & ἀπολύτρωσιν*? *Rat. dubit.* quia jam per Christum adoptionem & redemptionem sumus consequuti, *vers.* 16. & suprà, *Cap.* 24, 25. *Coloss.* 1.14.

Resp: 1. Distinguendum, uti jam monitum in Analysi, inter *Adoptionis jus*, quod jam habemus; & inter ejusdem *fructum & complementum*, videlicet plenam ejus fruitionem, de qua heic loquitur Apostolus, hanc demùm exspectamus, ut patet quoq; ex loco 1. *Joh* 3.2. 2. Disting. inter *Redemptionis meritum*, quod jam completum est; & ejusdem *efficaciam & applicationem*, cujus heic habemus tantùm *inchoationem*, exspectamus autem plenam *consummationem* in die novissimo, qua de causa Apostolus non simpliciter meminit *Redemptionis*, sed *Redemptionis corporis nostri*; quia Redemptio, per Christum parta, demùm in futura nostra Resurrectione & glorificatione consummabitur.

Quæst. VI. Cur dicat Apostolus *vers.* 24. *nos spe esse servatos*, cùm tamen *versu præced.* dixerit, *nos exspectare* demùm *nostram redemptionem*?

Resp. Eo ipso, quòd Apostolus dicit, *nos spe esse servatos*, insinuat, nos salutem nondum habere in *re*, sed tantùm in *exspectatione*. *Spes* enim nihil est aliud quàm exspectatio

venturæ salutis. Quod autem Apostolus non dicit, nos spe esse *servandos*, sed *servatos*: arguit Spei nostræ infallibilitatem & certitudinem, quâ salutis nostræ consummationem tàm certò exspectamus per fidem, ac si eam jam consequuti essemus, juxta descriptionem illam fidei, quæ habetur *Hebr.*11.1. Atque id suprà quoq; indigitaverat, *Cap.*5. *vers.*2,5. Sic *Heb.*6.18,19.

Quæst. VII. Nunquid Apostolus videatur *vers.*24. dicere ἀντιφατικά: *Spes si videatur, non est spes. quod enim quis videt, cur speret?*

Resp. Est tantùm ἐναντιοφάνεια, quia *Spei* nomine Apostolus metonymicè non *habitum* Spei indicat, de quo, ut in Analysi dictum, mentionem fecerat in proxime præcedentibus verbis, per ἐσώθημεν: *Spe servati sumus*; sed *objectum* spei, τὸ ἐλπιζόμενον, *rem speratam*, videlicet salutis nostræ complementum, & fruitionem hæreditatis cœlestis.

Quæst. VIII. Cur dicat Apostolus *vers.*26. *Spiritum S.* ὑπερεντυγχάνειν, *intercedere pro nobis? Rat. dubit.* quia alibi solus Christus nobis proponitur tanquam *Paracletus*, seu *Advocatus* apud Patrem, 1.*Joh.*2.1.

Resp. Ariani quidem ex hoc, ut & alio loco parallelo *Joh.*14.16. ubi Christus promittit *se missurum alium* παράκλητον, voluerunt evincere, Spiritum S. esse minorem Filio & Patre, quia agat Advocatum nostrum & deprecatorem apud Patrem & Filium: quin & Filium esse minorem Patre, quia agat nostrum supplicem Mediatorem apud Patrem. At sciendum, non sine gravi causa Christum *Spiritum S.* vocare *alium* à se *Paracletum*, non tantùm, quia alius est *numero*, sed etiam, qui alius est alio *sensu* & *modo*. Christus Advocatus est noster apud Deum *subjectivè*, respectu muneris sui Mediatorii, in quo nullum habet socium. Solus enim ipse apud Patrem interpellat pro nobis virtute & vigore meriti sui, præsentans se in Carne nostra, & loco nostro coram facie Patris, *vers.*34. Spiritus S. autem dicitur esse Advocatus & Paracletus noster, non *subjectivè* & *immediatè*, sed *effectivè* & *mediatè*, in nobis & per nos: quatenus consolationem gignit & suspiria in Cordibus nostris, quibus Deum inclamamus. Atq; id Apostolus diserte explicat, quum dicit, *eum intercedere pro nobis suspiriis ineffabilibus*; non, inquam, suis propriis suspiriis, sed iis, quæ ipse in nobis gignit. Hinc suprà quoque *vers.*15. dixerat, *nos per Spiritum clamare ad Deum, Abba*, id est, *Pater*. quo sensu quoq; alibi, *Galat.*4.6. Spiritus describitur ut *clamans, Abba Pater*, effectivè nimirum, quia nos clamare facit: sicut Sol calidus vocatur effectivè, quia res alias calidas facit. Sic alibi 1.*Cor.*8.3. dicitur, *eum, qui diligit Deum, cognitum fuisse ab ipso*, id est, factum esse cognoscentem, aut sapientem, à Deo. *Dicitur enim Homo cognosci à Deo, quia Deus illum cognoscentem facit*, ait Augustinus in *Johan.*98.

Quæst. IX. An ex verbo οἴδαμεν, *vers.*28. possit evinci πληροφορία nostræ salutis, quam quisque Fidelium apud se habere possit & debeat?

Resp. Utique. Quia, quâ πληροφορίᾳ quis potest esse certus de Dei dilectione erga se, eâdem certus esse potest de sua salute, quod Apostolus *versib. seqq.*29,30. satis innuit, docens, Fideles à Deo præcognitos sive dilectos fuisse ab æterno & prædestinatos ad salutem, hincque glorificandos, ut nullâ cruce & tentatione possint à sua salute dimoveri. Neq; enim dilectio Dei, qualis Hominum, mutabilis est, cùm nullam habeat dependentiam ab Homine, sed à sola Dei εὐδοκίᾳ, quam dicere velle mutabilem, est fingere Deum ipsum mutabilem. Atqui Fideles de Dei erga se dilectione possunt esse certi. *Ratio* est, quia possunt esse certi 1. de sua fide, quam qui habet, non potest non esse certus, se Deo placere, *Hebr.*11.5,6. Sanè quàm quis certus esse potest, se oculis suis videre, tàm certus

certus esse potest, se credere. 2. De sua erga Deum dilectione. Si Liberi possunt esse certi de suo amore erga Parentes, cur Filii Dei de suo erga ipsum amore non possent esse certi? Hinc vox Davidis, *Psal.116.1. Diligo Dominum, &c.* & Petri, *Joh.21,15,16,17. Scis, Domine, me te diligere.* Arqui hæc nostra erga Deum dilectio est certissimum argumentum dilectionis Dei erga nos, quod Johannes 1.*Epist.cap.2.v.9.&c.& cap.3.v.14, 18,19.& cap.4.v.7,11,12,13,19,20,21.* pluribus demonstrat. Sicut enim lumen, calor, virtus & efficacia corporum sublunarium argumentum est infallibile participationis lucis, virtutis atque influxus corporum cœlestium; sic quoque charitas nostra erga Deum est documentum charitatis Dei erga nos, hincque communionis tùm gratiæ, tùm gloriæ cœlestis.

Quæst. X. An Paulus *Rom.8.v.28,29,30.* agat de *Decreto Prædestinationis* sive de *Electione ad salutem*?

Negant *Arminiani*, & dicunt, agi de sola *Prædestinatione ad Crucem. Scopus* eorum est, ut possint Electionem suam conditionatam, quæ pendeat à prævisione Fidei, tueri; & eludere objectiones nostras contra eam ex hoc loco, in quo & Vocatio, & Fides, & Justificatio, & Sanctificatio, non præordinantur, sed subordinantur Prædestinationi.

Resp. De *Prædestinatione ad Crucem* heic agi est ἐξαιρέτως, sed exclusivè ad *Prædestinationem Salutis* de ea agi, est falsissimum. Id jam in Analysi indigitatum. Scopus Apostoli est, Fideles contra tentationem crucis consolari per certitudinem salutis, quæ nullâ cruce possit ipsis adimi. Itaq; indicat 1. Qui sint illi Fideles crucigeri, nempe, *sui* respectu, *diligentes Deum, vers.28.a. Dei* autem respectu, *vocati secundum Dei præstitutum. Ibid.b.* 2. Vnde originaliter pendeat certitudo salutis ipsorum, & per consequens quoque ipsorum tùm Vocatio, Dei respectu, tùm Dilectio erga Deum, ipsorum respectu: nempe ex ipsa illa Dei πρόθεσι, seu Proposito æterno.

Hinc ergo postmodùm πρόθεσεως hujus Oeconomiam totam describit, *vers.29,30.* ut ostendat, eâ solâ niti certitudinem salutis Fidelium, quòd scilicet sint prædestinati æterno & immutabili Dei consilio & proposito ad salutem, & quòd τὰ πάντα, *omnia*, de quibus *vers.28.a.* & per consequens afflictiones, debeant necessariò inservire ipsorum saluti, absque ullo finalis ipsorum exitii & condemnationis periculo, uti jam *vers.1.* hoc proposuerat. Quare? Quia hi ipsi nunc afflicti Fideles fuerint ab æterno à Deo *præcogniti* sive dilecti, de qua phrasi mox videbimus, hincq; *prædestinati*. Quò, aut in quem eventum? Ad συμμόρφωσιν *cum Filio Dei*. An per crucem tantum? Nequaquam. Nullum hoc fuisset Fidelibus solatium, imò ne quidem ulla, cæteris imparibus, conformitas, nisi dicere lubeat, reprobos & damnatos, respectu suarum perpessionum, esse prædestinatos ad conformitatem Filii Dei: sed ut per sanctitatem, & tolerantiam crucis ei conjunctam, adeóque communionem gratiæ, transferantur tandem cum eo quoque ad communionem gloriæ cœlestis. Itaque Apostolus 1. non meminit tantum *Prædestinationis ad crucem*, imò expressè non meminit: 2. sed postremæ *Glorificationis*, tanquam finis ultimi *Prædestinationis* meminit. 3. Neque à *Prædestinatione* descendendo ad *Glorificationem*, unius crucis meminit, sed aliorum primariorum salutis mediorum, quibus crux tantùm per accidens ancillatur, videlicet *Vocationis, Justificationis & Sanctificationis*, tacitè sub nomine *Glorificationis*.

Quæ moderni Semipelagiani, inter se tamen ipsimet dissidentes, in contrarium movent, abundè sunt à Theologis orthodoxis discussa, ut præter institutum meum non sit talibus mihi immorandum.

Quæst. XI. Quæ'nam sit illa πρόγνωσις, cujus Apostolus meminit *vers.29. Quos Deus præcognovit, hos etiam prædestinavit*?

Resp. I. *Pelagiani* accipiunt eam de *Prævisione operum bonorum*. Sic *Papistæ*. & hanc Prævisionem faciunt causam Electionis. Ast Paulus *cap.seq.9.vers.11.* exemplo gemellorum

mellorum filiorum Isaaci expresse contrarium docet: quòd Deus in unius electione, & alterius reprobatione, nullum habuerit respectum causalem operis alicujus vel boni, vel mali, uti docebitur deinceps.

II. Hinc alii, sed haud melioribus auspiciis, cum *Semipelagianis*, per πρόγνωσιν hanc intelligunt *prævisionem Fidei* in eligendis, quam volunt esse conditionem in electis prærequisitam. Trepidanter autem asserere audent, esse Electionis causam. Et tamen pertinaciter asseverant, Deum intuitu Fidei discrevisse Electos ab aliis, ut certè Fidem necesse habeant statuere causam discriminantem Electos à Reprobis in Dei prævisione. Si quis urgeat & quærat: An Deus præviderit fidem in crediturìs, ut χάρισμα ipsis præ aliis donandum; an verò ut opus liberi Arbitrii? dissiliunt in partes. Alii, cum Pelagianis, rotundo ore cõfitentur liberum Arbitrium, & hoc ipso causam Electionis ponunt in Homine. Alios hujus Pelagianæ confessionis, tanquam olim damnatæ, & ab Augustino fortiter profligatæ, adhuc pudet. Hinc docent quidem, Fidem esse donum Dei: interim, quod unâ manu dant, alterâ auferunt, docendo, Fidei gratiam dispensari pro ratione boni vel mali usus donorum naturalium: itemque externorum oblatorum Salutis mediorum. quasi verò etiam donorum naturalium ullus usus possit esse salutaris, citra gratiam regenerationis, per liberum Arbitrium. Itaque patet, secundùm hos Electionem pendere à prævisa Fide; decretum autem Fidei, crediturìs à Deo donandæ, pendere à prævisione boni & congrui usus donorum naturalium, item externorum Salutis mediorum. Quid ergo fiet iis, quos Deus ex colluvie elegit Hominum perditissimorum, apud quos usus talis nunquam fuit deprehensus? Et quo jure videri potest Deus eligendo præteriisse eos, apud quos donorum naturalium usus potior fuit; & mediorum externorum Salutis, si ipsis dispensata fuissent, longe fructuosior exspectandus fuisset, quod Christus *Matth.* 11. exemplis aliquot testatum fecit?

III. *Novatores* alii πρόγνωσιν non quidem pro nuda præscientia sumunt, sed pro Amore & Dilectione; ast tali, quâ Deus jam antea se diligentes, scilicet in prævisione, dilexerit. Ast ubi unquam scriptum est, nos, quâ Deum prædilexerimus in æterna ipsius præscientia, fuisse postea à Deo dilectos? Quid hoc aliud est, quàm proram & puppim Salutis humanæ collocare extra Deum in Homine, & Dei electionem & dilectionem erga nos suspendere à nostra electione & dilectione erga Deum, contra apertam & reclamantem passim Scripturam? suprà *Rom.* 5.5. *&c.* 1. *Joh.* 4.9,10. *Joh.* 3.16. *Tit.* 3.3. & alibi.

IV. Itaque sciendum tandem, quod & in Analysi monuimus, πρόγνωσιν istam in Deo non denotare simplicem notitiam, sed conjunctam cum Dei complacentia, dilectione & approbatione. uti quidem vox [γινώσκειν] frequenter apud Hebræos usurpatur. Quos enim Deus dicitur nôsse, hos dicitur diligere. quod exempla in Analysi allegata condocefaciunt. Itaq; existimo, Apostolum dicentem, οὓς προέγνω, καὶ προώρισε; τὴν πρόγνωσιν constituere causam τοῦ προορισμοῦ: ut sensus sit; Quos Deus ab æterno præ aliis, in exitio communi, suâ miseratione voluit complecti, eos prædestinâsse ad communionem gratiæ & gloriæ suæ in tempore consequendam. Neq; obstat, quòd alibi, *Act.* 2.23. πρόγνωσις Dei refertur quoque ad sceleratos Homines, v.g. Hostes Christi, qui dicuntur προγνώσει *Dei Christum prodidisse & crucifixisse*. Alia enim hujus loci Paulini, quàm illius in Actis ratio: neque πρόγνωσιν Dei semper de notitia dilectionis & approbationis intelligendam dico.

Sed nec doctissimorum aliorum Interpretum judicium heic volo prorsus explosum, qui πρόγνωσιν volunt coincidere cum προθέσει, uti infrà, *Cap.* 11.2. *Act.* 2.23. 2. *Petr.* 1.20. quia verbum [γινώσκειν] apud Græcos non tantùm significet *scire, cognoscere*, sed & *sciscere*, id est, veluti cognitâ causâ sciscere & decernere. Nam etsi hoc largiar, (quanquam videatur hâc ratione πρόγνωσις aliquo modo confundi cum τῷ προορισμῷ) tamen πρόθεσις hæc non potest non consignificare, imò præsupponere Dei τὴν προαγάπησιν,

prædi-

prædilectionem, cùm hæc sit προηγουμένη causa, quam Paulus vocat *Ephes.1.5.* τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος Θεοῦ. Sed jam hinc porro quæritur:

Quæst. XII. Quâ ratione nos Deus possit dici prædilexisse, quos demùm in tempore *sibi acceptos fecit in Christo*, & per ipsum? *Ephes.1.6.*

Resp. Eo ipso, quòd nobis destinavit ab æterno Christum, ut per eum nos secum reconciliaret, & actu ipso nos sibi dilectos & acceptos redderet, dicendus est nos ipse prædilexisse. Christus enim à Deo ad salutem nostram ab æterno προεγνωσμένος, 1. *Pet.* 1.20. & in tempore datus, utrq; non ex odio, sed amore Dei, *Joh.3.16. 1.Joh.4.10.* Sed notandum: hunc Dei amorem fuisse ab æterno in Deo absconditum, & demum per missionem Filii Dei in tempore patefactum, & sensum hujus amoris demum sequi reconciliationem per Christum factam. Itaque distingui debet inter amorem Dei *antecedentem*, quo nobis destinavit Christum Redemptorem, tanquam per ipsum reconciliandis: & *consequentem*, quo nos Deus in tempore diligit tanquam jam reconciliatos. quod discrimen haud obscure Apostolus suprà insinuavit *Cap.5.v.8,9,10.*

Object. 1. Quid opus fuit reconciliatione, si jam amor præcessit?

Resp. Vt amori consequenti locus esse posset, & obex Justitiæ Divinæ, quæ Hominem, qua peccatorem, postulaverat ad pœnam, posset removeri.

Object. 2. Atqui unus & idem Homo peccator non potuit simul esse ab æterno objectum tùm odii & amoris Dei.

Resp. Imò diverso respectu potuit & fuit. Intuitu *peccati* fuit Homo objectum odii & iræ Dei ab æterno. Intuitu partim *Creationis*, quà Homo, Dei creatura; partim *Præordinationis* ad actualem futuram reconciliationem, fuit objectum Amoris Dei.

Quæst. XIII. Quænam sit illa συμμόρφωσις *cum Christo*, ad quam dicuntur Electi esse prædestinati, *vers.29*?

Resp. Id etiam quadantenus in Analysi fuit expositum. Novatores, uti Prædestinationem restringunt ad Crucem, ita quoq; hanc conformitatem. Sed per petulantem ψευδερμηνείαν. Qualis sit *conformitas* ista, satis innuunt sequentia verba.

1. *Conformitas* est, quà Imagini Filii Dei ita sumus conformandi, *ut is sit primogenitus inter multos Fratres. vers.29.* Atqui solius Crucis respectu neque est primogenitus, neq; primogenitus inter Fratres. Nam nec Christi Crux sola eum fecit primogenitum: nec aliorum Hominum crux sola eos reddit Fratres Christi.
2. *Conformitas* est, quà Imagini Filii Dei conformamur in sanctitate quoque & gloria, ut patet ex *vers.30.*
3. *Conformitas* est, ex qua, juxta Dei πρόθεσιν, *vers.28.* fidelibus est exspectanda Salutis certitudo. Hanc sola crucis conformitas præstare non potest.

Quæst. XIV. An *Christus* Electionis nostræ decreto sit *præordinatus*, an *subordinatus*? *Rat.dub.* ex *vers.29.* Quia dicimur *prædestinati ad conformitatem Imaginis Christi, ut is sit primogenitus inter Fratres.* Videtur ergo Christi prædestinatio in ordine antecedere nostram prædestinationem, cùm προορισμὸς finis antecedat πρόθεσιν mediorum.

Resp. I. Christum decreto Electionis tanquam causam impulsivam, ut volunt nonnulli præordinatum esse, falsissimum est. *Rat.* 1. Quia decreti extra Deum nulla est aut esse potest causa: cum Decretum in Deo sit causa causarum. 2. Quia Christi præordinatio non potest cogitari absque præcognitione & destinatione finis, id est, salutis per Christum servandorum, nisi dicere lubeat, Christum prædestinatũ esse à Deo

Servatorem in incertum aliquem eventum, aut ut januam tantum aperiret Prædestinationi Hominum, ut docent Novatores. Sed tamen eo usq; non audent prorumpere qui Christum nihilominus faciunt Electionis causam.

II. Christum in ipsa Electione exequendæ tanquam primum & primarium salutis nostræ medium, esse præordinatum, debet esse ἐξαιρέτως. Hoc enim sensu dicimur *electi esse in Christo. Eph.1.4.* non, ut jam existentes in Christo per nostram Redemptionem, Vocationem, fidem: sed ut per Christum, cui nos, in nostra prædestinatione ad salutem sumus à Deo dati, id est, per ipsius redemptionem & fidem salvaremur.

III. Quod objicitur ex *vers.29.* in contrarium, exigui est commatis. Dicimur prædestinati ad conformitatem Christi in gratia & gloria, non ut ad finem ultimum, sed partim ut ad medium destinatum, scilicet *conformitatem in gratia*, sanctitate nimirum & crucis tolerantia: partim ut ad finem propinquiorem, quoad *conformitatem in gloria*, quia gloriam, ad quam sumus prædestinati ab æterno, non possumus nisi in ipso adipisci. Hinc verò non sequitur, glorificationem Christi in Dei decreto antecessisse, sed potiùs contrarium: quia glorificationis Christi finis fuit nostra glorificatio.

Quæst. XV. Quo sensu Christus dicatur *vers.29. primogenitus inter multos Fratres?*

Resp. Aliquid jam de hoc dictum fuit in Analysi. 1. Rectè id observatur à Viris doctis, verba hæc: *ut sit primogenitus inter Fratres*; limitationem in se continere priorum verborum de conformitate nostra cum Christo, ne videatur esse arithmetica, sed potiùs geometrica, id est, ne videatur statui paritas & æqualitas inter Christum & nos, sed ut semper Christo suus constet, uti in gratia, ita in gloria primatus. 2. Interim alluditur voce *Primogeniti* ad Primogenituram Veteris Testamenti, quæ fuit non solum *ætatis*, sed & *dignitatis, potestatis* & *hæreditatis* prærogativa, uti notum est. In accommodatione ad Christum occurret non quidem ætatis prærogativa, quantum videlicet ad nativitatem ejus Humanam attinet, nam quoad Divinitatem alibi vocatur *πρωτότοκος πάσης κτίσεως, Col.1.15. primogenitus omnis creaturæ*: sed prærogativa *dignitatis* præ omnibus Filiis Dei, *Col.1.18. Eph.1.20, &c. Phil.2.9,10.11. potestatis, Matth.28.18. Joh.5.27.* & *hæreditatis*, in qua ipse primas tenet. *Psal.2.8. & 8.7,8,9. Heb.2.6,7.8.*

Quæst. XVI. An Christus mortuus sit pro omnibus Hominibus indifferenter? *Rat. dubit.* ex *vers.32.* ubi dicitur: *Deum tradidisse Filium proprium pro nobis omnibus.*

Resp. Quanquam in Analysi jam fuerit expedita ista *Quæstio*, tamen pauca, mantissæ loco, lubet heic subnectere.

I. Patroni Gratiæ universalis hoc & aliis compluribus locis abuti solent ad erroris sui patrocinium. Interim id mihi semper in ipsorum dogmate pudendum visum est, tanquam ἀσύστατον: quod, quantum dilatant gratiam Dei salutiferam unâ ex parte, tantum eam adstringant ex altera parte, cum voluntati, cui gratia offertur, præcipuas partes assignant, gratiam vel amplectendi, vel respuendi, per suam, quam habeat, libertatem. Sic non pugnant pro Dei gratia, adeóq; gratiæ hujus gloria: sed pro Hominis gloria. Juxta horum enim dogma Deus non discernit Homines, sed Homines se-ipsos discernunt. Hic nodus in æternum non potest solvi ab iis, qui hodie novo commento gratiam quidem universalem defendunt, nolunt autem in castra Semipelagianorum pudoris causa se recipere, sed videri liberi Arbitrii hostes capitales. Ego autem dico, me non posse videre ullam mediam sententiam, quâ gratia Dei salutifera statuatur quidem esse indifferenter communis omnibus Hominibus, & tamen negetur liberum Hominis arbitrium, quo possit gratiam amplecti vel respuere. Quomodo enim gratia potest dici universalis, si gratia Fidei, gratia, inquam, Dei, quâ voluntas amplectitur in vocatione gratiam ut eam infectis oblatam, non sit universalis, sed Electorum propria? Sed magis ad rem.

II. San-

II. Sano sensu dici potest, Christum esse mortuum pro omnibus Hominibus. Vnum jam expressi in Analysi: quia nemo salvatur nisi per mortem Christi, ut si dicam de quodam Poliatro, illum Medicum esse omnium, qui sunt in Civitate, quia nemo absque ipsius ope & consilio sanetur. Sic alibi 1.*Cor.*15.22. Paulus dicit, *in Christo omnes vivificari:* quia nemo nisi per eum vivificatur. Alius est quoque receptus sensus, quo distinguitur inter *sufficientiam* & *efficaciam* Mortis Christi, ut illa dicatur esse *universalis*, propter infinitum pretium & valorem Mortis & Meriti Christi; hæc *particularis*, propter applicationem particularem, quæ pertinet ad solos Fideles. Hæc distinctio mihi non displicet, si in *abstracto* ea intelligatur de Morte Christi in se considerata, de cujus infinita virtute & efficacia nemo pius & sanus dubitabit. Sed quia heic *Quæstio* est non tantùm de Morte Christi in abstracto, sed & de Moriente Christo, in *concreto*, ejusq; in subeunda Morte, ex consilio & decreto Patris, intentione, consilio & fine: An videlicet Christi morientis hæc fuerit intentio & voluntas, ut omnium & singulorum Hominum peccata in Cruce expiarentur, sicque iis reconciliatio cum Deo Patre impetraretur, v.g. Judæ proditori æque ac Petro, damnatis jam, & in Inferno constitutis, æquè atq; nondum damnatis: & quòd in Sacrificio Mortis suæ omnium æqualem & indifferentem habuerit respectum, neque majorem hac in parte ovium suarum, quàm hœdorum habuerit rationem? Id verò asseverare existimo, extremæ esse non solum amentiæ, sed & impietatis, quod tàm evidenter hactenus à Theologis Orthodoxis toti Orbi demonstratum est, ut mirari satis non possim, Gratiæ Dei, non Patronos, quales videri volunt, sed Hostes tàm pertinaciter hoc dogma tueri.

III. Jam, quod ad locum præsentem Apostoli attinet, prorsus ille non favet sententiæ illorum. 1. Apostolus mentionem quidem facit *vers.*32. *Omnium*, pro quibus mortuus sit Christus, sed addit, NOSTRUM: *pro* NOBIS *omnibus.* Quos intelligit? 2. Explicat postea *v.*33. *Electos Dei. Quis intentabit crimina adversus* ELECTOS DEI? 3. Et quis dubitet? Nam *vers.*32. Redemptis à Christo assignantur quoque τὰ πάντα alia beneficia ex Redemptione emergentia, scilicet Vocationis, Justificationis, Glorificationis. Quòd si hæc non sunt universalia, uti non sunt, nec Redemptio erit universalis. 4. Hinc postea Redemptis à Christo victoria atque triumphus adjudicatur ab Apostolo contra Peccatum, Crucem, Mortem, &c. *vers.*34. *& seqq.* 5. Hincque tandem Salutis πληροφορία. *vers.*38. *&c.* Sed hinc jam emergit ultima ex hoc Cap.

Quæst. XVII. Rectène ex *vers.*38,39. evincatur Perseverantia Sanctorum, & πληροφορία Salutis?

Resp. Vtique. Apostolus enim 1. hanc Salutis certitudinem exprimit verbo πέπεισμαι, *persuasus sum, &c.* 2. Deducit ex nostra in Christo victoria. *vers.*37. 3. Ex charitate Dei, à nobis inseparabili. *vers.*39. 4. Ex ea Dei erga nos charitate, quæ nobis subarrhata est in Christo Jesu, Domino nostro, *Ibid.* quam scilicet is nobis promeruit Merito illo, cujus virtus & efficacia est insuperabilis. 5. Quod porrò inde patet, quia ex hac charitate *Christus pro nobis traditus, ut Deus per eum omnia alia nobis gratificaretur, vers.*32. 6. & quidem ita, ut nec peccata nos ampliùs accusare & condemnare, *vers.* 33,34. nec crux ulla nos à charitate Christi separare possit. *vers.*35. 7. Ex interno Spiritus S. testimonio, *vers.*15,16,17. Quis hinc non colligat Salutis certitudinem non solùm *in se*, sed & *quoad nos*, sive certitudinem, quam vocant, tùm *objecti*, tùm *subjecti?*

Pontificii nonnulla in contrarium movent.

Excip. I. Paulum *vers.*38. loqui de suâ, non aliorum Fidelium persuasione, & quidem non de persuasione fidei, sed de ea, quam habuerit ex revelatione particulari & extraordinaria.

Resp. 1. Atqui Paulum non tantùm de suâ, sed & aliorum Fidelium salute disserere, patet ex toto hoc Capite, quando in plurali, non tantùm in singulari loquitur, ac nominatim *vers.*37. *Victores* SUMUS *per eum, qui dilexit* NOS

& *vers.39. Persuasus sum, nullam rem creatam posse* NOS *separare à charitate Dei.* Et quid consolationis, quam Paulus toto hoc Capite intendit, haurire potuissent Fideles ex privata Pauli de sua salute persuasione, si videlicet se felicem & in portu constitutum; reliquos autem Fideles intra sacrum, ut ajunt, & saxum constitutos, inter spem & metum fluctuantes, depinxisset? 2. Persuasio Pauli non fuit revelationis extraordinariæ, sed fuit Fidei, ipsi cum aliis omnibus Fidelibus communis: Persuasio scilicet

α. Ex Fide in Mortem Christi, *vers.32,34.* in Resurrectionem ejus, Sessionem ad dextram, & Intercessionem pro nobis, *vers.34.*

β. Ex effectis Fidei, scilicet Justificatione, *vers.33.* Spe, quâ dicimur servati, *vers.24.* Dilectione nostrâ erga Deum, *vers.28.*

Nunquid hæc omnia Paulo nobiscum communia?

Excip. II. *Πεποίθησιν* non significare *certitudinem Fidei Divinæ, sed quandam persuasionem & confidentiam, ad quam gignendam satis sit certitudo conjecturalis.* Sic Bellarminus *Lib.3. de Justificat. Cap.9.* Loca nonnulla profert, *Rom.* 15.14. 2.*Tim.*1.12. *Luc.*20.6. *Heb.*6.9.

Resp. 1. Πεποίθησιν non semper significare *πληροφορίαν* salutis & fidei, est ἐξαίρετον. Negamus autem, hoc in loco eam non significari. Contrarium jam evictum est. 2. Distinguendum inter *πεποίθησιν*, quam habemus de nostra & proximi salute. *Illam* dicimus esse *fidei*, atque hinc infallibilem, de qua etiam agitur in loco 2.*Tim.*1.12. *Hanc* dicimus esse *charitatis*, aut secundum *canonem*, ut loquuntur, *charitatis*, quæ *πεποίθησις* potest nonnunquam falli, ad quam referenda reliqua loca citata. 3. *Certitudinem conjecturalem* vocare, est dicere oppositum in apposito. Vbi enim conjectura tantum locum habet, ibi exulat certitudo.

Excip. III. Per *charitatem Dei in Christo, vers.39.* non intelligi charitatem Dei erga nos, sed nostram erga Deum.

Resp. 1. Negatur. Talis enim intelligitur *charitas Dei*, α. qualis intelligitur *charitas Christi*, *vers.35.* quâ videlicet dilexit nos, *vers.37.* β. quâ Deus nobis tradidit Filium suum, quâ nobis omnia cum eo gratificatur, *vers.32.* quâ nos elegit, justificat, *vers.33.* 2. Porrò, intelligi charitatem nostram erga Deum, constabit nihilominus Salutis certitudo, ut patet ex *vers.28.* Nam ex firmitate amoris nostri erga Deum potest firmitas & certitudo amoris Dei erga nos, & per consequens Salutis, concludi & evinci.

CAPVT IX.

IN *prima Parte* etiamnum versamur ΕΡΓΑΣΙΑΣ hujus Epistolæ, in qua Apostolus primarium Religionis Christianæ locum pertractat de IVSTIFICATIONE, in qua prora & puppis totius nostræ Salutis versatur: cùm nihil sit aliud, quam nostra perfecta absolutio coram Dei tribunali, videlicet abjudicatio culpæ & pœnæ peccati; & adjudicatio justitiæ ac vitæ æternæ. Egerat autem Apostolus hactenus de *Justificationis* tùm *Causis*, κατ' ἄρνησιν καὶ θέσιν: tùm *Effectis*, videl. συνευμίας, sive

ſive tranquillitate animi & conſcientiæ; *Sanctificatione*, & tandem quoque de *certitudine Salutis*.

Nunc tribus ſeqq. Capitibus Paulus aſſcendit ad Fidei, Juſtificationis, totiusque Salutis Humanæ, omniumque ejus mediorum *Cauſam originalem* atque *primariam*, videlicet *PRÆDESTINATIONEM*. quod malo LUTHERI potiùs, quàm meis verbis referre, *Præfat. German. in Epiſt. Pauli ad Rom.* Latinè ita ſe habent:

Cap. 9, 10, & 11. docet (Apoſtolus) *de æterna Dei Providentiâ, ex qua originaliter fluit, quis crediturus aut non crediturus ſit, à peccatis abſolvi aut non abſolvi poſſit: quò utiq; prorſus è manibus noſtris eripiatur, & in ſolius Dei manu relinquatur, ut juſtificemur. Atque id ſummoperè neceſſe eſt: quia nos tàm infirmi & lubrici ſumus, ut ſi penes nos ſtaret, nullus Hominū ſervaretur: Diabolus certò omnes opprimeret. Quando verò Deus conſtans eſt, & providentia ejus infallibilis, nec unquam ei prævalere poteſt, ſpem adhuc habemus contra peccatum.*

Heic verò audacibus & tumidis Spiritibus terminus figendus eſt, qui rationem ſuam primùm huc inferunt, & ex alto incipiunt, primùm abyſſum Divinæ providentiæ (ſive Prædeſtinationis) *ſcrutando, & fruſtrà ſe fatigando, num ſint prædeſtinati. Hos neceſſe eſt ſemet-ipſos præcipitare, ut vel deſperent, vel ſe-ipſos incerto eventui committant.*

Tu verò inſiſte ordini hujus Epiſtolæ. Eſto primùm de CHRISTO ſolicitus, & Evangelio, ut tuum peccatum ejusq; gratiam agnoſcas: dehinc milites contra peccatum, uti Capp. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8. docuerunt. Et quando ad Caput 8. deveniſti ſub crucem & afflictiones, illud te docebit ritè Providentiam in Cap. 9, 10, & 11. quàm ea ſit plena conſolationis. Absq; enim paſſionibus, cruce & mortis anguſtiis, Providentia (Prædeſtinatio) *non poteſt absq; damno & arcanâ contra Deum indignatione tractari. Itaq; oportet Adamum priùs benè mortificari, antequàm res iſtas* (myſteria videlicet & arcana doctrinæ hujus de Prædeſtinatione) *toleret, & forte vinum bibat. Cave ergo, ne vinum bibas, quamdiù lactens es. unaquaq; doctrina requirit ſuam menſuram, tempus & ætatem.*

Notandum autem, Paulum ſummo artificio Doctrinam iſtam ingredi & aggredi, diſſerendo videlicet de *Rejectione Judæorum*, & Adoptione Gentium. quia utrobiq; tanquam in ſpeculo relucet magnum illud *Electionis* & *Reprobationis* myſterium.

ΕΙΣΑΓΩΓΗΣ loco obſervanda ſequentia.

I. Συζυγία, *nexus* & *cohærentia* horum Capitum cum præce-

dentibus. *Occasionem* Apostolus mutuatus est ex superiore doctrina hactenus tradita,

1. *Generali*. de *Justificatione* per fidem in Christum, absque operibus Legis. Hâc enim doctrinâ positâ, necessario sequitur *rejectio Judæorum*, & *Gentium adoptio*. *Ratio* est, 1. Quia Judæi Christum, fidem in ipsum, fideique justitiam neglexerunt & contempserunt, & justitiam Legis sectabantur. 2. E' contrario Gentes, quales Romani, justitiam fidei fuerant amplexæ. Hinc aliud concludi non poterat, quam Judæos rejectos, & Gentes in earum locum fuisse adoptatas.
2. *Speciali*. doctrinâ videlicet *Cap praced.8.* inchoatâ de *Prædestinatione*, ejusque certitudine & firmitate. Statim enim poterant obrepere cogitationes: cur Judæi sint à Deo rejecti, qui fuerint electus Dei populus, quem Deus præ omnibus aliis Gentibus vocatione sua per Verbum fuit dignatus?

II. *Scopus* est, non solùm asserere & uberiùs confirmare doctrinam superiorem de *Justificatione* fidei absque operibus: sed & occurrere scandalo tùm *Judæorum*, tùm *Gentilium*.

1. *Judæorum* quidem, quòd hi, tanquam Hostes Christi, & Justificationis per fidem in ipsum, debeant esse anathema à Christo, ut maximè fœdus cum ipsis & eorum majoribus à Deo pactum fuisset.
2. *Gentilium* verò, ne hi offenderentur putativà novitate Doctrinæ hujus, quam Judæi rejiciebant: ne ve de sua salute, quòd hactenus fuissent ἀλλότριοι & peregrini à fœdere, dubitationem aliquam conciperent.

III. *Summa* est: Rejectos & repulsos esse *Judæos* maximâ ex parte propter suam incredulitatem: *Gentes* verò per fidem Christo & fœderi insitas & salutis compotes factas. Atque in hac dispensatione elucescere admirabile Dei consilium in Hominibus eligendis & reprobandis, quod est PRÆDESTINATIO.

IV. *Ordo* mihi hic videtur. Doctrinæ de *Judæorum rejectione* & *Gentium vocatione & adoptione*, occurrit

א. *Exordium*, quod comprehendit insinuationem, testificationem luctus & doloris, propter Judæorum rejectionem, *Cap. IX. v. 1--5.*

ב. Ἐξεργασία, quæ comprehendit

1. Resu-

1. *Refutationem* duplicis *Objectionis*, quâ se Judæi videbantur tueri posse contra Gentes, quæ desumptæ sunt à prærogativa,
   - α. *Gentis Judaicæ*, hincque indignitate Gentilium. Hæc prærogativa disputatur *Cap. IX.* tùm
     - Contra *Judaos, vers. 6—23.*
     - Pro *Gentibus, vers. 24. usq. ad fin. Cap.*
   - β. *Justitiæ Legalis*, quam jactabant Judæi, contra fidem, *Cap. X.*
2. *Consolationem*, pertinentem ad fideles Judęorum reliquias.
3. *Exhortationem* ad Gentes, ne partim Judæorum repulsione, partim suâ vocatione & adoptione abutantur ad arrogantiam & securitatem carnalem.

} *Cap. XI. v. 1--23.*

3. *Epilogus*, qui constat admiratione & celebratione stupendæ & imperscrutabilis sapientiæ Dei in toto hoc Mysterio repulsionis Judæorum, & adoptionis Gentium; hincque *Prædestinationis* omnium Hominum, *Electionis* nimirum quorundam, *Reprobationis* aliorum.

PARS I. CAPITIS IX.

EXORDIVM Pars hæc continet Tractationis dictæ, comprehensum verbis seqq.

Vers. 1. *Veritatem dico per Christum, non mentior, (attestante mihi simul conscientiâ meâ per Spiritum Sanctum,)*

Vers. 2. *Magnam mihi tristitiam esse, & cruciatum sine intermissione cordi meo.*

Vers. 3. *Optarim enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, cognatis secundùm carnem.*

Vers. 4. *Qui sunt Israëlitæ, quorum est adoptio, & gloria, & pacta, & Legis constitutio, & cultus, & promissiones.*

Vers. 5. *Quorum sunt Patres illi, & ex quibus est Christus, quod ad carnem attinet: qui est supra omnes Deus benedictus in secula. Amen.*

Aggressurus Apostolus doctrinam de *Judæorum rejectione* & *Gen-*

tium vocatione, tanquam consectarium doctrinæ superioris de Justificatione gratuita per fidem in Christum; utitur *Insinuatione*, 1. Ne *Romani*, qui Gentiles erant, existimarent, Paulum suâ doctrinâ ipsis adulari. 2. Ne *Judæi*, fratres, à quibus Paulus hactenus extrema quæq; perpessus fuerat propter Christum, sibi imaginarentur, omnia ab ipso dici & scribi ex odio & vindictæ studio. Heic ergo Apostolus ad declinandam omnem invidiam & suspicionem præposteram, testificatur

I. *DOLOREM* suum summum, quo afficiatur propter Judæorum repulsionem. Indicat enim,

1. *Quòd* reverà doleat. Id potest colligi ex *vers.1. Veritatem dico*. Item: *non mentior*. *Confirmat* idem per modum Jurisjurandi, testimonio

α. *Divino, Christi vers.1. Veritatem dico in CHRISTO.*

β. *Interno* & proprio *Conscientiæ. vers.1.b. attestante mihi simul conscientia meâ.* Ac ne temerè Conscientiæ testimonium ostendere videatur, quod Hominibus nauci in more est, addit, *per Spiritum sanctum:* innuens, se conscientiam suam sistere coram Spiritu sancto, qui, tanquam Deus omniscius, verax, justus, sit testis omni exceptione major. Itaq; sicut priùs Christum, ita nunc Spiritum S. testes invocat super sua conscientia.

2. *Quomodo* doleat. Doloris sui atq; tristitiæ describit tùm

α. *Magnitudinem*, *vers.2.* dicens, *magnam sibi tristitiam esse.* Atque id *ibid.* significat vox *ὀδύνη*, quâ designatur *dolor acutus* & *cruciatus*, quem sentiat in corde suo.

β. *Perpetuitatem* seu continuitaté. Ideò addit, *ἀδιαλείπτως*, *sine intermissione.*

II. *AMOREM.* Nam ad amoliendam suspicionem *τῆς ἐπιχαιρεκακίας*, significat *κατὰ τὸ*

א. *Ὅτι:* Quomodo affectus sit erga Judæos. *vers.3. Optarim enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Vult dicere, tanto amore Gentis suę se flagrare, ut libenter fuerit suo ipsius exitio ejus excisionem redempturus, si nimirum sic fieri potuisset.

Observ. 1. *Anathema* sumi tùm in bonam, tùm in malam partem. In *bonam*, ut quum res aliqua Deo devo-
vetur

vetur honoris causâ, utì olim erant oblationes, primitiæ, primogenita, quæ tamen licebat redimere. In *malam*, quum honoris & detestationis causâ res aliqua fuit devota exitio, quo sensu sumitur hoc loco.

Observ. 2. Non tantùm Apostolum loqui de exitio temporali, sed æterno. *Rat.* α. Quia optat *fieri anathema à Christo*, id est, abscindi à Christo, extra quem nulla est salus, sed æterna condemnatio. β. Quia loco fratrum cupit fieri anathema à Christo. Atqui Judæi ita facti fuerant anathema, ut excisi & defracti fuerint ab olea, *Rom.11.17,20.* Christo videlicet, adeóq; gratiâ & fœdere Dei exciderint propter infidelitatem, hincq; perierint in æternum.

Quid de voto hoc Apostolico sentiendum veniat, dicam in *Quæstionibus.*

3. Διότι, Causas sui amoris ac voti pro Judæorum salute concepti. Desumptæ eæ sunt

α. A' *sua* cum Judæis *cognatione* & *fraternitate.* Vocat enim eos *fratres suos, vers 3.* & statim explicat, quum dicit, *eos esse cognatos suos κατὰ σάρκα, secundum carnem.* Erat enim & ipse *Hebræus, Israëlita, semen Abrahami. 2.Cor.11.22.*

β. A' *Judæorum prærogativa* præ aliis Gentibus. Hanc amplificat, ne videretur suâ doctrinâ palpari Gentibus & insultare Judæis ex præpostero affectu. Itaque utì suprà, *Cap.3.v.1,2.* ita nunc iterum Judæis fratribus amplissima concedit privilegia.

1. *Gentis*, dicens: *qui sunt Israëlitæ, vers.4.* id est, posteri Israëlis, sive Jacobi, cui, rejecto Esavo, fœdus paternum atque avitum fuit confirmatum. Ita significat, Gentem esse Deo fœderatam & sanctam: item principem. *Israël* enim significat *Principem Dei fortis. Genes.32.28.*

2. *Fœderis: quorum est υἱοθεσία, adoptio, Ibid.* quia illi præ omnibus aliis Gentibus fuerunt electi & adoptati à Deo, ut essent ejus peculium. *Deut.7.6.& 26.18.* Pignus & testimonium fuit *Arca fœderis.* Ideò addit: *Eorum est ἡ δόξα, gloria*: Hebr. *Haccabod.* Sic Arca illa vocatur, quòd esset Symbolum aspectabile gloriæ & præsentiæ Dei. Hinc *Psal.63.v.3.* vocatur *robur* &

gloria Domini: & *1.Sam.4.v.22.* dicitur *gloria emigrâsse ab Israële, quòd capta esset Arca Dei.* Hinc etiam *Psal.26.v.8.* Tabernaculum dicitur *Habitatio gloriæ Dei.*

3. *Legis* triplicis, quam habebant, quâ Fœdus ipsis fuit subarrhatum.

Moralis, quam intelligit *ibid.* per *Διαθῆκαι, pacta*, metonymicè, pro *tabulis pacti.* In plurali autem effert, propter binarium tabularum numerum.

Judicialis, quam vocat *τὴν νομοθεσίαν, Legis constitutionem.*

Ceremonialis. Hanc intelligit per *τὴν λατρείαν, cultum.* Sic alibi dicitur Vetus Testamentum habuisse *δικαιώματα & λατρείας, justificationes & cultus, Hebr.9.v.1.*

4. *Promissionum.* Ideò addit *ibid. καὶ αἱ ἐπαγγελίαι, & promissiones*, quæ videlicet Legi fuerant appensæ. Nec tantùm *Legales* habebãt, sed & *Evangelicas* promissiones de Christo, ejusque beneficiis, quas inprimis Ceremoniæ, Sacrificia nimirum & Purificationes, confirmabant.

5. *Patrum. vers.5. Quorum sunt* PATRES, sancti nimirum Patriarchæ, Abraham, Isaac, Jacob, à quibus Judæi descenderunt secundùm carnem: sancti Reges, Prophetæ, &c. quorum laus, gloria, nominis splendor & nobilitas videbatur ad ipsos quoque ceu eorum posteros dimanâsse.

6. CHRISTI. Hoc primarium est privilegium, à quo omnium præcedentiũ dignitas dependet. *Ex quibus* (Patribus) inquit Apostolus *vers.5. est* CHRISTVS, *quod ad Carnem attinet: qui est supra omnes Deus benedictus in secula. Amen.*

Observanda heic diligenter Christi descriptio secundùm utramque ejus *Naturam*, tùm

a. *Humanam*, quam indigitat Nativitas Christi.

Ex quibus? Ex *Patribus*, à quibus descendit per generationem Humanã, non tamen communi generationis modo, cùm debuerit nasci *ἀναμάρτητος*, adeóq; citra concubitum maritalem, ex pura & intemerata Virgine, *Jesa. 7.14.* MARIA videlicet, Davidis filia. Interim verum ex ipsa corpus virtute Spiritus S. trahere oportuit, ut posset verè dici *Filius Hominis, semen Mulieris, fructus ventris ejus*; adeóque Frater noster fieri, nosque per ipsum jus Filiorum Dei consequi possemus, *Joh.1.12.*

Secun-

Secundùm quid? Κατὰ σάρκα, id eſt, ſecundùm Humanitatem, ſynecdochicè. Gemina eſt ratio hujus reſtrictionis. 1. Ne, cùm Chriſtus ex Judæis deſcenderit, inter ipſos vixerit, docuerit, mortuus fuerit, quod Judæorum utiq; inſigne fuit privilegium, Chriſto ipſo teſte, *Matth.15.24.* & Apoſtolo alibi, *Rom.15.v.8.* ipſe putaretur prorſus non pertinere ad Gentes. Quanquam enim Frater ſit tantùm Judæorum quoad *carnem*, tamen Gentium quoq; fidelium Frater eſt, ſecundùm *promiſſionem*, utì poſtea docebitur, *v.8.* Hinc *in ipſo benedicendæ* dicuntur *omnes Gentes terræ, Geneſ.22.18.* 2. Dicitur hoc de Chriſto ad diſtinctionem alterius Naturæ Divinæ, à qua confeſtim quoque deſcribitur, ſicque innuitur, Nativitatem Chriſti ex Patribus ei competere non in totum, ſed tantùm ex parte, ſcilicet ſecundùm carnem. Hinc pergit Apoſtolus ad alteram quoque *Naturam*

b. *Divinam*, ne putaretur Chriſtus eſſe ψιλὸς ἄνθρωπος, ſed potiùs Θεάνθρωπος in veritate Perſonę & diſcrimine Naturarum duarum, & hinc dignitas atq; prærogativa Gentis Judaicæ magìs eluceſceret: *qui eſt ſupra omnes Deus benedictus in ſecula.* Q.D. Si non ſufficiat, quod dixi, ad commendandam prærogativam Fratrum meorum, dicam aliquid longè maximum, quòd ex eis ſit natus ille, qui ſuperior eſt omnibus Patribus, imò omnibus Creaturis in toto Mundo, videl. CHRISTVS. Quare? Quia *ipſe eſt* DEVS *ille benedictus in ſecula*, qualiter ſuperiùs quoque Deum Mundi conditorem deſcripſerat, *Cap.1.25.* Addit, *Amen*, quâ particulâ veluti ſignaculo aliquo ſententiæ hujus veritatem confirmat.

Loci hujus vindiciæ occurrent in *Quæſtionibus.*

QVÆSTIONES,
ex Cap.IX.verſ.1---5.

Quæſt. I. An liceat Chriſtianis uti jurejurando? *Rat.quærendi,* 1. Exemplum Apoſtoli, *verſ.1.* 2. Anabaptiſtarum pertinax negatio.

Reſp. Quod Apoſtolo Paulo licuit heic & alibi, 2.*Cor.1.14. Philipp.1.8.* citra ſpecialem diſpenſationem, id fidelibus aliis Chriſtianis nequaquam interdictum, cùm alibi Apoſtolus eos velit eſſe *ſuos imitatores, 1.Cor.4.16. & 11.1. 2.Theſſal.3.9.* Juramentum in gravi cauſa, pertinente ad Dei gloriam, proximi ſalutem, & veritatis patefactionem, eſt ſpecies cultus Divini, ut patet ex locis, *Jeſa.19.18. & 65.16. Jerem.12.6.* Deus enim advocatur & invocatur ut Teſtis verax, omniſcius, juſtus, rectè jurantium patronus, pejerantium vindex. Et ſic honoratur Dei veritas, juſtitia, omniſcientia. Hinc De-

jeratio, quæ fit per Deos alienos, damnatur Idololatriæ & desertionis à Deo, *Jerem.5.7.*

Excipiunt 1. quidam Anabaptistæ ad Pauli exemplum, distinguendo inter negotia temporalia, quæ carnem & sanguinem, pecunias aut possessiones spectant: in quibus prorsus jurare non liceat, juxta interdicta Christi, *Matth.5.34.* & Jacobi *cap.5.12.* & inter negotium confirmandæ veritatis ad Dei gloriam, & proximi salutem ac ædificationem, quo pertineant Pauli juramenta.

Resp. α. Hanc distinctionem Deus olim non attendit, qui Juramentum non solùm permisit, sed & in necessitate præcepit, *Exod.22.11.* Et an Christum Patri contrarium fuisse dicemus, contra loca, *Joh.7.16.& 10.30?* β. Interdicta, quæ objiciuntur, militant non contra legitima Juramenta, sed tantum temeraria & illegitima, quæ fiunt in vanum, qualia Judæis videbantur esse ἀδιάφορα: quia sola perjuria Præcepto III. damnari putaverant. γ. Apostolus alibi, *Hebr.6.16.* dicens, *Juramentum esse omnis controversiæ finem*, nullâ utitur distinctione.

Excip. 2. Locum ad Hebræos accipiendum esse non de fidelibus, sed de carnalibus Hominibus.

Resp. α. Ergo carnalibus major erit jurandi libertas, quàm fidelibus: & peccabunt fideles jurando, carnales non peccabunt: quod per se est mundum, mundis erit immundum, contra dictum Pauli, *Tit.1.15.* immundis autem mundum. β. An verò inter fideles nullæ gliscunt lites & controversiæ? *1.Cor.6.v.1.& seqq.* Et liceat infidelibus controversias suas dirimere per juramenta, fidelibus nequaquam liceat, etiamsi casus extremæ necessitatis id exegerit? γ. An satius est fideli, fidem abnegare, & Ethnico esse pejorem; quàm juramento interposito redimere suorum, inprimis domesticorum, prosperitatem? *1.Tim.5.8.*

Quæst. II. Rectène Paulus indoluerit exitio Judæorum, *vers.2?* *Rat.dubit.* quia illud fuit consentaneum justitiæ Dei. Alibi justis *lætitia* adscribitur, quam hauriunt ex impiorum judiciis & exitio. *Psal.52.8.& 58.11,12.*

Resp. 1. Paulus doluit Judæorum exitium, non quà illud fuit justitiæ Dei consentaneum, & justum ejus judicium, quo gloria ejus fuit illustrata: sed quatenus erat fratrum suorum, quos impense diligebat, perditio & interitus. 2. Adde, quosdam ex communi illo exitio fuisse eximendos, de quorum individuis pronunciare non posset, ut hinc dolorem senserit acriorem: ut si quis multitudinem intueatur quorundam, ob flagitia ad supplicia rapiendorum, intelligat autem, gratiâ & veniâ nonnullos donandos; diverso ducitur affectu, partim doloris & indignationis ob admissa scelera: partim commiserationis, quòd non omnibus, sed paucis gratia sit præstanda. 3. Sic justi quoq; diverso respectu dolent & lætantur in improborum exitio. Intuitu gloriæ Dei, & salutis piorum, quæ per judicia impiorum promovetur & in tuto collocatur, lætantur: intuitu autem miseriæ eorum Humanæ, dolent, tanquam alieni ab ἀσπλαγχνίᾳ. Idem annotat Calvinus: *Potest idem animus duplicem hunc affectum recipere, ut quum in Deum respicit, libenter perire sustineat, quos perdere ille decrevit: quum ad Homines cogitationem reflexit, eorum malis condolescat.* Sic Judex aliquis justâ nemesi commovetur ad condemnandos facinorosos, quorum tamen miserandâ morte non delectatur. Imò Deus ipse, utut ad justitiam suam patefaciendam peccatores meritâ morte plectat, tamen dicitur non delectari morte peccatoris, *Ezech.18.v.33.*

Quæst. III. Quo sensu Paulus (*vers.3.*) *optaverit fieri anathema?*

Resp. Quanquam vox [ἀνάθεμα] sit πολύσημος: nam *Luc.21.v.5.* significat *donarium*,

rium, quamvis ibi scribatur per η [ἀνάθημα:] tamen à Paulo semper sumitur in malam partem, ut significet exitium, sive personam exitio devotam. *Gal.*1.*v.*8. 1.*Cor.*16.*v.*22. *&* 12.*v.*3. adeoque respondeat Hebræo *Cherem*, quâ voce notatur res aliqua exitio devota. *Levit.*27.28,29. Et sic quoque hoc loco sumitur vox [ἀνάθεμα.] Vovet enim Apostolus esse ἀνάθεμα, id est, exscindendus pro Fratribus suis. Sed jam quæritur: An de *temporali* id tantum intelligat, an de *æterno* exitio? Hieronymus accipit de temporali exitio. Sed jam in Analysi demonstratum est, de æterno exitio esse accipiendum, quia non simpliciter optat *fieri anathema*, sed 1. *anathema à Christo*, ut videlicet separetur à Christo, adeóq; pereat in æternum, cùm, qui à Christo separatur, nullam possit spem habere salutis. 2. *Anathema pro Fratribus*, id est, vice & loco Fratrum seu Judæorum. Atqui Judæi non tantùm temporali, sed æterno exitio propter suam incredulitatem fuerant obnoxii. Atque hinc postea Apostolus *vers.*6. *& seqq.* occurrit objectioni, quasi videlicet propter Judæorum abjectionem rescissum fuisset fœdus Dei, ejusque promissiones, quas non ad vitam tantum præsentem, sed & æternam spectâsse, satis constat vel ex Christi cum Sadducæis congressu, *Matth.*22.32. 3. Adde, Apostolum, præmisso (*vers.*1.) tàm gravi juramento, non solum voluisse asseverare suum dolorem de fratrum exitio, sed & votum pro eorum per suum proprium exitium liberatione. Atqui mortis suæ & occisionis temporalis causâ tantâ attestatione opus non fuisset, cùm satis palàm fuerit, mortem corporalem non reformidâsse, *Act.*20,24. imò cum gaudio & desiderio eam exspectâsse. 2.*Tim.*4.6,7,8.

Quæst. IV. An Votum Apostoli fuerit licitum & legitimum?

Resp. Utique. *Rat.* 1. Quia profectum fuit ex intensa erga Fratres charitate, & quidem summo ejus gradu, quum salutem suam Fratrum saluti posthabuit, juxta Apostoli Johannis monitum, 1.*Joh.*3.16. *ut*, exemplo Christi, *animas ponamus pro Fratribus*. 2. Quia ex studio gloriæ Dei profectum fuit. Neq; enim tantùm pensi habuit Fratrum salutem, sed & præclaras Dei dotes, quibus Gentem Judaicam præ aliis nobilitaverat, de quibus postea *vers.*4,5. quas perditas nolebat atque dolebat: quòd hinc metueret, ne Dei fides & veritas apud Homines profanos vilesceret, & in contemptum adduceretur, quod satis postmodùm ex prolepticis verbis *versus* 6. patescit. 3. Hinc simili quoque zelo gloriæ Dei & salutis Populi Israelitici flagrâsse legimus Mosen, *Exod.*32.32. qui petierat *deleri è Libro Vitæ*, si posset hac ratione salus Populi procurari.

Sed heic in contrarium nonnulla objiciuntur.

Object. I. Votum fuisse contra Dei propositum, hinc frustraneum.

Resp. 1. Votum fuisse non categoricum, sed hypotheticum, secundùm quid; siquidem possibile esset, quo sensu Christus *Matth.*26.39. petiit liberari à calice Crucis, Mortis, Inferni. 2. Frustraneum fuit quidem respectu exequutionis, sed non respectu usus alterius, videlicet testificationis suæ erga Fratres charitatis.

Object. II. Votum videri militare contra Christi charitatem, quia optando separationem à Christo, videatur amorem Fratrum anteposuisse amori Christi.

Resp. 1. Iterum secundùm quid accipienda separatio à Christo, non ab amore erga Christum, sed à beatitudine cum Christo & apud eum perfruendâ. 2. Imò Votum hoc non solùm ex intenso Fratrum, sed & Christi amore profectum constat, ut posset Christi & Dei gloria tantò magis per Judæorum conservationem & conversionem illustrari.

Object. III. Atqui videtur Voto suo quoque inclusisse infidelitatem tanquam causam exitii, & per consequens inimicitiam Christi.

Resp. Nequaquam. Non enim optat fieri anathema, ita, ut fieret infidelis, hinc Christi inimicus, & sic periret: sed ut, fidelis licet maneat, suo exitio & abjectione posset servare Fratres.

Object. IV. Ergo videtur hoc vovisse contra Salutis suæ πληροφορίαν.

Resp. Negatur. Quia Votum, uti dixi, fuit, non absolutum, sed conditionatum, si ulla ratione fieri posset.

Object. V. Videtur Paulus Christo præripere voluisse Redemptionis gloriam.

Resp. Nequaquam. Non enim vovet, ut suum exitium sit Judæis λύτρον Redemptionis: sed tantum permutatio cum ipsorum exitio.

Quæst. V. Serium'ne & deliberatum fuerit hoc Votum Pauli, an veri affectatum, vel saltem ex turbato affectu profusum?

Resp. 1. Serium fuisse dubitare non licet: quia Apostolo fuit dictatum a summa erga Fratres charitate, & studio gloriæ Dei, uti dictum, adeò, ut assentationi aut hypocrysi apud eum non potuerit locus aliquis esse. 2. Votum hoc arguit quidem magni affectus vehementiam, nequaquam autem ἀταξίαν, τῇ σώφρονι mentis contrariam. Secus perperam & temerarie & Christum, & Spiritum S. & Conscientiam suam, ceu testes, in testimonium veritatis advocâsset.

Objicit. Quis credere posset, aliquem Hominem salutis suæ ita esse oblitum, ut malit pro altero perire in æternum: præsertim, si cogitet, Hominis hujus exitio gloriam justitiæ Dei illustrari?

Resp. 1. Incredibile hoc esset, si diceretur, Votum tale proficisci posse ex Hominis viribus: incredibile autem non videri debet, si cogitemus, Deum tantum charitatis fervorem per suam gratiam posse excitare in cordibus Sanctorum. 2. Intuitus justitiæ Dei in exitio Judæorum non potuit impedire Votum Pauli, ad exitium hoc per suum proprium exitium avertendum. Hoc enim Votum concepit intuitu alio suæ erga Fratres charitatis, nec non gloriæ Dei alio modo, quàm per Gentis hujus exitium illustrandæ, uti monui proxime.

Quæst. VI. An Votum hoc Pauli sit imitandum, & trahendum in exemplum adeò ut liceat fideli sibi-ipsi imprecari exitium, aliorum causâ?

Resp. Omnia nostra Vota debent respondere mensuræ illi fidei & charitatis, quâ sumus à Deo donati. Vulgò dici solet, *Non omnia possumus omnes*: & quivis semet-ipsum metiri debet iis viribus, quas accepit per Dei gratiam. Non omnibus datum est martyrium subire in causa Christi cum Vitæ temporalis dispendio, quos etiam Deus non dignatur tanto honore. Itaq; carentes vocatione, non debent in votum aut propositum martyrii ruere præcipites, sed μετὰ φόβου καὶ τρόμου operari salutem suam, & intra limites se continere suæ vocationis. Alia Pauli, item Mosis, cujus exemplum ante allegatum, ratio. Major eis contigit mensura fidei, zeli, charitatis erga Deum & proximum, quàm ut nos nostris votis & verbis præsumamus & affectemus eorum imitationem. quanquam pro mensura gratiæ Dei in nos collatæ teneamur in tantum eos imitari, ut, quantum infirmitas nostra patitur, semper Dei gloriam debeamus anteferre omnibus nostris commodis, & proximum diligere, ut nosmet-ipsos, imò etiam parati esse Animas ponere pro Fratribus. 1. *Joh.* 3. 16.

Quæst. VII. An ex eodem *vers.* 3. colligi possit, Electos aliquos posse fieri reprobos, & perire in æternum? *Rat. dub.* ex Voto Pauli, quo petiit fieri anathema pro Fratribus. Videtur ergo hoc esse possibile: quia impossibile ipsum vovisse non est verisimile.

Resp. Jam antè dictum, Votum Pauli esse conditionale, sub hac hypothesi, si fieri pos-

posset. Hinc arguitur contrarium, quia non vovit hoc votum cum cogitatione possibilitatis. Non erat enim satis id, quod alibi testatur, 2.*Tim.*2.19. *firmum stare fundamentum Dei, habens hoc sigillum: Novit Dominus, qui sunt sui.* Ideò non dicit εὔχομαι, opto, sed ηὐχόμην, *optarem* vel *optarim*, si scilicet hoc per Voluntatem Dei immutabilem fieri posset: pro ηὐχόμην ἄν, elleiptice, ut rectè annotârunt Erasmus cum aliis nostris Scholiastis, inprimis doctiss. Camerarius: *Paulus, inquit, non id fieri velle ait, quod non debet aut potest, sed καθ' ὑπερβολὴν ἀγάπης, id quod maximum & gravissimum esset, si posset ac deberet fieri, non recusaturum se pro suis, indicat.*

Objicitur 1. simile Mosis exemplum, qui petiit *deleri de Libro Vitæ, Exod.*32.32. Ergo scriptus in Libro Vitæ potest deleri.

Resp. 1. Moses petiit sub eâdem hypothesi, quâ Paulus. 2. Audiit contrarium à Deo *vers.*33. deleri non posse, quia non sit in numero flagitiosorū & Apostatarum. 3. Neq; tamen hinc sequitur, vel flagitiosos tales unquam fuisse electos, vel propriè deleri & expungi ex Libro Vitæ, id est, ex numero electorum. Nam τὸ [*delere*] metaphoricè nihil aliud designat, quàm impiorum exitio & perditione ostendere & patefacere, eos nunquam fuisse Libro Vitę inscriptos. *Apoc.*21,27.

Objicit. 2. ex *vers.*4. υἱοθεσία, quæ tribuitur Judaicæ Genti communiter, cujus tamen major pars fuit à Deo rejecta.

Resp. Distingue inter *Adoptionem*, quæ fit per externam Vocationem ad Fœdus, quâ excidit major Judæorum pars: & *Adoptionem*, quæ pendet ab Electione, *Eph.*1.5. quæ nunquam rescinditur. *Rom.*8.15,16,17.

Quæst. VIII. An Divinitas Christi ex *versus* 5. verbis: ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας; possit firmiter & solide adstrui?

Resp. Misera istius loci carnificina & vexatio occurrit apud Socinianos & eorum similes Divinitatis Christi oppugnatores; quam ad calculum revocare non est Laconici mei instituti. *Erasmus*, quanquam Christi Divinitatem nequaquam impugnet; imò aliis per consequentiam ex hoc ipso loco, quàm à DEI nomine petitis argumentis, eam assertum eat: tamen infirmiorem existimat hunc locum, quàm ut ex eo Ariani revinci queant, quia nihil vetet, quò minùs verba hæc ad Patris personam referantur. Subdit tamen: *si Ecclesia doceat, hunc locum non aliter interpretandum, quàm de Divinitate Filii, parendum esse Ecclesiæ, verùm hoc nihil facere ad revincendos Hæreticos:* quasi nimirum Scripturæ propter Ecclesiam, & non Ecclesiæ propter Scripturam credendum sit. Comminiscitur ibi Erasmus triplicem hujus loci distinctionem, seu interpunctionem, ne necesse sit eum de Christo nos accipere. Argutiis autem illis potuisset supersedere, neque locum hunc Arianis talibus σοφίαις vexandum objicere.

1. Codicum omnium Græcorum consensus distinctionibus illis fictitiis, & ex parte violentis, quod Beza annotavit, reclamat, in quibus relativum, ὁ ὢν, refertur ad Christum.
2. Syrus Paraphrastes expressè ad Christum verba illa refert: *Ex quibus* (Patribus) *apparuit Messias in carne, qui est Deus super omnes: cui sint laudes & benedictiones in secula seculorum, Amen.*
3. Scopus Pauli id-ipsum arguit. Quia enim dixerat, Christum oriundum ex Patribus, ne videretur fuisse ψιλὸς ἄνθρωπος; elogii hujus appendice, *qui est supra omnes &c.* voluit indigitare eminentiam ejus Personæ supra omnes, adeóq; Divinitatem; ut hâc ratione dignitatem Gentis Judaicæ magis amplificaret. Quid enim, quum nativitatis Christi meminisset, opus fuisset hâc restrictione, κατὰ σάρκα, cùm nemo nesciat, non nisi κατὰ σάρκα potuisse descendere à Patribus? Hinc suprà, *Cap.*1.*v.*3,4. utramq; restrictionem apertè ponit.

ponit, dicens, *Christum factum ex semine Davidis κατὰ σάρκα*, id est, *secundùm Humanitatem*; & *declaratum Filium Dei κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης*, id est, *secundùm Divinitatem*.

4. Hinc veteres Ecclesiæ Doctores *ἐμφατικῶς* veluti Divinitatem Christi ex hoc loco asseruerunt.

Objicitur quidem *Cyprianus*, ex *Lib.2. adversus Judæos, cap.5. Hilarius* in *Psal.122.* nec non *Chrysostomus* in *Cap.9. ad Rom.* qui omiserint in recitatione hujus loci Nomen *Dei*.

Resp. Sed Erasmus ipse observat, *incuriâ Librariorum omissum esse videri posse*. Confirmo id ex ipsismet his Patribus. *Cyprianus* enim, loco allegato totus est in probanda & evincenda Christi Deitate. Hinc aliis locis tum Veteris, tum Novi Testamenti, quibus Divinitas Christi asseritur, hunc Pauli locum, tanquam parallelum, allegat. *Hilarius* verò alibi locis duobus, Pauli hunc locum recitans, sic scribit: *Paulus, ex persequutore factus Doctor Ecclesiæ, dixit: Quorum Patres, ex quibus Christus, qui est super omnia Deus. Tom.1. Lib.4. de Trinitate, p.m.61.b.* Et postea *Lib.3. de Trinitate, p.146.c. Non ignorat Paulus Christum Dominum, dicens: Quorum Patres, & ex quibus Christus, qui est super omnia Deus. Chrysostomus* tandem. *Tom.2. Homil.5. de incompreh. Dei Natura, p.m.397.b. Paulus*, inquit, *sic ait: Ex quibus Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.*

PARS II. CAPITIS IX.

Hactenus EXORDIVM. Nunc sequitur ΕΡΓΑΣΙΑ, quæ, utì suprà monitum *pag.254. & seq.* est 1. Ἀνασκευαστική, *Cap.IX. & X.* 2. Παρακλητική. 3. Παραινετική, *Cap.XI. vers.1---23.*

Pars ΑΝΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ comprehẽdit *Refutationem* geminæ *Objectionis* pro prærogativa *Judæorum* contra *Gentes*, quarum una desumitur à prærogativa *Gentis* Judaicæ: altera à prærogativa *Legis*, & ex ea *Justitia Legalis*, secundùm Judæorum præsumptionem.

Refutatio prioris *Objectionis* pertexitur reliquo hoc Capite IX.

Occasio opportuna Paulo fuit præcedens Judæorum elogium, *v.4,5.* quo eorum privilegia commendaverat & amplificaverat: quando dixit, esse Israëlitas, oriundos ex Patribus, hincq; Dei fœderatos.

Objici potuisset: Quis credere posset, Gentem hanc sanctam, à Patribus, cum quibus Deus olim fœdus æternum pepigerat, descendentem, cujus est adoptio & promissiones, à Deo esse abjectam: è contrario verò Gentes alienigenas, à fœdere prorsus alienas & profanas, à Deo fuisse assumptas & adoptatas?

Resp. Huic *Objectioni* Apostolus proleptice in reliquo hoc Capite ita occurrit, ut

I. IVDÆORVM pro Gentis suæ prærogativa varias *Instantias*

stantias, & contra suam abjectionem *Exceptiones*, retundat. *vers.6---23.*

II. GENTIVM è contrario, quas Judæi alto supercilio contemnebant, electionem & adoptionem probet & evincat ex variis S.Scripturæ locis, *vers.24.usq. ad fin.Cap.*

IVDÆORVM REFVTATIO.

Apostolus *Instantiis* variis occurrit Judæorum, quibus arietare potuissent contra suam à Deo abjectionem, quarum una nascitur ex alia: omnes autem desumptæ sunt à consequentibus absurdis.

INSTANTIA PRIMA.

Desumpta ea est ab *Inconstantia Fœderis & Promissionum Dei*, in verbis seqq.

Vers.6. *Non quasi verò exciderit Sermo Dei. Non omnes, qui* (sunt) *ex* (Patre) *Israële*, (sunt) *Israël.*

Vers.7. *Neque quia* (sunt) *semen Abrahami*, (ideò) *omnes* (sunt) *filii: sed in Isaaco vocabitur tibi semen.*

Vers.8. *Hoc est, non qui filii carnis, ii filii Dei: sed qui* (sunt) *filii promissionis, reputantur in semine.*

Vers.9. *Promissionis enim sermo hic est: Hoc ipso præstituto tempore veniam, & erit Saræ filius.*

Vers.10. *Neq.* (hic) *solùm, sed & Rebecca, quum ex uno concepisset*, (nempe) *ex Isaaco Patre nostro*, (hæc experta est.)

Vers.11. *Nondum enim natis* (pueris,) *quum nihil fecissent boni vel mali; ut præstitutum illud Dei, quod* (est) *secundùm* (ipsius) *electionem*, (id est) *non ex operibus, sed ex vocante*, (firmum) *maneret.*

Vers.12. *Dictum est ei: Major serviet minori.*

Vers.13. *Sicut scriptum est: Jacobum dilexi, Esavum autem odio habui.*

Ex his verbis Apostoli elicienda nobis est

α. OBIECTIO Judæorum, cujus summa huc redit.

Si Judæorum Gens anathema est à Christo, adeóque abjecta à Deo, Gentibus è contrario adoptatis & in fœdus assumptis: sequitur, Verbum Dei, id est, Promissiones Patribus, Abrahamo, Isaaco & Jacobo factas in fœdere, cecidisse:

quum scilicet Deus promisit, se futurum Deum ipsorum & seminis ipsorum in seculum.

At Consequens est falsissimum: contrarium nimirum veracitati & constantiæ Dei.

Ergo & Antecedens falsum est, quum dicis, Judæos esse à Deo abjectos & repulsos: & per consequens Doctrina illa tota de Justificatione per fidem absq; operibus Legis, per quam Judæi, tanquam eam repudiantes, anathematizantur, falsa est atque erronea.

β. RESPONSIO Apostoli. *Respondet* 1. per *Negationem* Consequentiæ, *vers.6. Non quasi verò propterea exciderit sermo Dei.* Q.D. Etiamsi Judæi sint majori ex parte rejecti à Deo, tamen inde non sequitur, Verbum & Promissiones Dei excidisse. 2. Per *Confirmationem* negationis, ad quam transit per prolepsin seu occupationem.

Objicere quis potuisset: Judæis & Israëlitis, descendentibus ab Israële & Abrahamo, facta est promissio. Atqui tu dicis, illos esse repulsos; & contrà Gentes alienigenas, ab Israële & Abrahamo non descendentes, fuisse electas & adoptatas. Sequitur ergo, Verbum Dei in Judæis cecidisse, adeóque Deum esse inconstantem, quod absurdum & blasphemum.

Resp. Apostolus huic Objectioni occurrere, & negationem Consequentis in Objectione prima tueri volens,

I. *In genere* negat, omnes illos esse veros Israëlitas & filios Abrahæ, qui carnaliter ab Israële & Abrahamo descendunt. *vers.6. Non enim omnes, qui sunt ex Patre Israële, sunt Israël: vers.7. Neq; quia sunt semen Abrahami, ideò omnes sunt Filii.* Sententia huc redit:

In illis solùm ratæ sunt promissiones, Verbum Dei, fœdus; qui sunt verè filii Israël & filii Abrahami.

Atqui non omnes illi, qui descendunt carnaliter ab Israële & Abrahamo, sunt veri Israëlitæ & filii Abrahami.

Ergo nō in omnibus promiscuè sunt ratæ promissiones, &c. atque hinc non mirum, complures, imò majorem partem, repulsam.

Distinguit ergo heic Apostolus 1. inter Israëlitas, qui sunt tales vel ὄντως, vel tantùm κατ' ὄνομα. 2. Inter semen Abrahami, & filios, sive hæredes, quod discrimen in seqq. meliùs elucidabit.

II. In-

II. *In specie* negationem suam cum affirmatione ei contrariâ probat geminâ *ἐπαγωγῇ*, sive inductione *Exemplorum*.

ℵ. *Filiorum Abrahami, v.7,8,9.* Summa probationis Paulinæ huc recidit:

Major. Quæ ratio est filiorum, ab Abrahamo proximè descendentium, scilicet *Ismaëlis* & *Isaaci*; eadem ratio quoque est reliquorum omnium, qui remotè ab Abrahamo descendunt.

Rat. Nam si qua debuit esse genuina progenies, (sunt verba Calvini) *quæ à pacto non deficeret, debuit esse ea, quæ primum gradum obtinebat. Verùm, cùm videamus in primis Abrahæ filiis, eo adhuc vivente, recenti adhuc promissione, alterum à semine fuisse segregatum: quanto id magis in longa posteritate evenire potuit.*

Minor. Atqui hæc est ratio, ut, licèt ambo ex Abrahamo proximè nati fuerint, tamen non ambo fuerint filii & hæredes: sed 1. unus fuerit electus, & solus pro filio & hęrede promissionis reputatus, videlicet *Isaac*: 2. alter verò, scilicet *Ismaël*, fuerit reprobatus, & exhæres promissionis declaratus.

Assumptionis hujus lemma *posterius* Apostolus non ponit expresse, sed tacitè ex priore concludendum relinquit. *Prius* autem lemma indicat, quum dicit *v.7.b. sed in Isaaco vocabitur tibi semen.* Respicit ad locum *Genes.21.12.* ubi sic legitur: *Dixit Deus ad Abraham: Ne displiceat in oculis tuis propter puerum* (Ismaëlem), *& propter ancillam tuam* (Agar): *quicquid dixerit tibi Sara, acquiesce voci ejus: QUIA IN ISAAC VOCABITUR TIBI SEMEN.* Hinc porrò sic vult argumentari Apostolus:

Ille solùm reputatur in Abrahæ semine, id est, pro vero filio & hærede Abrahami, qui est filius non carnis, sed promissionis. *vers.8. Non qui filii sunt carnis, ii filii Dei, sed qui sunt filii promissionis, reputantur in semine.*

Atqui *Ismaël* est tantùm filius carnis, progenitus vi carnis ex Agar, ancillâ Abrahami: solus *Isaac* autem est filius promissionis. *Probat* hoc Apostolus *vers.9.* ex oraculo alio, *Gen.18.10.* in quo Abrahamo & Saræ, Vxori legitimæ, promissio de Isaaco facta. *Promissionis enim, ait, sermo hic est: Hoc ipso præstituto tempore veniam, & erit Saræ filius.*

Ergo, rejecto Ismaële, solus Isaac pro vero filio Abrahami est habendus.

Conclusio. Pari ergo ratione, vult dicere Apostolus, non omnes illi sunt filii censendi Abrahæ, & veri Israëlitæ, qui carnaliter ab Abrahamo descendunt, sed qui sunt filii promissionis, id est, quos Abraham genuit vi promissionis. Tales autem sunt soli Electi, idque tùm ex Judæis, tùm ex Gentibus. *Rat.* Quia Abraham accepit promissionem de Filiis non solùm carnalibus, sed & spiritualibus, adeóq; etiam de *Gentibus benedicendis in semine ejus, Gen.22.18.* cui promissioni credidit, & per hanc fidem spiritualiter genuit credentes, quo sensu etiam suprà Cap.*4.11,16.* *Pater omnium credentium* dictus est: item *hæres Mundi per justitiam fidei,* Ibid.*v.13.*

Sicut ergo Israël incredulus, etiamsi carnaliter ex Abrahamo natus fuerit, tamen non pro filio Abrahami habitus, sed repulsus; & solus Isaac tanquam filius promissionis in semine reputatus fuit: ita quoq; non omnes Israëlitæ pro filiis Abrahami reputantur, sed soli filii promissionis, scilicet electi & fideles. Atque in his fœdus Dei & promissiones firmæ ac ratæ manserunt.

Observanda heic veniunt duo.

α. Quid Apostolus per *filios carnis* & *filios promissionis* intelligat.

1. Per *Filios carnis* non intelligit simpliciter illos, qui κατὰ σάρκα ab Abrahamo descendunt. tales sunt etiam electi atque fideles, qualis Isaac ipse fuit: sed illos, qui tantùm secundùm carnē ab Abrahamo descendunt, qualis Ismaël. Sic *Galat.4.29.*
2. Per *Filios promissionis* intelliguntur non tantùm illi, qui ab Isaaco geniti sunt carnaliter, tanquam promissionis filio: sed etiam omnes illi, qui pertinent ad promissionem Abrahamo factam, cujus promissionis vi Isaacus fuit conceptus & natus, & simul per fidē Abrahami, per quam istam

istam promissionem apprehendit. Atqui ad istam promissionem pertinent nō solùm *Judæi*, sed etiam *Gentes*, quia expressè dictum fuit: *In semine tuo benedicentur omnes Gentes.* Sic ergo ab Abrahamo geniti dicuntur non solùm *Judæi*, sed etiam electi & fideles ex *Gentibus*. Et hoc sensu (quod probè notandum) Abraham dicitur *Pater omnium credentium*, non solùm, quia Abraham exemplum fuit omnibus credentibus propositum in toto Mundo, *Rom.4.12*: sed etiam, quia tales spiritualiter genuit, videlicet per fidem habitam promissioni, quæ ei facta fuit de filiis non solùm *carnalibus*, sed & *spiritualibus*: uti quidem etiam alibi, *Gal.4.29.* mentio fit *filii ei nati secundùm spiritum*, scilicet Isaaci.

B. Quid Apostolus de utrisque, *filiis* tùm *carnis*, tùm *promissionis*, prædicet.

1. *Filios carnis* indicat esse rejectos, dum negat, eos esse *filios Dei.v.8.a. Non qui filii carnis, ii sunt filii Dei.* Atq; id *vers.7.praced.* tacitè exemplo *Ismaëlis* comprobavit, qui filius quidem fuit Abrahami secundùm carnem: nec tamen habitus pro *filio Dei*, sed rejectus & reprobatus, exclusus à fœdere Abrahamico.

2. *Filios promissionis* indicat esse *filios Dei*, adeóque adoptatos & electos præ aliis filiis carnalibus. *Filii*, inquit, *promissionis reputantur in semine, v.8.b.* quod *vers.7.b.* expressè docuit *Isaaci* exemplo: *sed in Isaaco vocabitur tibi semen.*

Sternit ergo heic Apostolus viam ad doctrinam de *Prædestinatione*, consistente in quorundam Hominum præ aliis *Electione*, & aliorum *Reprobatione*. An de temporali tantùm, an verò æternâ loquatur, dicam in *Quæstionibus*.

D. *Filiorum* ISAACI, gemellorum, scilicet *Jacobi* & *Esavi*, *v.10.-13.* Observ.

I. *Occasio*. Hanc insinuat Apostolus *v.10.* οὐ μόνον δὲ *&c. Neq, hic solùm &c.* quæ verba nexum ostendunt cum præcedentibus, & αὔξησιν quandam *Confirmationis* quoque. Simul prolepticè Apostolus occurrere vult tacitæ alicui ad præcedentia exempla exceptioni.

Objicere & *regerere* quis potuisset: Non mirum esse Isaacum Ismaëli à Deo prælatum, 1. Quia iste ex serva

& ancilla, ille ex libera fuerit prognatus. 2. Quia iste fuerit Homo profanus, impius, fratris osor, cōtemptor, persequutor: ille verò pius, obediens, Deique timens.

Respondet Apostolus: *Non solùm verò &c.* indicans, se tale exemplum nunc propositurum, in quo κρησφύγετα illa atque exceptiones non sint locum habituræ.

II. *Scopus* ut intelligatur, accuratè *status controversiæ* est cognoscendus in hac Disputatione, qui est tùm

1. *Primarius & principalis: An Judæorum gens, adoptatis Gentibus, fuerit rejecta?* Paulus non quidem expressè affirmabat, ad declinandam Judæorum invidiam: tacitè autē suprà *v.2.& 3.* id insinuabat, commemoratione suæ tristitiæ & doloris, ex statu perdito Judæorum; voto item concepto de sua à Christo abjectione, loco eorum. Et proclive erat id colligere ex præcedenti Apostoli doctrina de Justificatione per fidem in Christum, absque operibus Legis, quam Judæi rejiciebant atque damnabant.

2. *Secundarius & minùs principalis: An positâ Judæorum rejectione Verbum Dei exciderit?* Paulus negavit, *v.6.a.* quia promissio non pertineret ad omnes, sed tantùm ad electos. Heic enim distinxit inter Abrahami filios, quorum alios dixit esse *carnis* tantùm filios, in quibus promissio non habeat locum; alios verò *promissionis*, in quibus locum habeat. *Exemplo* id docuit & demonstravit *Ismaëlis & Isaaci, v.7.9.* Nunc porrò alio *exemplo* evidentiori id ipsum vult demonstrare, &, sicut dixi, simul diluere exceptiones contra prius exemplū. Itaq; scopus Apostoli in verbis *versus 10--13.* est,

   α. Discrimen prædictum magis confirmare.

   β. Discriminis quoq; causam ostendere: quòd videlicet ea nequaquam in Hominibus, à Deo vel adoptatis, vel rejectis, quærenda, sed in solo & libero Dei beneplacito.

III. *Medium*, sive *Argumentum*, quo hoc discrimen iterum evincere vult Apostolus, est novum par exemplorum, videlicet gemellorum, *Jacobi & Esavi*, ab Isaaco ex Rebecca cōceptorum. Vbi observand.

1. Apostolum non utriusq; tantùm posteritatem intelligere, sed ipsas personas Jacobi & Esavi. *Ration.* 1. Quia secùs

falsa

falsa esset Apostoli doctrina. Neque enim tota posteritas Jacobi fuit adoptata, neq; tota posteritas Esavi rejecta. 2. Apostolus peteret *τὸ ἐν ἀρχῇ*, imò pro Judæis militaret. Hoc ipsum enim erat in Quæstione: An videlicet quicunque vocarentur Israëlitæ & Judæi, sint in fœdere & promissionis hæredes, nec'ne? quod Paulus negaverat hactenus, *v.6.&c.* 3. Paulus personas expressè nominat ex *Mal.cap.1.2.3.* item statum puerorum in utero Matris, ut appareat, ipsum nolle directè de posteris, sed de ipsorum Patriarchis loqui: quanquam hypothesi ad thesin revocatâ, possit quoq;, quod de Patriarchis dicit, suo modo ad posteros accommodari, utì videbitur deinceps. Hinc observand.

2. Apostolum hoc exemplum introducere non tantùm ut *simile*, & ut typum, sed ut exemplum *speciale* superioris generalis doctrinæ de discrimine Abrahamidarum; quamvìs etiam possit per similitudinem accommodari ad alios, ut sensus sit: Quæ ratio est Jacobi & Esau, eam quoq; rationem esse communiter Judæorum, qui de Patre Abrahamo gloriantur: quod nunc porrò patebit.

IV. *Probatio* ipsa Apostoli ex hoc medio ducta huc redit:

Propositio. Si Deus inter nondum-natos gemellos unius Patris ac Matris, in eodem adhuc jacentes utero, & vacuos omnis boni vel mali operis, tale statuit discrimen, ut unum adoptaverit, rejecerit alterum: sequitur, non omnes, qui Patre Abrahamo gloriantur, esse verè Abrahæ filios, & promissionis hæredes, sed tantùm electos ex libero & gratioso Dei beneplacito.

Assumptio. Atqui verum est *Antecedens*, ut patet exemplo gemellorum Jacobi & Esavi. Nam si spectes

Subjectum. 1. Vterque ab uno sunt Parente, videlicet Isaaco & Rebecca: non ut Ismaël & Isaac ex diversis Matribus.

2. Ambo sunt à Matre sterili. *Gen.25.21.* Non ut Ismaël ex fœcunda, Isaac autem ex sterili.

3. Nondum-nati ambo, ut prærogativam nullâ apud Deum habuerit unus præ altero: aut in discrimine electionis & reprobationis, vel primogenituræ vel postgenituræ habita fuerit ratio.

4. *Nihil quicquam boni vel mali operati*, ut nō possit dici, unum pro-

probiorem & sanctiorem fuisse altero, sicut Isaac probior fuit Ismaële.

Omnia hæc Apostolus insinuare voluit verbis, *v.10,11. Sed & Rebecca, quum ex uno concepisset*,(nempe) *ex Isaaco Patre nostro* (hæc experta est). *Nondum enim natis* (pueris,) *quum nihil fecissent boni vel mali &c.*

Attributum. Et tamen discrimen tale Deus inter ipsos constituit, ut unum, scilicet *Jacobum* secundò-genitum, elegerit & dilexerit, ut esset fœderis & promissionum hæres: alterum verò, scilicet *Esavum*, odio habuerit & repudiaverit. Ne Apostolus hoc ex suo cerebro confingere putaretur, probat id ex gemino Oraculo, quorum

α. *Primo* probatur *factum*, scilicet discrimen jam dictum, *v 12. Dictum est ei: Major serviet minori.* Locus occurrit *Gen.25.23.* ubi habetur testimonium Dei & vox ad Rebeccam. *Jehova dixit ei* (Rebeccæ): *duæ Gentes sunt in ventre tuo,& duæ Nationes ex visceribus tuis separabuntur, quarum Natio una robustior erit alterâ,& major serviet minori.*

β. *Secundo* probatur *facti causa*, videlicet unius dilectio, alterius aversatio. *v.13. Sicut scriptum est: Jacobum dilexi, Esavum autem odio habui.* Digitum intendit in locum *Malach. cap.1.v.2.3. Diligo vos, ait Jehova, & dicitis, in quo diligis nos? Non ne frater fuit Esau Jacobo? dictum Jehovæ. Dilexi autem Jacobum: Esavum verò odio habui.*

Quàm apposite & ad scopum loca ista ab Apostolo allegentur, dicam in *Quæstionibus*.

Complexio. Sequitur ergo tandem, non omnes, qui Patre Abrahamo gloriantur, esse verè filios & hæredes fœderis & promissionum. Hujus *Conclusionis* loco occurrunt *vers.11.* hæc verba: *Ut præstitutum illud Dei, quod* (est) *secundùm* (ipsius) *electionem*, (id est) *non ex operibus, sed ex vocante*, (firmum) *maneret*. In quibus Apostolus, ut antè dictum, vult concludere non solùm discrimen prædictum Isaacidarum, Jacobi scilicet & Esavi, sed & causam discriminis, videlicet liberam Dei & gratuitam Electionem.

I. *Propositi* facit mentionem, ut ostendat, discrimen illud inter filios carnis & promissionis, adoptionis & rejectionis, non esse fortuitum, sed niti Dei consilio & voluntate, & qui-

& quidem non demùm in tempore conceptâ, ſed ab æterno præſtitutâ. Ideò πρόθεσιν vocat, ſicut ſuprà *Cap.8.v.28.*

2. Πρόθεσιν vocat κατ' ἐκλογὴν, *propoſitum, quod eſt ſecundùm electionem*, determinativè. Generalius enim eſt *Propoſiti* nomen, cùm ſe extendat quoque ad *Reprobationem*. Reſpicit autem Apoſtolus ad electionem Jacobi, per quam Deus ipſum à fratre majore diſcriminavit.

3. Dicit: ἵνα μένῃ. Non dicit, *ut eſſet* vel *fieret*, ſed *ut maneret*. Iterum ergo indicatur, hoc diſcrimen non demùm in tempore fieri cœpiſſe, quum gemelli concepti fuerant in utero, ſed ab æterno. nunc autem demùm patefactum, ut æternum propoſitum ratum eſſet.

4. Dicit: *non ex operibus*. Contra Judæos, qui & de generis prærogativa, & de operum juſtitiâ præ Gentibus gloriabantur: atque ut oſtendat, Electionem non niti intuitu bonorum operum in eligendis.

5. Addit tandem: *ſed ex vocante*, ſcilicet Deo. *Vocantis* meminit, propter promiſſionem & oraculum patefactum Iſaaco & Rebeccæ. *Vocantis* autem & non *vocatorum*, ne cauſa diſcriminis in vocatis quæratur, ſed in ſolo Deo vocante, libero videlicet ejus & independente beneplacito.

QVÆSTIONES, *ex Cap. IX. verſ. 6--13.*

Quæſt. I. Quâ occaſione & ſcopo Apoſtolus hanc Diſputationem fuerit ingreſſus, quam hoc & duobus ſequentibus Capitibus digeſſit?

Reſp. Jam ſuprà aliquid in Analyſi ad *verſ.10. & ſeqq.* de his monitum eſt.

I. *Occaſio* eſt infidelitas & contumacia Judæorum contra Evangelium. Hactenus Apoſtolus Capitibus VIII. præcedentibus id potiſſimùm egerat, ut palàm faceret, nullum Hominem, vel ex Lege Naturæ inter Gentes, vel ex Lege ſcriptâ inter Judæos, coram Deo juſtificari, ſed tantùm ex fide in Jeſum Chriſtum, per quam fidem inſuper omnes juſtificati gaudeant pace apud Deum, renoventur & ſanctificentur ad vitæ novitatem, & tandem ſalutis ſuæ æternæ contra omnis generis tentationes certiores reddantur. Hujus Doctrinæ conſectarium aliud eſſe non potuit, quam 1. Abjectam & condemnatam eſſe majorem *Judæorum* partem, qui juſtitiam quærebant ex Lege, *Rom.10.3.* neglectâ juſtitiâ fidei, & contempto Chriſto. 2. *Gentes* verò adoptatas, quæ juſtitiam fidei amplectebantur.

Quæſtio hinc emerſit: Quomodo hoc fieri potuerit, ut Judæi potiore ſui parte Chriſtum contumaciter rejicerent, Legis juſtitiæ inhiarent, & hac ratione ſalute exciderent? *Rat. dubit.* 1. Quia promiſſiones de Chriſto ipſis præcipue videbantur factæ. 2. Quia abſurdum hinc videbatur, eos promiſſionibus excidiſſe: quaſi nimirum verbum Fœderis cum Abrahamo initi potuiſſet reſcindi & retractari. 3. Hinc Apoſtoli do-

ctrinam de Justificatione, vel erroneam & absonam esse, vel non continere unicam viam ad justitiam & salutem consequendam.

II. *Scopus* jam Apostoli inde liquere potest. Nequaquam ei, quod à nonnullis fingitur, Disputationem de Justificatione, quam in præcedentibus tam operose, accurate & consummate pertractaverat, resumere, & novis machinis eam propugnare. Sed præsuppositâ Doctrinæ suæ certitudine & immotâ firmitate ac veritate, concessâ deinde Judæorum plerorumque, propter Doctrinæ hujus rejectionem, abjectione & condemnatione, quam satis initio hujus Capitis, cum testificatione suæ [illegible] insinuaverat: porrò per *[illegible]* retundere quæ in contrarium objici poterant, atque ostendere, propter incredulorum abjectionem Fœderis Dei atque Promissiones [illegible] labascere, sed in sua firmitate & certitudine perstare. Quod satis negatio [illegible] incit, *vers. 6. Non quasi verò propterea* (scilicet propter Judæorum incredulitatem, [illegible]que abjectionem,) *exciderit sermo Dei.*

Quæst. II. Hinc porrò quæritur: Quomodo Apostolus *Quæstionem* motam expediat, ut ostendat, Fœderi Dei & Promissionibus, in eo Judæis factis, suam constare firmitatem?

Resp. Qui respondent, Apostolum firmitatem hanc fundare in fide credentium inter Judæos, quos Deus ex æterno fidei ipsorum intuitu & prævisione elegerit, atque à grege incredulo & maximo reliquorum separaverit, illi toto Cœlo errant: cum à *versu 6. usq; ad 29. inclusivè*, in quibus Apostoli responsio fuse digeritur, nulla vel fidei quorundam Judæorum, vel incredulitatis aliorum mentio fiat. Nec sufficiebat respondere, in quibusdam per fidem Fœdus stetisse, in aliis per incredulitatem cecidisse: quia porrò quærere proclive erat: *Cur minima Judæorum pars crediderit, reliquis in incredulitate pertinaciter hærentibus?*

Necessario itaque Apostolo ascendendum fuit ad primam Fidei [illegible] Fœderis olim cum Abrahamo initi, & totius Humanæ salutis originem: videlicet PROPOSITVM & ELECTIONEM DEI gratuitam, qui quos Deus, vi Fœderis [illegible] salvare decreverat, eos quoque fide & agnitione Christi donare constituerat, ut in [illegible] solis Fœdus & Promissiones essent ratæ; reliquis, propriâ interim suâ culpâ in incredulitate & exitio relictis. Atq; hinc demum Apostolus discrimen facit inter *filios carnis & promissionis. Illos* negat esse veros filios Abrahæ, quia non sint Dei filii, etiamsi [illegible] ab Abrahamo descendant: *hos* solos in filiorum, uti Abrahami, ita Dei numero habet, ad quos fœdus, adoptio, promissiones propriè pertineant. Sed & evidenter declarat, [illegible] intervenire causalem respectum & intuitum, vel dignitatis, vel dispositionis [illegible] congenitæ, acquisitæ, infusæ, quorundam præ aliis: sed discrimen hoc pendere à solo Deo vocante, quippe qui alios juxta liberrimum Voluntatis suæ beneplacitum [illegible], alios rejiciat. quod quidem exemplis *Isaaci & Ismaelis*, filiorum Abrahæ, *Jacobi* [illegible] & *Esavi*, filiorum Isaaci & Rebeccæ, evidentissime probatum dat, ut nullum, vel minimum vestigium occurrat causæ discriminationis eorum, v.g. fidei adoptatorum & electorum, & infidelitatis rejectorum & reprobatorum, quam Deus in iis fuerit [illegible] adeò ut totam hanc Apostoli Dissertationem miserè & infeliciter pervertant, [illegible] ingenii sui nervos eò intendunt, ut Deo, Voluntatis suæ de Hominum [illegible] iræ, vel salute, vel exitio, libertate ademptâ, tueantur libertatē Voluntatis Humanæ [illegible] Homo vel per suum Velle, Dei Velle; vel per suum Nolle, Dei Nolle, [illegible]. Hic est purus putus Pelagianismus, ex cujus præcipitio & abysso in æternum [illegible] extricabunt, qui negant, Decretum Prædestinationis, absolutum à causis & conditionibus, extra Dei Voluntatem, quas comminiscuntur in Homine. Paulum Apostolum, obtorto veluti collo, & fidiculis omnibus adhibitis, conantur in suum assensum cogere, ut im-

ut impleatur in ipsis querimonia Petri, 2. *Pet.* 3. 16. quod quidem à Theologis orthodoxis alus hactenus satis & abunde demonstratum, & porrò ex sequentibus elucescet.

Quæst. III. An Paulus hoc loco agat 1. de *Decreto Prædestinationis*, æternâ scil. quorundam Hominum Electione ad Vitam æternam; alterumque Reprobatione ad Mortem æternam? 2. An agat de *Decreto absoluto?* 3. *Immutabili?* Ad hanc *Quæstionem* me cogit Adversariorum hodiernorum πολυμηχανώτατη ἀβολεψία sophistica.

Resp. I. Jam dictum & doctum est, Apostolum in defensione suæ Doctrinæ consequentiis absurdis gravatæ, ascendere ad Decretum Prædestinationis Divinæ. *Rat.* 1. Quia agit de causâ & origine primâ discriminis inter salvandos & damnandos, inter credituros & non credituros, hincque justificatos & non justificatos. 2. Quia expressam facit mentionem τῆς προθέσεως, *vers.* 11. quæ vox nequaquam, uti in Analysi dictum, temporariam, sed æternam Dei dispositionem, seu præstitutionem denotat, quod suprà quoque ex *Cap. VIII. vers.* 28, 29. patuit. Atque ut ostendat, non unam tantùm esse Dei πρόθεσιν, scilicet ad salutem, loquitur limitatè & restrictivè *ibid.* de προθέσει κατ' ἐκλογὴν, de *proposito seu præstituto secundùm electionem.* 3. Hinc porrò colligere facile est, Deum ab æterno non omnes elegisse ad salutem, sed quosdam suo proposito ab eadem reprobâsse. 4. Palàm hoc faciunt exempla, quæ Apostolus ad Doctrinæ hujus confirmationem adducit. *Unum* est, quòd cum solo Abrahamo ejusque posteris fœdus pepigerit, reliquis Populis & Gentibus præteritis. *Alterum* est, quòd inter ipsos Abrahæ filios arcanâ suâ electione discrimen fecerit, *Ismaële* repudiato, *Isaaco* pro solo filio & hærede reputato. *Tertium*, quòd gemellos Isaaci ex Rebecca filios, in eodem utero conceptos, paris conditionis, ita discriminaverit, ut uno præterito, scilicet *Esavo*, alterum tantùm, scilicet *Jacobum*, dilexerit. Qui dicet, hoc discrimen fuisse tantùm temporariæ alicujus dispensationis, ille negabit, Deo omnia sua opera esse cognita ab æterno. *Act.* 15. 18.

II. Quæ Apostolus disputat de *Electione* & *Reprobatione*, negare, accipienda esse de *Decreto Dei absoluto*, id est, independente à causis secundis, atque hinc quoque *immutabili*; est negare Decretum ipsum Dei. Nam si *Decretum* sumatur pro *Voluntate*, quæ est *in Deo*, & quâ apud se ab æterno aliquid præstituit: si quis dicat, hanc Voluntatem esse conditionatam, à creaturis pendulam, hinc mutabilem, uti nunc pingitur ab Adversariis Voluntas, quam præposterè vocant *Antecedentem*; nihil reverà aliud est, quàm Deum ipsum fingere conditionatum & mutabilem.

III. Jam quod Adversarii objectant, hoc in loco Paulino non agi vel de *Electione* ad salutem æternam, vel de *Reprobatione* ad mortem æternam, sunt meræ petitiones principii, quæ negotio facillimo refutantur. *Rat.* 1. Quia agit Apostolus de ea Judæorum abjectione, quæ est comes & pedissequa ipsorum incredulitatis, cujus utique stipendium est mors æterna, *Joh.* 3. 18. *Marc.* 16. 16. 2. Quia *vers.* 8. *filios Carnis* excludit ab υἱοθεσίᾳ, & negat esse *filios Dei*, adeóque solis *filiis promissionis* (exemplo *Isaaci* in medium adducto) adoptionem, hincque salutem æternam adjudicat. 3. Quia indicat, Judæos esse *anathema à Christo*, adeóque à salute & Vita æterna, quæ non alibi, quàm in Christo reperitur: hincque tanto mœrore se constrictum & pressum declarat, *vers.* 2. 4. Itaque porrò occasione hâc excurrens & attollens se ulteriùs ad mysterium *Prædestinationis*, *vers.* 22, 23. meminit *vasorum* tùm *iræ*, quæ dicit *esse compacta ad interitum*; tùm *gratiæ*, *præparatorum ad gloriam*. *Ira* hæc & *gloria* non est præsentis tantùm, sed & futuri seculi. Quod deinceps meliùs patebit. *Respondebo* nunc ad unam vel alteram *Objectionem*.

Objic. I. Paulum postea, *Cap. X. v.* 1. Deum rogâsse pro Judæorum, de quorum rejectione *hoc Cap. IX.* disserat, æternâ salute. Non ergo statuisse æternam eorum rejectionem.

Resp. 1. Paulus indefinite oravit pro Judæis, quia noverat, multos inter eos fuisse electos, inposterùm cövertendos & salvandos, quod deinceps, *Cap. IX. vers.* 27, 29. & *Cap. XI.* pluribus demonstrat. 2. Quod si omnes & singuli Judæi intelligendi veniant, pro quibus oraverit Paulus, sequitur juxta hanc Objectionem, nullos fuisse in æternum à Deo reprobatos, quod ne quidem Adversarii concedent. Nam si excipiant, nullos se agnoscere absolute reprobatos, sed tantùm propter incredulitatem prævisam: respondeant, cur ergo Deus non omnes absque exceptione reprobaverit, cum in nemine fidem prævidere potuerit, nisi quam ei, per electionem gratuitam præ aliis, donare decreverat? 3. Licet etiam pro reprobis orare, quamdiù nobis de eorum reprobatione non constat. Orationis enim nostræ regula non est Voluntas Dei arcana, sed Dei Verbum, quo jubemur, secundum canonem charitatis, de omnibus bene sperare, antequàm nobis Dei arcana de ipsis judicia innotescant.

Objic. II. Paulum (*Rom. XI. vers.* 13, 14.) studium adhibuisse, per *Gentium* conversionem, ad æmulationem provocare *Judæos*, ut posset aliquos ex ipsis servare.

Resp. Hoc verò nequaquam obstat reliquorum abjectioni & æternæ damnationi. Ex particularibus nihil sequitur.

Instant. At Pauli intentio fuit, convertere omnes.

Resp. Omnes, inquam, convertibiles. Quos enim inconvertibiles deprehendit, hos deseruit, & judicio Dei commendavit. *Act.* 13. 46.

Objic. III. Paulum *Cap. XI. vers.* 23. indicare, Judæos reprobatos si non permanserint in infidelitate, oleæ denuò insitum iri. Ergo *hoc Capite IX.* eum non agere de reprobatis à Vita æterna.

Resp. 1. Consequentia falsa est. Nam in loco *Capitis XI.* agit Apostolus communiter de *tota Gente* Judaica, non de *toto Gentis*, seu de singulis in illa Gente. Hoc autem *IX. Capite* agit de Electione & Reprobatione singularium personarum, quod exempla allegata filiorum Abrahami & Isaaci satis evincunt. 2. Hinc alia ratio est Reprobationis temporalis integræ alicujus Gentis, qualis fuit Judæorum ejectio ex fœdere, quoad externam ejus œconomiam, quæ & revocabilis est, & simul intelligenda venit cum exceptione electarum reliquiarum, quod Paulus aperte docet *Cap. XI. v.* 1, 4, 5. alia Reprobationis singularium personarum, quæ irrevocabilis est, & Decreti Dei æterni & immutabilis. 3. Hinc porrò impossibile est, reprobatos non permanere in infidelitate, cum fides sit solorum electorum. *Tit.* 1. 1. *Act.* 13. 48. *Rom.* 8. 30.

Quæst. IV. An non Apostolus videatur sibi contradicere, quando *vers.* 6. dicit: *Non omnes, qui sunt ex Israele, esse Israelem* & postea *vers.* 7. *Non esse filios Abrahami, qui sint semen ejus?*

Resp. Homonymia vocum tollit contradictionem. Nam 1. vox [*Israël*] *vers.* 6. sumitur primum *propriè & personaliter* pro *Israele* seu *Jacobo*: sic *affirmantur* omnes Judæi esse ex Israele, tanquam Patre: deinde *patronymicè*, pro Gente seu Stirpe ab Israele deductâ. Sic sumitur *ibid.* vox ista, quum *negantur* omnes tales esse Israël, id est, Israëlitas. 2. Distinctio altera inter *filios Carnis & Promissionis*, quam affert Apostolus *vers.* 8. iterum medetur contradictioni: quando ostendit, non omnes esse veros Israëlitas, qui tantum secundùm carnem descendant ab Israele, quia non sint hæredes fœderis & promissionum, quod exemplis postea evincit. 3. Hinc porro intelligere facile est, quòd aliquod Abrahæ semen, videlicet *Ismaëlem*, excludat a filiis, *vers.* 7. quia sub nomine [*Filiorum*] comprehendit simul jus hæreditatis, & quidem non tantum corporalis & temporalis, sed & spiritualis atq; æternæ. Ideo *vers.* 8. negat, omnes *filios Carnis* esse *filios Dei*,

quo

quo respectu suprà *Cap. II. vers.* 28, 29. negavit *Judæum* esse, qui talis sit tantùm ἐν τῷ φανερῷ, ἐν γράμματι; sed qui sit talis ἐν κρυπτῷ, ἐν πνεύματι. Sic alibi *Gal.* 4. *v.* 22. *& seqq.*

Quæst. V. Cur Apostolus solos Electos & Fideles vocet *filios Promissionis? Rat. dub.* 1. Quia omnes Abrahamitæ & Israëlitæ pertinent ad eam Promissionem, quâ Abrahamo fuit multiplicatio Seminis ipsius promissa. 2. Quia etiam illi, quos vocat *filios Promissionis*, sunt filii κατὰ σάρκα.

Resp. In Analysi jam aliquid de hoc est commonefactum. Solos Electos vocat *filios Promissionis*, v.g. *Isaacum*, quia vi non Naturæ, sed Promissionis genitus est. Et sub hoc nomine comprehendit Apostolus non tantùm eos, qui porro ab Abrahamo per Isaacum descendunt secundùm carnem; sed & omnes fideles ex Gentibus, quos Apostolus veluti spiritualiter vi Promissionis genuisse dicitur, uti quidem *Gal.* 4. 29. filii Promissionis dicuntur *nati secundùm Spiritum*. Itaque 1. distinguendum inter Promissionem *generalem* Abrahamo factam de Seminis multiplicatione, *Genes.* 12. 2. *&* 17. 4, 6. ad quam pertinent quoque *filii Carnis*: & *specialem*, qualis fuit de *Isaaco*, ceu hærede, *Genes.* 15. 4. *&* 18. 10. *&* 21. 12. cui Promissioni includuntur soli Electi & Fideles, & quidem non solùm ex *Judæis*, sed & *Gentibus*: quo sensu Abraham suprà *Cap. IV. vers.* 11, 12. dictus fuit PATER OMNIVM CREDENTIVM: quia credendo in Promissionem hanc sibi factam quodammodò genuit, non solùm Isaacum, sed & omnes credentes. *Ratio* est: quia fundamentum illius Promissionis fuit CHRISTVS, cujus Isaacus fuit typus. *Gal.* 3. 16. 2. Jam quod dubium alterum attinet, tenendum, quod in Analysi dixi, Paulum per *filios Carnis* intelligere eos, qui tales sunt exclusivè, seu tantùm, quo in censu habentur, quotquot ab Abrahamo descendunt quidē carnaliter, at destituuntur fide, qualis Ismaël, Esau, &c.

Quæst. VI. Quid Apostolus *vers.* 6. intelligat per *Sermonem Dei*, quum negat, *Sermonem Dei excidisse?*

Resp. Non intelligit *Legem Dei*, ut quidam fingunt, sed *verbum Promissionis*, quod negat Apostolus excidisse propter rejectionem majoris Judæorum partis: quia fœdus & promissio pertineat ad electos: imò quia sese extendat quoq; ad credentes ex Gentibus, tanquam spirituales Abrahæ filios. Hinc postea *vers.* 8. discrimen fit *filiorum Carnis* & *filiorum Promissionis*, & ostenditur, in his solis, non in illis ratum haberi Sermonem Dei, quod porrò confirmatur exemplo Isaaci *vers.* 9. de quo Promissio facta fuit Abrahamo, *Genes.* 18. 10.

Quæst. VII. Quo sensu *vers.* 7. *& seqq.* exempla filiorum Abrahæ & Isaaci ab Apostolo allegentur?

Resp. α. Exempla hæc esse *specialia*, quibus Apostolus voluit docere & demonstrare suam Thesin, quam proposuerat *vers.* 6, 7. *a. non omnes, qui sunt ex Abrahamo & Israële nati, esse veros Abrahamitas & Israëlitas*, seu pro veris filiis & hæredibus fœderis & promissionis habendos: quia solo Isaaco & Jacobo electis, Ismaël & Esau fuerint repudiati. Quo quidem nihil potest esse clarius illi, qui non vult lippis oculis, aut præjudicio aliquo fascinatus, intueri textum Apostolicum. Isaac utique fuit non tantùm typicè, sed & verè Promissionis filius, & Jacob non tantùm typicè, sed & verè fuit dilectus. Circumstantiæ quin-etiam tàm accuratè ab Apostolo descriptæ, nec non dissimilitudo, quam tangit, inter exemplum prius Ismaëlis & posterius Esavi, satis arguunt, Paulum loqui non tantùm typicè, sed & paradeigmaticè.

β. Dico, *typica* quoque posse vocari hæc exempla. quia v.g. *Isaac & Jacob* typi sunt non solùm omnium electorum, secundùm carnem ab Abrahamo descendentium; sed & omnium electorum & credentium ex Gentibus, uti suprà dixi. *Ismaël* verò & *Esau* typum gerunt omnium reproborum & non credentium inter Judæos & Gentes.

Mm 3

γ. Nego autem, exempla hæc esse typica, eo sensu intelligenda, quem comminiscuntur Novatores, & quo depravant textum Apostolicum, ut Doctrinæ Prædestinationis tenebras offundant. Ajunt, Ismaëlem & Esavum allegari ut typos eorum, qui ex operibus justificari volunt: Isaacum autem & Jacobum eorum, qui justificantur ex fide. Quid absurdius? quid inconvenientius? 1. An Ismael & Esau poterant repræsentare eos, qui justitiam quærunt in operibus Legis, cùm eorum tempore Lex nondum lata fuisset, & ambo fuerint Homines profani, impii, scelerati. *Heb.*12.16? 2. Nunquid Apostolus *vers.*11. Jacobum & Esavum in theatrum producit indiscriminatos, & nudatos omnibus dotibus, qualitatibus, dignitatibus, respectibus, quas ratio Humana potuisset in ipsis comminisci; ut inveniret in ipsis causam illius discriminis, quod Deus ipse æterno suo consilio inter ipsos statuit, eligendo & diligendo unum, repudiando & negligendo alterum? Quomodo ergo Jacob figuram gessisset credentium: Esau autem operariorum legalium?

Quæst. IX. Recténe ab Apostolo exempla prædicta ad mysterium *Prædestinationis*, *Electionis* nimirum Isaaci & Jacobi ad vitam æternam; *Reprobationis* è contrario Ismaëlis & Esavi, adeóque rejectionis æternæ, accommodentur?

Resp. I. Qui negant, Apostolum heic allegare *exempla specialia* æternæ Prædestinationis, & similitudine tantùm aliquâ allegoricâ uti voluisse ad ostendendum discrimen credentium & operariorum inter Judæos: illi, quæcunq; differuntur de filiis Abrahami & Isaaci, referunt tantùm ad statum præsentis, non etiam futuri seculi, adeóque ad beneficia tantùm & judicia temporaria. Hinc *Ismaëlem* & *Esavum* putant describi quidem ut rejectaneos à jure primogenituræ, & hæreditate ac possessione terræ Canaan; salvâ interim æternâ ipsorum salute. Itaque dilectionem Jacobi & odium Esavi interpretantur συγκριτικῶς, ut Deus dicatur Esavem odisse, id est, non eo dilectionis gradu complexum, qui contigit Jacobo, propter exclusionem ejus è terra Canaan, & servitutem, in quam tandem posteri Esau à posteris Jacobi fuerint redacti. Atque ita, juxta istorum glossema, *Esavus*, licet hæres æternæ salutis, typus tamen fuerit Judæorum, à salute æternâ propter incredulitatem exclusorum. Quâ ratione typus, quem fingunt, & πρωτότυπον ei respondere necesse habens, inter se conciliari possint, viderint, quibus mica aliqua salis restat in cerebro.

II. Ego veró pertendo contraria. Non typos tantùm & exempla *similia* proponi, sed *specialia*, quod jam in præcedentibus monitum est: & proferri ea, tanquam exempla Prædestinationis æternæ.

Rat. 1. Quia proferuntur ad directam probationem Theseos, quæ habetur *vers.*6. quòd scilicet propter damnationem æternam majoris partis Judæorum, non exciderit Fœdus Dei & Promissiones olim Patribus factæ. Quomodo procederet probatio, si Ismael & Esau in numero eorum, qui salvati sint, essent reputandi?

Rat. 2. Quia Apostolus *vers.*6,7,8. expressè negat, eos Abrahamitas & Israëlitas, cum quibus confert Ismaëlem & Esavum, esse Abrahæ & Israelis filios & hæredes. Excludit ergo à Fœdere, hincq; à Christo, qui principaliter per *Semen Abrahæ* intelligitur, *Galat.*3.16. adeóque à salute æternâ.

Rat. 3. Quia *vers.*8. negat, tales, tanquam filios tantùm Carnis, esse filios Dei. Negatâ ergo υἱοθεσίᾳ apud Deum, negatur salus æterna.

Rat. 4. Quia discrimen, quod Deus inter gemellos Isaaci fecit, factum est ex *proposito secundùm electionem Dei* liberè & gratuitò *vocantis*, *vers.*11. Electionis autem & Vocationis Jacobi finis est ἀποτελεσματικῶς ejus Salus æterna. Unde consequitur, Esavum fratrem ab ea fuisse exclusum, cum exclusus fuerit ab illa dilectione & vocatione, quâ Deus Jacobum præ ipso dignatus fuit.

Rat.

Rat. 5. Quia deinceps Apostolus, in apologia suæ Doctrinæ, de dilectione Jacobi & odio Esavi, introduxit exemplum aliud *Esavo* parallelum, *Pharaonis*, à Deo indurati, & in æternum abjecti & condemnati, *vers.* 17.

Rat. 6. Inde proporrò discrimen instituit quoque theticum, seu generale, inter *vasa iræ & gratiæ, vers.* 21, 22, 23. ad decus & dedecus, ad interitum & gloriam compacta, quæ quidem interpretari velle, de temporali tantùm hujus Vitæ & seculi conditione, Hominis esset prorsus amentis.

Rat. 7. Adde alibi *Hebr.* 12, 16. Esavum vocari βέβηλον, *profanum*, quod epitheton potest esse sufficiens argumentum ipsius *Reprobationis*: *α*. Quia edulium aliquod vile anteferendo suæ Primogenituræ, palàm fecit, se contemnere summam dignitatem, & grande Dei beneficium in se collatum, Primogenituræ conjunctum. *β*. Quia Primogenitura, ut & alia temporalia beneficia, rectè utentibus, pignora & signacula fuerunt gratiæ & dilectionis Dei, adeóque spiritualium beneficiorum, hincque Salutis æternæ: non tamen exclusive & opposite ad eos, qui non erant primogeniti. Nullum enim hinc creatum fuit præjudicium liberæ Dei dispensationi, quâ uti potuit & usus fuit in discretione tùm electorum, tum reproborum, in utrorumque posteritate. *γ*. Hinc dicitur porrò in loco citato exclusus à benedictione Patris, etiamsi eam quæsivisset cum lacrymis. *δ*. Ast non resipiscentiæ, sed iræ & odii Vatiniani, quo deinceps Fratrem fuit persequutus, ut nulla prorsus in ipso comparuerint signa adoptionis spiritualis & salutis æternæ, ad quam fuerit assumptus. *ε*. Atque id satis quoque addocuit ejus posteritas, quam Deus ex Fœdere, ad Jacobum ejusque posteros restricto, adeóque salute æternâ exclusit: nisi quis censeat, extra Dei fœdus quempiam salvari posse.

Objic. I. Paulum citare *vers.* 12. locum ex *Genes.* 25, 23. in quo 1. non agatur de persona Esavi, sed de posteris. Nam in Esavi persona non fuisse impletum Oraculum: cùm nunquam servierit Jacobo: imò Jacobus potiùs ipsum tanquam Dominum honoraverit. 2. De servitute tantùm corporali. 3. Neq; aliter Rebeccam Oraculum intellexisse, quæ alioquin præ mœrore contabuisset.

Resp. 1. Falsum est, Oraculum tantùm de posteris Esavi loqui. Reclamat *vers.* 11. in quo agitur de *Personis* ipsis *Jacobi & Esavi*, in quibus dicitur hoc ipsum Oraculum impletum, quod *vers.* 12. ex Genesi recitatur. Itaque primariò de *Personis*, secundariò de *posteris* intelligendum est. Et sic intellexit quoque Isaac ipse Pater, dicens Esavo, *Genes.* 27, 40. *Tu Fratri tuo servies.* 2. Quòd non Esau Jacobo servierit, sed Jacob Esavo, indicium est, Oraculum non tantùm de corporali servitute, ad quam tandem posteri Esau fuerunt redacti; sed de spirituali esse intelligendum, quâ Jacob ei in gratia Fœderis fuit prælatus. 3. Quanquam interim jus Primogenituræ Jacobo semper illibatum manserit, ut Esau semper de jure fuerit & manserit servus Jacobi. 4. Non tantùm servitutem intelligi corporalem inde patet, quia dicitur ea Esavo imposita ex Dei erga ipsum odio, *vers.* 13. ex alio loco, *Mal.* 1, 2, 3. Hoc enim odio, uti à Primogenitura, ita à gratia, adoptione ad Salutem, terrâ Canaanæâ, quæ typus fuit cœlestis Patriæ, & fœdere Dei fuit exclusus. 5. Quo sensu Rebecca Oraculum acceperit, non multum interest. Sufficit, Paulum nobis genuinum sensum, scopo suo inservientem, ex Spiritus S. illuminatione patefecisse.

Objic.

Objic. II. Locum alterum, quem Paulus citat ex *Malach.1.v.1,2.* non accipiendum de Electione Jacobi ad Vitam æternam, vel de Reprobatione Esavi ab illa. *Odium* enim, quo Deus dicatur Esavum odisse, declarari tantùm ex effectu habitationis horridæ, & vastationis terræ montosæ Seir. *vers.3.* Itaque dilectionem & odium Dei intelligenda tantum de beneficiis & judiciis temporalibus.

Resp. 1. Atqui Paulus, Spiritu Dei instructus, explicans Oraculum illud Propheticum de Electione Jacobi & Reprobatione Esavi, meliùs id intellexit, quàm score Prædestinationis Adversarii. 2. Beneficia temporalia in Judæos collata, v.g. terra Canaan ejusque fertilitas Judæis fuerunt pignora gratiæ Dei salvificæ & fœderis, cujus promissio primaria fuit adoptio & salus æterna. Quando ergo Deus Esavum cum posteris ab istis beneficiis exclusit, abundè docuit, se ita ipsos odisse, ut voluerit exclusos à fœdere & salute æterna. Remitto heic Lectorem ad Lutheri *Libr. de Servo Arbitr.* contra Erasmum, *cap.* 166. *&* 167. ubi scribit inter alia: *Reprehenditur* (apud Malachiam) *ingratitudo filiorum Jacob, qui non vident, quid illis conferat & fratribus suis Idumæis auferat, nullâ causâ, nisi quia hic odit, illic amat. Quomodo nunc stabit, quòd Propheta de temporaria afflictione loquatur, cùm evidentibus verbis testetur, sese loqui de duobus populis à duobus Patriarchis natis: illum susceptum in populum & servatum; hunc verò relictum & tandem destructum. Suscipere verò in populum, & non suscipere in populum, non pertinet ad temporalia bona vel mala tantùm, sed ad omnia. Neq; enim Deus noster tantùm temporalium Deus est, sed omnium.*

Objic. III. Non posse odium Dei accipi de odio ad Mortem æternam, cùm Deus alibi contrarium testetur, se neminem velle perire, *Ezech.18.23. & 33.11. & 2.Pet.3.9.*

Resp. 1. Quatenus Homines Deo objiciuntur ut Creaturæ, ejusq; adeò opera sunt, dici potest, Deum neminem velle perire. Quatenus autem considerantur ut peccatores, suâ propriâ culpâ, falsum est, Deum neminem velle perire. Paulus postea hoc *Cap.v.21,22.* similitudine figuli contrarium demonstrat. Alibi Deus ipse testatur, se *ultione* de impiis sumenda *sese esse consolaturum. Ezech.5.13. Jes.53.10.* dicitur *Deus delectatus esse conterere Christum*, tanquam nostrum propter peccata sponsorem & fidejussorem coram ipsius tribunali. 2. Loci citati ex Ezechiele agunt de *Voluntate*, quam vocant *Signi*, quæ habet annexam conditionem resipiscentiæ. Nihil enim aliud ibi indigitatur, quàm Deum per Prophetam in verbo suo ita se declarare, quòd nolit punire & perdere peccatores, si modo resipiscant. Hinc non sequitur, Deum nullos odisse ad interitum: imo contrarium sequitur, odisse peccatores ἀμεταμελήτους, iisque æternum exitium destinâsse. 3. Locus Petri agit de Electis suo tempore convertendis, propter quorum resipiscentiam Deus adhuc differt finem Mundi, ut patet ex verbis præcedentibus. Ideò dicit: *Patiens est in* NOS *animo, nolens ullos*, scilicet NOSTRUM, *perire*. Quòd si placeat locum extendere ulteriùs etiam ad damnandos, dicendum: ibi agi de *Voluntate* non *Decreti*, quia Deus non decrevit singulos convertere; sed *Signi*, quâ omnes promiscuè ad pœnitentiam vocat.

Quæst. X. Possit'ne dici, Prædestinationem niti prævisione bonorum vel malorum meritorum in Homine; vel etiam fidei & infidelitatis?

Resp. I. *Prius* affirmativè tuentur *Pontificii*. Ast directè contra Apostoli *vers.11.* expressam negationem. Docet enim, discriminationem, quam Deus in æterno suo pro-

proposito instituit inter Filios Isaaci, unum eligendo & diligendo, alterum odio habendo & rejiciendo: 1. Nequaquam niti ullo boni vel mali operis ipsorum intuitu. Dicit enim, *propositum hoc non fuisse*, id est, pependisse aut suspensum fuisse *ex operibus*. 2. *Ex solo vocante* (DEO,) id est, liberâ atque indebitâ gratiâ & amore Dei vocantis, id est, promissionem Rebeccæ facientis, *vers*. 12. fuisse profectum.

Excipiunt quidam, Paulum loqui de Prædestinatione tantùm ad *gratiam*, non ad *gloriam*.

Resp. 1. Quasi Prædestinatio ad *gratiam* & ad *gloriam* essent divellendæ, & prior gratuita, posterior meritoria esset: 2. Aut quasi prædestinatio ad gratiam esset prædestinatio ad meritum, per quod illi, qui gratiæ per primam illam Prædestinationem participes facti fuerunt; possent aut potuissent in Dei consilio demereri prædestinationem ad gloriam. Quâ ratione gratia Dei poterit conciliari cum meritis, ut gratia non sit gratia, & opera bona, tanquam ex prædestinatione ad gratiam profecta, tamen sint meritoria gloriæ? Hæc sunt ἀσύστατα. *Rom*. 11.5,6.

II. *Posterius* arcte tenent Arminiani, & degeneres Lutheri discipuli, qui volunt, Prædestinationem niti prævisione Fidei in eligendis, tanquam gratiam acceptaturis; & infidelitatis in reprobandis, tanquam gratiam vel respuituris, vel non finaliter in gratia perseveraturis. Operose & accuratè Semipelagianismum hunc modernum profligaverunt Theologi orthodoxi, ut mihi, tàm angustis cancellis circumscripto, non sit heic immorandum, aut multùm laborandum.

III. Paucis contendo, Deum in Prædestinatione gemellorum Isaaci, Jacobi dilectione, Esavi odio, nullum habuisse prorsus intuitum cujuscunque ipsis inhærentis discretivæ qualitatis; sed liberrimâ dispensatione, à sua sola εὐδοκίᾳ & beneplacito pendente, usum fuisse.

Rat. 1. Quia Pauli scopus in hac Disputatione id insinuat, scilicet ostendere, Deum liberrime in gente Israëlitica assumere pro filiis, quos suâ miseratione dignatur; & alios non habere pro filiis, quos dedignatur υἱοθεσίᾳ: ut nihil interim depereat Verbo Dei, fœderi, promissioni. Atqui libertas electionis non habet locum, ubi Deus dicitur pendere à conditione aliqua & qualitate, quæ constituat Hominem vel eligibilem, vel reprobabilem.

Rat. 2. Quia Apostolus utrumque, Jacobum & Esavum, Deo objicit expressè tanquam pares, eorundem Parentum filios simul conceptos, nondum natos, nullis adhuc non solùm actibus, sed etiam qualitatibus & habitibus, ex quibus actus illi prævideri potuissent, vestitos; sed nudos prorsus, jacentes in gremio independentis Dei providentiæ.

Rat. 3. Quia Apostolus in hac discriminatione utriusque excludere voluit minorem Esavi prærogativam, scilicet primogenituræ: ut ostenderet, Deum non attendere etiam majorem aliquam prærogativam, scilicet Fidei, si ea potuisset in Esavo deprehendi aut prævideri.

Rat. 4. Quia Apostolus, de Electione loquens, aufert eligendis omnem respectum, ut sic dicam, eligibilitatis, ne quisquam eis causalis, conditionalis, antecedens in Dei præscientia, respectus relinquatur: & transfert in solum Deum *vocantem*, id est, gratiam & Voluntatem liberam, indebitam.

Rat. 5. Quia Electi in Dei prævisione præsupponuntur, uti fideles, ita quoque & regeniti & justificati, contra Pauli methodum, seriem & texturã, quâ auream Salutis nostræ catenam nobis delineavit, *Rom. cap*. 8.29,30.

Rat. 6. Quia hinc fides, & per consequens justificatio, regeneratio, conversio, uti Electioni Dei, ita etiam gratiæ Dei præmitterentur & prærogarentur, & dici necessum esset, 1. Fidem & beneficia ei connexa non pendere vel à gratia

Dei, vel à sola gratia Dei, quod quidem aperte fatentur Pontificii, & cum his novi Semipelagiani inter Pseudo-Lutheranos & Arminianos: 2. Vel gratiam fidei à Deo Hominibus donari & dispensari absque intentione certa & constanti salutis per fidem adipiscendæ. Nam hoc sensu perseverantiam adhuc relinquunt in Hominis arbitrio, conatu, studio. Atqui hæc omnia militant contra apertum & manifestum Dei Verbum. Scriptura nullibi dicit, Fidem esse positam in bilance Voluntatis aut liberi Arbitrii humani; ut possit sese ad gratiam in Evangelio oblatam flectere indifferenter, per ejus vel acceptationem, vel recusationem: sed dicit, eam esse purum, putum, gratuitum Dei donum. *Matth.*13.11. *Joh.*6.44,45. *Philipp.*1.29. Dicit, per gratiam Dei efficaciter & præpotenter fidem in nobis excitari, *Joh.*6.44. *Eph.*1.19,20. Nullibi dicit, Fidem prævisam antecedere Electionem, & reddere Hominem eligibilem; quod tantundem est, ac si diceretur: Hominem prius in Dei præscito eligere Deum, quàm Deus eligat Hominem. Sed dicit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Joh.*15,16. Quod Augustinus dicit: *Non credunt, ut eligantur, sed eliguntur, ut credant*, hoc dicit Scriptura. Id suprà demonstravi ex quibusdam locis, quum Paulus *Rom.*8.30. dicit, nos esse prædestinatos ad vocationem & justificationem, & per consequens ad fidem, *Tit.*1.1. *fidem* esse *electorum Dei*: & tanquam donum & fructum Electionis conferri iis, qui sunt præordinati ad Vitam æternam, *Act.*13.48. *Joh.*6.37,45. Hinc porrò fidei donum negari à Deo iis, qui non sunt electi, *Matth.*13.11,12. *&c. Joh.*8.47. *&* 10.26. 1.*Joh.*4.6. Nullibi dicit, nos per fidem, tanquam organum prævium, fuisse à Deo electos, sicut dicit, nos per fidem justificari. Nam, quod locum 2. *Thessal.*2.13. attinet, *fides* ibi describitur non tanquam medium Electioni *præordinatum*, sed ad ejus exequutionem & consequendam salutem electis prædestinatam, *subordinatum*. quia *ibid.* fit mentio *sanctificationis Spiritus*, quam Apostolus alibi, *Ephes.*1.4. expressè ex fonte Electionis derivat. Nullibi denique Scriptura dicit, Fidem à Deo Homini donari absque certa & immota intentione ipsum per fidem salvandi, in casualem aliquem & incertum eventum perseverantiæ, quæ relinquatur in fidelis arbitrio & manu: sed dicit contrarium: Deum, quos fide donat, constituisse per fidem salvare, *Joh.*3.16. *&* 20.31. 1.*Pet.*1.5. & donum fidei in ipsis usque ad finem conservare, *Matth.*24.24. *Philipp.*1.6. *Rom.*11.29. *Jesa.*42.3. idque propter meriti Christi & intercessionis insuperabilem efficaciam. *Johan.*17.11.

Rat. 7. Quia juxta hanc glossam nullus fuisset locus *Exceptioni & Objectioni*, quæ postea sequitur *vers.*14. quasi Deus injustus esset, qui credentes eligeret, non credentes reprobaret. Nulla enim, ut deinceps videbitur, heic occurrit alicujus Injustitiæ in Deo imaginatio & suspicio. Quis enim negabit Justitiam Dei, audiens Jacobi dilectionem præ Esavo, quòd Jacob per fidem Dei gratiam acceptaverit, Esau per infidelitatem repudiaverit: sicuti nemo discriminis inter primos fratres Abelem & Cainum à Deo constituti injustitiam inde arguet, quòd Abel sacrificium suum obtulerit per fidem, alter absque fide.

Rat. 8. Imò Apostolus, occasione præcedentis Doctrinæ de Justificatione ex fide absque operibus, voluit ostendere (NB) non causam, ob quam fideles justificentur & serventur, infideles è contrario damnentur: actum, jam suprà fuse & sufficienter, egisset. sed altiùs voluit ascendere, uti in Analysi luculenter docui, & ostendere: Quæ causa sit, quòd tantus Judæorum numerus in cæcitate sua & infidelitate ἀμεταγνώτως perseveret: paucis reliquiis conversis, ad fi-

ad fidem perductis & servatis. Qui hoc non videt in doctrina Apostoli, nihil videt & scotomati suo relinquendus.

Rat. 9. Quia Apostolus, in sequentibus verbis dictam *Objectionem* diluere volens, nequaquam respondet per distinctionem qualitatum & adjunctorum disparium in eligendis & reprobandis, v.g. fidei & infidelitatis: sed refert causam istius discriminis ad puram, putam, à nullo Hominis alicujus respectu dependentem Dei voluntatem, sive demùm *Electionem*, sive *Reprobationem* spectemus. *vers.* 15--18. Sed de his videbitur in sequentibus.

INSTANTIA SECUNDA.

TRANSITIO. Superiùs fuit commemoratum, Apostolum tribus *Capp. IX. X. XI.* hujus Epistolæ, de *Judæorum* ex fœdere Dei Rejectione, vicissim autem *Gentium* Adoptione acturum, voluisse præcipuas contra suam Doctrinam *Objectiones* atque *Instantias* refutare. Prima hactenus fuit pertractata, quæ desumpta fuerat ab INCONSTANTIA & mutabilitate FOEDERIS DEI, cum populo Israëlitico initi, iisq; in Verbo Dei multis promissionibus contesserati. Et hactenus Apostolus istam *Objectionem* diluit, per negationem Consequentiæ, & negationis quoque confirmationem, uti jam id sufficienter in præcedent. tùm *Analysi*, tùm *Quæstionibus* fuit demonstratum. Ostendit enim, 1. Non omnes esse veros Israëlitas, qui tales *dicuntur* & *nascuntur*; propter discrimen *filiorum Carnis* & *Promissionis*; quorum *illi* sint tantùm filii κατ' ὄνομα & δόξαν, *hi* κατ' ἀλήθειαν. 2. Etiamsi Judæi carnales exciderint fœdere, gratiâ, promissionibus; tamen in filiis promissionis ratum manere fœdus, quia ad eos solos pertineat. 3. Id probatum dedit Inductione binorum exemplorum parium, filiorum Abrahami *Isaaci* & *Ismaëlis*; gemellorum item, *Jacobi* & *Esavi*, ex utroq; Parente, Isaaco & Rebecca conceptorum; & quidem ex Oraculis Veteris Testamenti. 4. Quo postremo exemplo non solùm demonstravit discrimen prædictum filiorum Carnis & Promissionis, adeóq; electorum & rejectaneorum inter Judæos; sed & causam & originem primam hujus discriminis, videlicet Voluntatis Dei liberrimum, & independens beneplacitum ab ullius Hominis merito, dignitate aut indignitate, aut qualicunque conditione prærequisitâ, quæ Deum ad electionem unius & reprobationem alterius permovere potuisset.

Hanc PRÆDESTINATIONIS ÆTERNÆ Doctrinam, quam jam ingressus fuerat Apostolus, nunc in sequētibus vindicare & tueri vult contra alias *Objectiones* atque *Instantias*, ex ea emergentes, quas nectit Ratio humana, in tanto mysterio aliisque rebus Divinis cœca.

Nn 2

Instantia ista, quam dixi *secundam*, cum sua *Refutatione*, comprehenditur verbis sequentibus hujus Capitis.

Vers.14. *Quid igitur dicemus? Num injustitia (est) apud Deum? Absit.*

Vers.15. *Nam Mosi dicit: Miserebor, cujus misertus fuero: & commiserabor, quem commiseratus fuero.*

Vers.16. *Nempe igitur* (Electio) *non est ejus, qui velit, neq; ejus, qui currat, sed ejus, qui miseretur,* DEI.

Vers.17. *Dicit enim Scriptura Pharaoni: Ad hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te potentiam meam, & ut annunciectur Nomen meum in tota terra.*

Vers.18. *Itaque cujus vult, miseretur; quem autem vult, indurat.*

ANALYSIS. Nova in his verbis diluitur *Objectio* per modum *Instantia* ad præcedentia. Hujus occurrit

א. Propositio.

I. *Propositio, vers.14.a. Quid igitur dicemus? Num injustitia apud Deum:* Accuratè heic considerand.

1. *Thesis*, quæ impugnatur. Recognoscenda ea ex *vers.11.* videlicet *Deum inter gemellos, conceptos quidem, sed nondum natos, & nihil vel boni vel mali operatos, tale discrimen fecisse, ut uno* (Jacobo) *dilecto, electo, adoptato; alterum* (Esavum) *reprobaverit & ex fœdere excluserit: idq; ex mero suo beneplacito, nullo habito respectu boni vel mali operis in uno & altero.*
2. *Argumentum* antitheticum, quod desumptum est ab absurdo Consequête, quia hinc Deus argueretur esse INIVSTVS. Hinc suprà monui, alteram hanc *Objectionem* peti, per deductionem ad absurdum, à DEI INIVSTITIA. *Argumentum* autem illud Syllogisticè huc redit:

   Syllogism. Quæ Doctrina ita comparata est, ut Deum arguat injustitiæ, ea meritò est repudianda. Hoc *Majus* est.

   Atqui tua, ô Paule, Doctrina arguit Deum injustum. Probatur *Prosyllogisticè*:

   Qui docet, Deum inter pares, nullo habito respectu dignitatis & indignitatis, tale facere discrimen, ut unum amet, alterum odio habeat; is facit Deum inju-

injustum, qui cum paribus impariter procedat, indignum atq; immeritum amet; vicissim nullius adhuc mali operis reum atque damnatum, odio habeat: quique, cùm potuisset suum amorem extendere ad ambos, voluerit eum restringere ad unum tantùm.

Atqui tu, ô Paule, hoc ipsum doces exemplo gemellorum Jacobi & Esavi, quòd tale Deus inter ipsos fecerit discrimen, &c.

Ergo facis Deum injustum. Inde porrò sequitur Conclusio *Syllogismi:*

Ergo Doctrina ista tua est repudianda.

Observ. Apostolum non sine gravi causa veluti per προθεραπείαν aliquam voluisse movere hanc *Objectionem:* quia noverat, Doctrinam istam sublimem de arcana Dei Prædestinatione, quâ Homines naturâ pares, discrevit per gratiam suam, & quidem liberam & independentem, esse 1. peregrinam & inimicam cœcæ Rationi humanæ, cui sapientia Dei est stultitia, & justitia Dei, injustitia. 2. Obnoxiam futuram iisdem prorsus criminationibus & calumniis seculis futuris. Vti quidem nunc talibus nefandis & propudiosis calumniis perstrepit totus Mundus, quibus gravatur & diffamatur Apostolica Reformatorum doctrina de Dei Prædestinatione.

Ex.gr. Docemus cum Paulo, Deum non indefinitè genus Humanum vel ad salutem, vel ad exitium prædestinâsse, sub certa aliqua vel in servandis, vel in condemnandis, in incertum aliquem eventum exspectandâ conditione: sed in Libro Vitæ insculptas habuisse singulares personas electorum & salvandorum, reliquis exclusis; utì quidem Apostolus hoc Capite singularium personarum facit mentionem. Hoc ipsis est injustitia apud Deum.

Docemus cum Paulo, Deum non omnes & singulos Homines ab æterno eodem amore fuisse complexos, sed alios dilexisse & elegisse ad salutem, alios in communi exitio reliquisse & reprobâsse. Hanc vocãt injustitiam apud Deum.

Docemus cum eodem Paulo, Non omnes, propter discrimen illud electionis & reprobationis, à Deo per Verbum ad adoptionem & salutem vocari, sed innumeram Hominum turbam à Deo præteriri: sicuti etiam olim in Veteri

Teſtamento Deus ſolâ ſalutari vocatione, quæ eſt per Verbum, dignatus fuit Gentem Iſraëliticam. Hoc ipſis eſt injuſtitia apud Deum.

Docemus porrò quoque cum Paulo, Deum, juxta propoſita ab ipſo exempla Abrahamidarum, Iſaacidarum, & Iſraëlitarum, diſcriminare arcanâ ſuâ electione, ex ſuo dono gratioſo credentes, & ex negato illo dono, propriâ interim ſuâ culpâ, non credentes. Hoc ipſis injuſtitia eſt apud Deum.

Docemus proporrò, Electionem & Reprobationem nullo niti intuitu prævio cauſali & conditionali meritorum bonorum vel malorum a Deo factam. Hoc ipſis eſt injuſtitia apud Deum.

Docemus etiam cum Paulo: ſicuti Deus Jacobum & Eſavum in Prædeſtinatione ſua intuitus fuit tanquam nondum natos, ſed tantùm in peccato conceptos, adeóq; nullo alio etiam fidei habitu aut actu veſtitos; ita Deum nullo etiam fidei vel cauſali vel conditionali antecedente reſpectu, elegiſſe ad ſalutem, quos ipſe ab æterno præcognovit & prædilexit; ſed Electionem hanc eſſe merum, purum opus gratiæ Dei & beneplaciti independentis ab ulla in Homine prævisa conditione, quæ Hominem apud Deum eligibilem reddere potuiſſet. Hoc ipſis eſt injuſtitia apud Deum.

Docemus pariter: quanquam omnes reprobi, propter corruptionem nativam ipſis inhærentem, ſuâ naturâ in Dei prævisione reprobabiles fuerint; ſicut etiam Eſau hoc reſpectu, tanquam in peccato originali conceptus, reprobabilis fuit: tamen decreti Reprobationis in Deo cauſam, propriè loquendo, non fuiſſe Hominis peccatum, vel etiam incredulitatem: cùm juxta hunc cauſalem reſpectum non ſolùm Eſau, ſed & Jacob, adeóque omnes omninò Homines reprobandi fuiſſent. Docemus autem hoc cum Apoſtolo. Et tamen hoc Adverſariis eſt injuſtitia apud Deum.

Docemus tandem cum Apoſtolo, Dei propoſitum ſecundùm electionem manere firmum, adeò ut electi fide donentur, & per eandem certò & infallibiliter ſerventur: reprobi, qualis Eſau, tanquam nunquam convertendi, & in ſuis peccatis perrecturi, infallibiliter damnentur. Hoc iterum ipſis eſt injuſtitia apud Deum.

2. Refutatio.

Reſponſionem ſuam ad *Objectionem* prædictam Apoſtolus

1. *Inchoat* per ſimplicem *Inficiationem*, cum *deteſtatione* conjunctam:

junctam. *v.14.b.* Μὴ γένοιτο: *Absit.* Vbi observetur, Paulum non solùm negare injustitiam de Deo; sed & consequentiam hujus injustitiæ ex sua præcedente Doctrina.

1. Apud Deum nullam esse injustitiam, est ἀναμφισβήτητον. Injustitiæ huic adversatur Dei 1. *Natura*, secũdùm quam non solùm justus est, sed & justitia ipsa. 2. *Verbum*, quod passim testatur de justitia Dei non solùm *universali*, quæ comprehendit in se Oceanum omnium virtutum; sed & *particulari*, quam vocant *διανεμητικὴν, distributivam*, consistentem in retributione bonorum, & vindicatione malorum. unde etiam vocatur *Justitia remuneratrix* & *vindicatrix*. Innumera passim occurrunt loca *Deut.32 35. Psal.5. 5,6,7.& 7.9,12.& 51.6.& 119. Jes.11.3,4. Ezech.18.25,&c.& 33.20. Dan.9.7.* 3. *Opera* Dei undiquaque justa. *Psal.19.10.& 50.21. Job.34.10,11,12. Mal.3.5. Rom.1.32.& 2.6,&c. 2.Theß.1.6,7.* Benefacit non solùm dignis, sed & indignis justè, quia misericorditer. *Matth.5.45. Act.14.17.* Judiciis suis obruit & plectit non indignos, sed dignissimos, quos peccatum vel originale, v.g. Esavum jam conceptum, & nondum natum; vel actualia insuper peccata ad ejus tribunal rapiunt.

2. Sed nec ex Pauli præcedente Doctrina argui & concludi potest Deum esse injustum, si videlicet liberos in pari conceptione, in pari conditione, ambos in peccato conceptos, nondum autem natos, aut actualibus bonis vel malis operibus distinctos, discriminet liberâ suâ dilectione & odio, id quod nunc magìs elucescet ex sequentibus.

II. *Prosequitur* enim Apostolus *Responsionem* suam per *Confirmationem* inficiationis, *v.15,16,17.* ubi duo sibi probanda sumit.

A. *Injustitiam Dei non argui posse ex Electione indignorum* tantùm quorundam pro sua misericordia. Enthymematicè videtur procedere. *Enthymematis*

α. *Antecedens* occurrit *v.15.* & desumptum est ex Oraculo Divino. *Nam*, inquit, *Mosi dicit: Miserebor, cujus misertus fuero, & commiserabor, quem commiseratus fuero.* Locus extat *Exod.33.* ubi Mosi *v.18.* flagitanti à Deo: *fac, quæso, videam gloriam*

gloriam tuam; ita respondetur *v.19. Dixit* (Jehova) *ego faciam, ut transeat tota bonitas mea ante faciem tuam. & inclamabo nominatim IEHOVA ante faciem tuam: sed gratiosus ero, cui fuero gratiosus, & miserebor, cujus misertus fuero.* Subjicitur dehinc *v.20. At non posses, inquit, videre faciem meam: quia non potest me Homo videre & vivere.* Apparet *Oraculum* hoc Mosi à Deo dictum. Ejus considerand.

1. *Occasio*, quæ fuit gemina petitio Mosis: 1. Veniæ & impunitatis pro populo Israëlitico, in Idololatriam Vituli aurei prolapso. 2. Signi impetratæ veniæ, videlicet Visionis plenæ gloriæ Dei, de facie ad faciem, ut patet ex *vers.20.*

2. *Summa*. Respondet Deus

   a. *Affirmativè*, ast κατά τι, quid concessurus sit

      Mosi, v.19. a. scilicet majorem patefactionis suæ gradum & mensuram, quàm hactenus acceperit. Eventus id postmodùm docuit *Cap.seq.34.v.5,6.*

      Populo, in verbis ab Apostolo citatis. Summa huc redit:

      1. Quòd Deus nec totum populum, prout commeritus erat, in ira sua sit deleturus, nec totum per misericordiam conservaturus; sed quorundam, quos ipsi visum fuerit, misertus, reliquis in ira justa relictis.

      2. Quòd hoc discrimen miserationis quorundam tantùm, & per consequens derelictionis aliorum, fuerit ab ipso in decreto suo ab æterno constitutum. Ideò dicit: *Miserebor*, scilicet in tempore, per impunitatem, *cujus misertus fuero*, æterno videlicet meo decreto & voluntate.

      3. Quòd totum hoc sit Voluntatis ejus liberæ & independentis à persona miserandorum.

      4. Quòd hinc quoq; id sit Voluntatis Dei prorsus gratiosæ & indebitæ. Vtique. quia populus suo peccato & defectione iram Dei contra se concitaverat. Hinc *misericordia* fit mentio, quæ præsupponit *miseriam*, utì *pœna* & exitii totalis incumbentis, ita *peccati* antecedentis.

5. Quòd

5. Quòd Voluntas sit misericordiæ æternæ & constantis. Quo pertinet geminatio: *Miserebor, commiserabor.* Vbi notetur, 1. In Hebræo occurrere verba, *Chanan* & *Racham*, quorum illud simplicem denotat gratiam & misericordiam, hoc verò intensivè σπλαγχνισμὸν, miserationem, ex intimis medullis & visceribus prodeuntem, qualis est στοργὴ Parentum erga liberos. Αὔξησιν ergo continet hæc geminatio, quâ magnitudo, incremētum, & per consequens quoque continuatio perennis insinuatur misericordiæ Dei. Ideò dicit, *miserebor*, in futuro, & quidem propter miserationem factam ab æterno, in Decreto Dei immutabili.

b. *Negativè, vers. seq. 20. At non poteris videre faciem meam: quia non videbit me Homo & vivet.* Sic negatur Mosi ipsius postulatum de visione Dei immediata & plena. *Rat.* Quia Homo mortalis propter suam infirmitatem & corruptionem ejus capax esse non possit.

3. *Applicatio*, revocatâ Hypothesi Populi Israëlitici ad Thesin. Sic enim vult dicere Apostolus: Sicut Deus olim absque ulla injustitiæ macula elegit & servavit in populo suo apostatico, quos voluit; quia id fecit ex Voluntate libera & gratiosa: ita Deum inter gemellos Isaaci, Jacobum eligendo, diligendo, & solum in fœdus assumendo præ Esavo fratre, nullius potest argui injustitiæ, quia id fecit ex voluntate sua libera & gratiosa. Itaque huc redit Apostoli argumentatio.

Quod Deus facit 1. ex libera sua voluntate; 2. per modum gratiæ & misericordiæ: id nequaquam potest Deum arguere ullius injustitiæ. *Rat.* α. Quia Voluntas Dei est omnis justitiæ regula, & eo ipso dicitur aliquid esse justum, quia id Deus vult. β. Quia libertas Voluntatis, quæ est in Deo, non potest admittere ullum debitum & obligationem, ad quam ea teneatur. γ. Quia misericordia in Deo non potest militare contra ipsius justitiam: secùs Deus ipse sibi contrarius esset.

Atqui Deus eligendo indignos, eosque aliis in pari indignitate constitutis præferendo, (v.g. Jacobum eligendo præ Esavo): id facit ex libera sua voluntate, per modum

misericordiæ, quâ complecti potest & ab aliis discriminare, quos vult.

Ergo nullius potest argui injustitiæ.

β. *Consequens* Enthymematis prædicti habetur *vers.16. Nempe igitur* (Electio) *non est ejus, qui velit, neq; ejus, qui currat; sed ejus, qui miseretur,* DEI. Concludit Apostolus in his verbis negationem consequentiæ, de qua suprà; sed & doctrinam de Electione antè propositam, ac idem vult dicere, quod dixerat priùs *v.11.b. Propositum secundùm electionem non esse ex operibus, sed ex vocante.* Sicut enim ibi meminerat *operantis*, sic nunc meminit *volentis & currentis.* Sicut etiam meminerat *vocantis*, scilicet Dei, oppositè ad vocatos, consideratos ut operarios, aut electione dignos; ita nunc meminit *Dei miserentis*, oppositè ad eos, qui existimant, se volendo & currendo demerituros aut assequuturos Dei gratiam. De Electionis itaque causa heic agit Apostolus, tùm

1. *Κατ' ἄρνησιν, negativè: οὐ τοῦ θέλοντος, οὐδὲ τοῦ τρέχοντος.* Omnem causam & causalem in Electione respectum removet ab Homine, nihil, ne minimum quidem ei relinquens, de quo possit gloriari: neque 1. *τὸ θέλειν*, velle: 2. *τὸ τρέχειν*, currere, adeóque *τὸ ἐργάζεσθαι.* Jugulatur sic totus *Pelagianismus*, quo Electio non solùm prævisis electorum meritis, sed & prævisæ eorum fidei, quâ gratiam Dei oblatam per suam voluntatem fide amplectuntur, accepta fertur.

Observanda autem heic diligenter phrasis Paulina. Non hæc ejus est sententia: Eos, qui amoris Dei & salutis suæ desiderio serio tenentur, & omni conatu adhibito eam sectantur, laborare in vanum. sed loquitur contra Judæos justitiarios, & contra præsumptionem eorum, qui putabant, in Hominis voluntate & cursu, adeóq; propriâ ejus justitiâ & merito, consistere salutem. Q. D. Nemo sibi imaginetur, & hac ratione semet-ipsum decipiat, se volendo & currendo posse hoc consequi. Id Beza in sua paraphrasi accuratè observavit, quâ à Vulgata discessit. Vetus enim habet: *Non est volentis, neq; currentis*; quasi videl. præsupponi posset, esse aut dari volentem atq; currentem. Sed Beza: *Nō est ejus, qui velit, aut qui currat:*

ut

ut ſenſus ſit; Si maximè quis ſibi perſuadeat, ſe voluntate ſuâ & curſu electionis ἀξίωμα conſequuturum eſſe, quod Judæorum & hodiernorum quoque Juſtitiariorum & Prævisionariorum phantaſma eſt, fruſtrà erit. Sed de his ulteriùs monebo in *Quæſtionibus.*

2. *Κατὰ θέσιν, affirmativè:* ἀλλὰ τοῦ ἐλεοῦντος Θεοῦ, *ſed ejus, qui miſeretur, Dei.* ut hac ratione ſoli Dei liberæ & indebitæ gratiæ & miſericordiæ noſtra Electio, hincq; adoptio & tota ſalus, cum omnibus ejus mediis, accepta feratur.

B. *Injuſtitiam Dei non poſſe argui ex Odio & Reprobatione eorum, qui nihil adhuc ſunt mali operati,* v.g. Eſavi, cujus mentio præceſſerat *verſ.11.* Exemplo id docetur PHARAONIS, Regis Ægypti, *v.17. Dicit enim Scriptura Pharaoni: Ad hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te potentiam meam, & ut annuncietur Nomen meum in tota terra.* Conſideranda heic veniunt ſeqq.

α. *Scopus*, qui eſt, oſtendere, Deum non eſſe injuſtum, odio habendo ſive reprobando Eſavum, qui alteri (Jacobo) electo ſit naturâ æqualis. quod quidem præcipuum erat, cui ſe Ratio Humana *verſ.14.* opponebat. Quia videtur injuſtum eſſe, 1. Odio haberi eum, qui nihil feciſſet adhuc mali, ut Eſau. 2. Cùm in pari eſſet ſtatu cum Jacobo, & in naſcendo primogenitura ei fuiſſet à Deo deſtinata, eidem Jacobo à Deo poſtponi.

β. *Argumentum* ad juſtitiam Dei defendendam, quod Apoſtolus deſumit à Reprobationis fine & ſcopo, qui eſt gloria Juſtitiæ Divinæ. Huc autem tendit ejus ratiocinatio.

Illud nequaquam poteſt Deum arguere alicujus injuſtitiæ, quod Deus facit 1. *liberè*, ex liberrima ſua votate & poteſtate: 2. *juſtè,* ad juſtitiæ ſuæ & gloriæ demonſtrationem.

Rat. Quia Deus ſecùs fine ſuo fruſtraretur, imò ſibi ipſi eſſet contrarius.

Atqui, quum Deus reprobos, qualis Eſau, (etiam nondum natos, & nihil dum mali operatos) odio habet, id eſt, reprobat, deſerit, nec ejusdem amoris & gratiæ, utì reliquos (E.G. Jacobum) participes facit: id facit Deus ad gloriam 1. ſuæ αὐτεξουσίας & liberrimæ poteſtatis: 2. Juſtitiæ quoque.

Ergo Deus nequaquam hinc potest argui ullius injustitiæ.

Minorem Apostolus probat & demonstrat exemplo *Pharaonis*, Regis Ægypti, à quo olim populus Israëliticus diuturnam tyrannidem & persequutionem sustinuit, & ne *ἄτερ γραφῆς* loqui & disputare videretur, locum allegat ex *Exod.cap.9.vers.16. Propterea feci, ut restares, ut ostendam in te potentiam meam, & ut enarretur Nomen meum in tota terra.*

Probatio Pauli huc redit:

Quę ratio est Reprobationis Pharaonis, Hominis gentilis & profani; eadē ratio est Reprobationis Esavi & aliorum, videlicet quoad causam impulsivam Reprobationis. *Rat.* Quia si in Homine gentili peccatum & impietas non potest concedi esse Reprobationis causa, in quo tamē magis esse præsupponitur; tùm sanè multò minùs in filio aliquo ex Gente benedictâ oriundo, qualis fuit Esau. Huc Canon Topicus: *A' negatione illius, quod magis inesse videtur, licet concludere ad negationem illius, quod minùs inesse videtur.*

Atqui hæc est ratio Reprobationis Pharaonis Regis gentilis, ut Deus pro liberrima sua voluntate ipsum reprobaverit, hincque, cùm ipsum æquè atque alios illuminare & convertere potuerit, magis tamē odii sui & iræ exemplum ipsum proponere voluerit, ut in malitia sua magis ac magis fuerit induratus. *Διότι.* In hunc finem, ut 1. *αὐτεξουσίαν* & potentiam, uti etiam justitiam suam in ipso, videlicet in ejus perditione & exitio demonstraret: 2. ut hinc Nomen ejus glorificaretur in toto Orbe.

Sequitur ergo, eandem esse rationem Reprobationis aliorum quoque.

Quò verò meliùs intelligatur ista Pauli ratiocinatio, oportebit paulò penitiùs exemplum *Pharaonis* ab ipso prolatum, & *Oraculi Mosaici* sensum evolvere.

1. Considerandum venit, quid Apostolus sibi *Pharaonis* exemplo probandum sumat. Id liquere potest [1.] ex *vers.11.& seqq.* ubi dixerat, Deum Esavum nondum natum, nec quicquam mali operatum odisse: neque hoc *(vers.14.)* justitiæ Dei contravenire. [2.] Ex *vers.16.& 17.* cujus indicium est *(vers.17.)* particula

cula causalis & ratiocinativa, γαρ. [3.] Ex *vers.18.* qui comprehendit *secundæ* hujus *Apologiæ* epilogum, & docet, *Reprobationem*, ejusq; pedissequam *Indurationem* impiorum pendere à Dei liberrima & justa voluntate. Ex singulis patere potest, Apostolum exemplo Pharaonis voluisse demonstrare sequentia.

α. Deum liberè odisse, id est, reprobare, à salute excludere, & ad exitium destinare, quos vult, & voluntatis ejus, quâ eos, quos odit, discriminat ab iis, quos amat, causam impulsivam nullam indagari posse extra ipsum, sed in ejus beneplacito esse latentem.

β. Sicuti electio, & hinc electorum quoque conversio & salus, non sit currentium aut volentium, sed solius misericordiæ Dei, quâ ipsos gratuitò & liberè dignatur: sic quoque Reproborum impœnitentium indurationem, hincque exitium pendere à Dei ipsos prætereuntis, & præ aliis indurantis, liberâ voluntate.

γ. Voluntatis hujus, & eam consequentis indurationis atque exitii finem esse patefactionem potentiæ & justitiæ Dei.

2. Considerandum, quid Apostolus de *Pharaone* proponat. Recitat

α. Ὅτι, *factum Dei.* Ἐξήγειρά σε: *excitavi te.* Quid hoc sibi vult? *Observand.* 1. Heic, meo quidem judicio, agi non de Pharaone nondum existente, sed existente, qualis etiam fuit Esau, qui licèt nondum fuisset natus, tamen jam fuerat in utero Matris, hincque in peccato originali conceptus. Quòd si quis verbum [*excitandi*] dilatare quoque velit ad Pharaonis *creationem* aut *generationem*, per quam cœpit existere, existimo hoc accipiendum esse de impura massa Generis Humani in Adamo corrupti, ex qua omnes Homines, & hinc reprobi quoq; formantur, ut hoc respectu suâ naturâ sint vasa & filii iræ. 2. *Observ.* Agi heic de actione aliqua Dei non otiosa, sed efficaci. Ideò dicitur: *Ego excitavi te*, uti etiam Lutherus vertit: **Eben darumb hab ich dich erwecket:** ut appareat, quod cum Pharaone factum est, id non contigisse fortuitò, vel nudâ tantùm & otiosâ permissione; sed destinato Dei consilio & efficaci providentiâ. 3. *Observ.* Agi de ipsa consilii Dei

æterni, quod Apostolus *v.13.* vocaverat ***Odium Dei***, exequutione in Pharaone, ceu Homine reprobo: quæ exequutio intelligenda venit tùm de *medio*, Pharaonis videlicet *excæcatione* & *induratione*, quod evidenter liquet ex *verſ.18.* ubi Apostolus ex prævio Pharaonis exemplo concludit, Deum indurare, quos vult; tùm de *fine*, scilicet Pharaonis exitio, in quo Deus manifestavit suam potentiam & justitiam.

β. *Διότι, facti finem:* qui est tùm

a. *Proximus*, ut *potentia*, virtus Dei in eo *manifestaretur:* gloria, inquam, *potentia* Dei, quando videlicet hunc potentem, superbum, præfractum Tyrannum, non solùm variis in Ægypto editis judiciis frœnavit, coërcuit, sed & tandem in Maris rubri cataclysmo prorsus perdomuit & vicit. Simul autem *Iræ* suæ tremendæ ac *Justitiæ* exhibuit documentum. Nam in Pharaonis persona nobis heic exemplum sistitur Hominis, summi peccatoris, & Deo sese præfractè, potenter, at impudenter opponentis, & quidem non absque arcano, justo interim judicio Dei indurati, & in glaciem cordicitùs conversi.

b. *Remotus: ut Nomen Dei celebraretur in toto Orbe*, quod quidem factum post Israëlitarum ex Ægypto eductionem & liberationem, Ægyptiorum in Mari submersioné, & totius Pharaonicæ potentiæ & tyrannidis destructionem. Hinc enim eluxit Dei, tanquam Regis Regum & Domini Dominantium, *παντοκρατορία*; admirabilis & imperscrutabilis *Sapientia*, quâ novit confundere & dissipare consilia & conatus Principum & sapientum hujus Mundi: *Bonitas* & *Misericordia* erga populum Israëliticum, quem inter undas Maris in sicco transmissum mirabiliter servavit, & ex Draconis Ægyptii faucibus eripuit: *Justitia* denique in Pharaonis & totius Ægyptiacæ potentiæ, superbiæ & tyrannidis finali destructione, quam experti sunt in Mari rubro.

III. *Concluditur* tandem ex præmissis, & quidem *generaliter*, Doctrina tùm *Electionis*, tùm *Reprobationis*, quoad controversiam de utriusque causa, *verſ.18. Itaq; quorum vult, miseretur; quos autem vult, indurat.* Q.D. Quia ita se res habet, uti dictum, & Deus pro suo beneplacito 1. miseretur ex peccatoribus (exẽplo *Jacobi*, in peccato originali concepti; nec non *Israëlitarum* apostaticorum, quos Deus post defe-

ctionem

ctionem Idololatricam ex strage communi residuos esse voluit, *Exod. 33.v.19.*) quorum vult, pro liberrimo suo beneplacito. 2. Odio habet, rejicit, indurat iterum, quos vult, (exemplo *Pharaonis.*) Sequitur hinc ἀναντιῤῥήτως totum hoc negotium *Prædestinationis*, discrimen, inquam, Electorum & Reproborum, dependere à sola Dei libera *Voluntate*, adeóque ab ipsa *Justitia*, cùm Voluntas Dei sit omnis Justitiæ regula: hincque nullum Rationi humanæ relinqui obloquium, quo alas suas expandat contra Deum, Homines discriminantem, eligentem & diligentem unum præ alio, alium autem negligentem, prætereuntem, & reprobantem.

QVÆSTIONES,
ex Cap. IX. vers. 14---17.

Quæst. I. Nunquid meritò injustitiæ Deus argui possit, si dicatur is æquales inter se discernere suâ Electione; diligendo unum, & alterum odio habendo? *Rat. dub.* 1. Quia videtur hâc ratione esse προσωπολήπτης. 2. Quia si id faceret Judex terrenus, injustitiæ crimen non effugeret.

Resp. 1. Sufficere potest unica Apostoli responsio *vers.* 14. quâ calumniam hanc protelat, dicendo, *Absit.* Voluntate enim Dei auditâ conticescere debet omnis ratio & lingua Humana, & cogitare, eam esse omnis justitiæ regulam, etiamsi mysterium illius cœca nostra ratio comprehendere nequeat. 2. Quòd si insuper etiam ad rationis sanæ bilancem Dei, quam facit inter æquales, discriminationem revocare placebit, nullibi occurret vel minima injustitia. Non apud *Electos*, quorum Deus liberè & gratiosè miseretur: nisi velimus misericordiam in Deo committere cum ejus justitia. Neque apud *Reprobos*, quia his nulla fit injuria, cùm sint naturâ, tanquam peccatores, στυγητοὶ, *Tit.* 3.3. adeóque reprobabiles; ipsisque adeò nulla gratia, sed ira debeatur. 3. Hinc nulla quoque προσωποληψία in Deo argui potest, qualis damnari solet in Judicibus Humanis & forensibus. Tunc enim dicitur Judex esse προσωπολήπτης, quando contra Juris & Justitiæ dictamen externas apparentias & qualitates extrinsecas respicit in Hominibus, quibus induti aut favore digni censentur, aut contemptui subjacent, hincq; ex affectu judicat. Contrarium prorsus heic in Deo deprehenditur. Eligit enim & reprobat absq; ullo Hominum respectu, ex solius suæ Voluntatis intuitu & beneplacito. Quem enim Deus eligit, in eo nihil invenit aut respicit, quod Dei animum ad ipsum inclinet, sed rationem petit à sola sua bonitate. Rursus, quum alterum negligit & repudiat, invenit quidem in ipso reprobationis materiam; causam autem impulsivam non petit, nisi à sola sua Voluntate.

Quæst. II. An non verò hoc militet contra Dei justitiam, si dicatur, Eum misereri quorundam, qui sub pari cum reliquis iræ Divinæ pondere propter peccatum jacuerunt? *Rat. dub.* Quia Justitiæ Dei, tanquam proprietatis ejus essentialis, interest, odisse & punire peccatores, *Psal.* 5.5. *Rom.* 1.32. & idem quoque arguunt comminationes Dei irrevocabiles.

Resp. *Misericordia* & *Justitia* Dei inter se conciliantur in CHRISTO. Ita enim Deus electorum suorum misertus est, ut simul justitiæ ejus peccatorum vindicatrici, pro

ipsis

ipsis satisfactum sit per Christum, *quem Deus proposuit placamentum per fidem in sanguine ipsius, ad demonstrationem justitiæ suæ, Rom.3.25.* & *in quo, tanquam dilecto suo, Deus nos sibi acceptos effecit*, quippe *in quo habemus τὴν ἀπολύτρωσιν, redemptionem per sanguinem ipsius. Ephes.1.6,7.*

Quæst. III. Nunquid Deus misereri possit Hominum peccatorum, absq; λύτρῳ & satisfactione pro peccatis acceptâ, uti Hæreticus *Socinus*, & ante ipsum *Petrus Abaillardus* & *Arnoldus de Brixia* (apud Bernhard. &c.) docuerunt? *Rat. dubit.* Quia Paulus ex Mose *vers.15.* indicat, Dei miserationem esse liberæ ipsius Voluntatis?

Resp. 1. Deus non potest misereri peccatorum absque satisfactione pro ipsorum peccatis ei præstitâ; non ex defectu potentiæ, sed propter perfectionem suæ naturæ: quia *se-ipsum non potest abnegare, 2. Tim.2.3.* Non enim potest se abdicare 1. *Justitiâ* suâ, quâ non potest non odisse, aversari peccatum, hincque peccatorem, quâ talem, tanquam reum læsæ suæ Majestatis, punire & delere. Hinc *Igni consumenti* in S. Scriptura comparatur. 2. *Veritate* suâ, quâ se peccatum esse vindicaturum & puniturum, in Verbo suo passim & luculenter declaravit. *Gen.2.16. Deut.27.26. Gal.3.10.* Atqui Deus mentiri non potest. *1. Sam.15.29.* 3. Itaque ut justitiæ Dei & comminationi satisfieret, necesse fuit, intervenire aliquam ei congruentem satisfactionem, hanc Christus præstitit, pœnas peccatorum nostrorum luendo, & hac ratione nos ab ira Dei liberando.

Objicit. I. Atqui satisfactio hæc adversatur misericordiæ Dei, & gratuitæ peccatorum remissioni. Qui enim satisfacit pro debito, ei non existimatur debitum remitti.

Resp. Ita se res habet, si ille qui satisfacit, satisfaciat ex suo, non ex alieno indebito. Atqui non nos, sed Deus ipse pro suo immenso erga nos amore, ad salvandam suam justitiam & veritatem λύτρον hoc satisfactionis per Christum ex divite suæ misericordiæ & imperscrutabilis sapientiæ penu protulit & dedit: *Joh 3.16. 1. Joh.4.10.* perinde ac si Princeps aliquis, ut justitiæ publicæ satisfieret, ex suo thesauro promeret ingentem aliquam vim pecuniæ, quâ possent rei læsæ ipsius Majestatis redimi, & cum eâ, hincq; Justitiâ publicâ reconciliari.

Objicit. II. Nunquid verò Deus potest de jure suo remittere, quantum vult; cum id etiam Judici Humano liceat?

Resp. 1. Utique id Deus potest, quantum vult. Atqui non vult non odisse & impunita relinquere peccata; imò nec velle potest, salvâ suâ justitiâ, fide & veracitate. 2. Et tamen, quantum Deus de jure suo remiserit, plus satis testatum fecit in ipsa satisfactione per Filium suum præstitâ, & nostrâ per eam redemptione: quando non à nobis, sed à Filio suo proprio satisfactionem justitiæ suæ debitam exegit. 3. Nulli Judici Humano licet remittere aliquid de jure publico, contra manifestam injustitiam: quanquam in Legibus positivis possit interdum uti dispensatione aliquâ, & ἐπιεικείᾳ quoq; in exequutione Legis Dei per remissiores justitiæ gradus, pro ratione circumstantiarum.

Objicit. III. Paulus dicit: *Miserationem esse Dei voluntatis* prorsus liberæ, adeóque independentis ab ulla etiam in Deo ipso præsupposita causa necessaria.

Resp. Quod Paulus dicit, accipiendum non *simpliciter*, quasi videlicet Deus, insuper habitâ suâ justitiâ, possit aut velit peccatorum misereri: sed *secundùm quid*, respectu videlicet 1. *Objectorum*, sive Hominum, quorum Deus misereri vult, vel non. 2. *Modi*, quo ipsorum misereri vult. 3. *Causæ*, quæ posset à ratione Humana excogitari & præsupponi in Homine, cujus respectu Deus misereri velit: quod satis indigitatur *vers.15. & 16.*

Quæst.

Quæst. IV. Recta'ne sit applicatio oraculi Mosaici, *Exod.33.19.* quæ *vers.15.* occurrit? *Rat.dub.* Quia *Oraculum* illud videtur exemplum continere particulare misertionis Israelitarum, à quo non liceat argumentari ad generalem doctrinam de Electione.

Resp. 1. Imò *Oraculum* in verbis apud Mosen continet non *particularem,* sed *generalem* Dei sententiam, quâ declarat, se eorum tantùm juxta liberum voluntatis suæ beneplacitum in tempore misereri, eosque ab exitio eripere, quorum ab æterno in decreto suo misertus fuerit. 2. Fatendum quidem est, occasione particularis historiæ & petitionis Mosaicæ, verba hæc à Deo fuisse prolata. Interim universalis sunt sensus & consequentiæ, quod Apostolus *vers.seq.16.* satis indigitat, ita concludens: *Nempe igitur* (electio) *est* (solius) *miserentis Dei.* 3. Posito, miserationem ibi intelligi, pertinentem ad particulare Israelitarum exemplum, firma tamen ab illo facto singulari ad jus Dei commune, & universalem populi Dei distinctionem, omnesque adeò electos, potest duci consequentia. Quæ enim ratio fuit miserationis eorum, qui in populo Israelitico fuerunt servati; eadem ratio est omnium aliorum Hominum, quorum Deus per electionem in communi exitio miseretur. *Ratio* hæc est, quia Dei uti *natura,* ita *voluntas* erga Ecclesiam, ejusq; administrationem, sibi semper similis, invariabilis & constantissima est. *Psal.102. Jac.1.5.* 4. Hinc supra quoque Apostolus *Cap.4.* ex particulari *Abrahami,* per fidem absque operibus justificati, exemplo, generalem doctrinam, de Justificatione per fidem absque operibus, eruit & confirmavit. 5. Et nuper quoq; idem *Isaaci* & *Jacobi* exemplis firmissimè probatum dedit, solos electos esse veros Abrahami filios.

Quæst. V. An *vers.16.* Paulus præsupponat *liberum Hominis arbitrium in volendo & currendo?*

Resp. Minimè gentium. Jam in Analysi dictum, Paulum non loqui *assertivè,* esse aliquem, qui velit & currat, ut Dei gratiam demereatur; sed tantùm *hypotheticè* ex præsumptione Justitiariorum. *Ratio* evidentissima hæc est, quia *τὸ Velle* & *Currere,* item *Perficere,* alibi de Homine animali negatur, 2.*Cor.3.5.* & soli Divinæ gratiæ assignatur, *Phil.2.13.* Et qui Homo in peccatis mortuus, *Ephes.2.1,2,3. Coloss.2.13.* possit dici velle aliquid boni, & currendo illud persequi? Citiùs ex pumice aquam, quàm ex lapideo Hominis corde, *Ezech.11.19.* hoc *velle* & *currere* expresseris. Addo ex August. *Enchirid. ad Laurent.cap.32.* Si glossa eorum valeret, qui partiuntur verba Pauli inter Voluntatem Hominis & Misericordiam Dei, liceret vice versâ, ast perversâ, dicere: *Non miserentis est Dei, sed volentis Hominis.*

Quæst. VI. An destruatur ex hoc loco (*vers.16.*) non solùm prævisio *meritorum* in eligendis, quod volunt Pontificii: sed & *fidei,* quod volunt hodierni Semipelagiani cum veteribus?

Resp. Hoc quoque in Analysi præcedentium verborum majori ex parte est expeditum. 1. Omninò vult Apostolus ita describere Dei Electionem, ut velit removere omnem respectū & intuitum *Hominis,* qui potuisset movere aut dirigere ipsius voluntatem in eligendo, atque adeò docere, quicquid in electione & reprobatione inter Homines occurrat discriminis, Deum non petere extra se in Hominibus, sed à sola sua Voluntate, & liberrimo, partim benevolo & misericorde, partim justo beneplacito. 2. Et quis miretur, cùm, si respectus aliquis locum habuisset, Deus citra discrimen omnes æterno exitio adjudicâsset, cùm Jacob æquè ac Esau, id est, electi æquè ac reprobi in eadem inquinata peccati, hincque iræ Dei & æternæ condemnationi obnoxia massa jacuerint. 3. Quod si quis urgere velit *fidem,* tanquam requisitum eligendorum, semper quærere soleo, num eam urgeat ex libero Hominis arbitrio; an ex mera & indebita, itemque ex mutabili aut immutabili Dei amore & gratia? Si dicat, ex libero arbitrio;

damnas est Pelagianismi. Si dicat, ex Dei gratia, quæro iterum, num sit ex communi Dei erga omnes, an particulari, quæ unum ab alio secernit, discriminante gratia? Si sit ex communi erga omnes gratia, constabit sibi Pelagianismus, & Homo se ipsum discernet, contra illud Apostoli, 1. *Cor.* 4. 7. *Quis te discrevit?* Si ex particulari, ergo jam Deus eligendo unum ad Fidem, alterum à dono Fidei excludendo, faciet discrimen ex mero suo beneplacito. Jam, si dicat, ex amore & gratia mutabili ei fidem dari, & hujus respectu eligi, quid potest dici contumeliosius & magis blasphemum in Dei tum sapientiam, tum bonitatem & gratiam? An Deus in eventum aliquem ab Hominis lubrica Voluntate pendentem decretum faciet de ejusdem salute, quasi sciret quidem, quid largiturus esset Homini, nesciret autem, an sit donum illud retenturus, aut prospecturus, quomodo dono illo sit usurus? An interim beneficus ille & gratiosus Deus in Cœlo sedebit otiosus, & permittet ita a se electum, voluntatis ipsius, inter undas constantiæ & inconstantiæ jactato arbitrio, donec Deo e Cœlis prospectante, remigio propriæ industriæ adjutus, pervenerit ad portum salutis?

Tandem subjungo unum aliquod & alterum dictum Augustini. Sic autem ille *ad Simplic. q.* 2. *Illud manifestum est, frustrà nos velle, nisi Deus misereatur. Illud autem nescio quo modo dicatur, frustrà Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, etiam volumus.* Et paulò post: *Misericordia non sufficit, nisi vocanti obedientia consequatur.* Ibidem: *Non potest effectus misericordiæ Dei esse in Hominis potestate, ut frustrà ille misereatur, si Homo nolit: quia si vellet ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur & intelligerent.*

Quæst. VII. Cur Apostolus alleget exemplum *Pharaonis*, Hominis gentilis & profani, ad confirmandam suam de Reprobatione Doctrinam? *Rat. dub.* 1. Quia voluit hoc exemplo demonstrare id, quod *vers.* 11. proposuerat de *Esavo*, quem Deus oderit nondum natum, nec quicquam adhuc mali operatum. Atqui inter *Esavum* sic consideratum & *Pharaonem* magna videtur esse differentia. Quia Pharao jam natus fuerat, & Homo profanus fuit, gentilis, ad omnem malitiam & scelera projectus. 2. Quia *vers.* 16. *præced.* de Electis agens Apostolus exclusit ab Electionis caussis omnem Hominis voluntatem & cursum. Hinc *vers.* 17. ad reprobum Pharaonem transiens, videtur debuisse quoque excludere à Pharaone omnem malam voluntatem & cursum. Atqui contrarium patuit in Pharaone, cui nec voluntas mala, nec cursus defuit in sua tyrannide.

Resp. 1. Observandum est diligenter, quo respectu Paulus *vers.* 17. Deo objiciat Pharaonem, tanquam Reprobationis exemplum, Esavi reprobi exemplo simile. Non, inquam, in respectu tantum ad Pharaonis exitium & perditionem, sed etiã in respectu ad Pharaonis indurationem, tanquam prævium ipsius perditionis, quod evidenter patet ex *vers.* 18. quum concludit Apostolus: *Ergo Deus, quem vult, indurat.* Ergo Apostolus *vers.* 17. agens de Reprobationis causa, loquitur non tantum de *causa* exitii Reproborum finalis, sed etiam de *causa causa* exitii, id est, indurationis, quæ tendit ad eorum exitium, videlicet Dei justã Voluntate, quæ, quomodo hactenus conciliari possit cum Dei justitia, dicetur in sequentibus. 2. Hinc patet, Pharaonem à Paulo in scenam istius Disputationis protractum fuisse, in eodem cum Esavo respectu, scilicet Hominis in peccato quidem concepti, naturã corrupti, interim propter Dei odium in corruptione communi relinquendi, deserendi, & magis adhuc indurandi, ut hac viã perduceretur ad exitium. Nulla heic aut hactenus dissimilitudo inter Esavum & Pharaonem. Nam gentis Esavi prærogativa jam fuit *vers.* 6. *& seqq.* ab Apostolo sequestrata, atque ab hac Disputatione remota. 3. Hinc porrò patere potest, Apostolum, quando *vers.* 16. à causis Electionis removet omnem Hominis voluntatem & cursum; & postea *vers.* 17. Pharaonis,

nis, tanquam Hominis impii & scelerati, adeóque reprobi, exemplum, tanquam priori ex adverso respondens introducit, sibi optimè constare. *Rat.* Sicuti enim *vers.16.* considerat eligendum absque respectu (apud Deum scilicet) ejus voluntatis & cursus; cùm τὸ *Velle* & *Currere*, voluerit etiam pendere à Dei eligentis miseratione: ita *vers.17.* in persona Pharaonis considerat reprobandum absque respectu mali sui jam præsentis & patrati operis; sed potiùs cum respectu ipsius, naturâ quidem mali & corrupti, attamē ex odio, voluntate, inquam, suâ liberâ & justâ, in connata malitia relinquendi, & ex justo judicio magis indurandi. Id quod verba hæc ostendunt: *Ad hoc ipsum excitavi te, &c.* (de quibus nunc porrò in *Quæst. seq.*) eorumq; consectariū, *vers.*18. cujus jam mentio facta.

Quæst. VIII. Quo sensu Apostolus ex Mose (*Exod.9.v.16.*) dicat, *Deum excitâsse Pharaonem?*

Resp. In Originali textu habetur *Heemadticha*, *constitui te*, aut *stare feci te*. LXX. διετηρήθης, *servatus es*. Hinc quidam volunt, locum hunc prorsus non pertinere ad explicandum mysterium *Reprobationis*: quia Deus voluerit tantùm ostendere causam, cur Pharaonem superstitem esse voluerit ex plagis, Ægyptum infestantibus, nominatim plaga sexta ulcerum.

Ast 1. Apostolus meliùs utique intellexit verba Mosis, & longè sinceriùs ea transtulit, quando non passivo, sed activo verbo usus est: ἐξήγειρά σε, *excitavi te*. Quid sibi vult hoc verbum? Qui perpendit consectarium, quod Apostolus *vers. seq.* 18. ex eo nectit, is facilè animadvertit, eum digitum intendere in Pharaonis indurationem. Concludit enim Apostolus ex Pharaonis exemplo, quem Deus excitaverit ad manifestandam suam potentiam in ejus exitio; *Deum indurare* pro suo beneplacito, *quos velit*. Ergo indubium est, eum verbo [*excitandi*] non tàm Pharaonis *conservationem*, quàm *indurationem* indigitare. Respicit enim ad totum illud Pharaonis opus, quo Deo restiterat in sua obfirmatione, & porrò erat restiturus, ut paulè antè Deus ipsi significaverat, & Moses ipse dixerat: *obfirmatum fuisse à Deo cor Pharaonis, ut non auscultaret eis, sicut prædixerat Deus Mosi.* Ergo *excitare* ei est, Tyrannum ad regnum evehere, per eundem populum Israëliticum affligere, mandatis & plagis immissis ejus pervicaciam irritare, sicque indurare eum, & provehere ad exitium. 2. Posito, significari hoc verbo Pharaonis *conservationem* ex plagis; ex fine tamen hujus conservationis apparet, Apostolum de ea non aliter loqui, tanquam de medio aliquo indurationis. Docuit enim eventus, Pharaonem plagis immissis nonnihil cicuratum & emollitum; ablatis magis efferatum & induratum fuisse. Vnde porrò patet, omninò hunc locum agere de *Reprobatione*, quia Pharao in eo sistitur exemplum Hominis à Deo reprobati, & per consequens indurati, ut per hanc suam indurationem ad exitium destinatum perduceretur.

Cæterùm sunt, uti in *Analysi* dixi, qui verbum [*excitandi*] ad ipsam Pharaonis *creationem* extendant, ut hinc efficiant, Creationem Reprobationi esse subordinatam, & Reprobos creari ad exitium. Hic sensus, atque ex eo petita doctrina, de qua nunc disceptare nolo, si obtinere debeat; præsupponendum est, Reprobos non innocentes ad exitium creari, sed, quia formantur ex massa impura & peccato in Protoplastis inquinata, Deo ipsos reprobanti objici, tanquam nocentes. Sed de his fortè inferiùs plura dicentur, occasione verborum sequentium.

Quæst. IX. An verba *vers.*18. *cujus vult, miseretur, quem autem vult, indurat*; loquantur de *Justificatione* Hominis, an verò de *Prædestinatione*?

Resp. Illud tenent novi Semipelagiani, quorum judicio Paulus docere velit, Deum misereri credentium, & non misereri incredulorum, sed eos damnare.

Ast 1. jam superiùs indicatum fuit, Paulum hoc & reliquis Capp. non ampliùs agere de *Justificatione*, sed potiùs de origine prima Fidei, Justificationis & totius Salutis

Pp 2

nostræ. 2. Cæterùm, si ipsorum hæc glossa obtinere debeat, Paulo non erat dicendum: *Deus, cujus vult, miseretur*: sed, *Deus miseretur ejus, qui vult*, & suâ voluntate per fidem Dei miserationem prævenit, contra illud, quod dixerat *vers.16. Non est ejus, qui velit, aut ejus, qui currat, sed miserentis Dei.* 3. Induratio opponitur in hoc loco non *Justificationi*, sed emollitioni cordis seu *Sanctificationi*. 4. Si Apostolus voluisset rationem reddere, cur hi potiùs, quàm illi justificentur, non recurrisset ad Dei voluntatem, neque laborandum ei multum fuisset in diluenda Objectione, petitâ à Dei injustitia. Proclive enim fuisset respondere: Hi crediderunt & resipuerunt, alii non. Causa hæc idonea & justa fuisset compescendi latratum Rationis humanæ. Quare vero donum fidei & pœnitentiæ uni præ alio Deus concedat, cum omnes naturâ pares sint, Ratio humana assequi nequit: adeò ut in sola Dei libera ac justa Voluntate & beneplacito sit acquiescendum.

Quæst. X. An Deus possit vacare crimine culpæ, quum dicitur *vers.18. eum indurare, quem velit*? *Rat.dub.* Quia induratio non vacat culpâ.

Resp. Sicut in Historia Mosaica *Induratio* tribuitur & Pharaoni, & Deo; ita intelligi potest tùm de *Hominibus*, tum de *Deo*. *Hominum* respectu, qui se-ipsos indurant & obfirmant contra Dei Verbum & Judicia, utique non caret culpâ. Alia *Dei* est ratio, qui absque culpa indurat Reprobos ex justo suo judicio. *Rat.* 1. Quia indurat non molles, non innocentes, sed jam in duritia & peccato originali conceptos & natos. 2. Quia hanc indurationis pœnam sibi propriâ suâ malitiâ & flagitiis accerlunt, ut hinc tanto magis indurentur. 3. Quia non indurat per inspirationem aut infusionem malitiæ, sed per subtractionem emollientis & convertentis gratiæ: ut quum calore Solis ablato aqua vertitur in glaciem, non Solis culpâ, sed propter naturalem aquæ frigiditatem. 4. Indurat Hominem, quum eum relinquit sibimet ipsi, id est, propriæ suæ duritiei & malitiæ, exemplo Gentium, *Rom.*1. aut insuper, tanquam justus Judex, cum tradit in potestatem Satanæ, tanquam Carnificis alicujus. 5. Imò indurat etiam mediis per se bonis, & ad salutem potiùs, quàm exitium impiorum spectantibus, videlicet Verbo suo, mandatis, reprehensionibus, comminationibus, & variis quoque beneficiis, quibus Reprobi abutuntur ad suam majorem indurationem: quo referri potest Pharaonis quoque & reliquorum Ægyptiorum inter tot Ægyptiacas plagas admirabilis conservatio. Quem enim ad nictum oculi delere potuisset, hunc perditis reliquis ad tempus residuum esse voluit: hacq; occasione deinceps Apostolus *vers.* 22. meminit *vasorum iræ, compactorum quidem ad interitum*, sed quos Deus suâ τῇ μακροθυμίᾳ, sive *patientiâ & lenitate magnâ* tulerit.

TRANSITIO. Apostolus hactenus in Doctrina de æterna *Dei Prædestinatione* gradatim processit, ab uno gradu ad alterum sensim sese magìs magisque sublevans. Agens enim de discrimine Electorum & Reproborum, in quo consistit tota *Prædestinatio*, 1. Exemplis *Ismaelis* & *Isaaci* demonstravit, esse aliquod discrimen electorum & reproborum, Deumque adeò non misereri omnium, sed amore suo salvifico quosdam præterire. 2. Exemplis *Jacobi* & *Esavi* docuit, Deum reprobos ab electis ita discrevisse, ut illos oderit, hincque ad exitium destinaverit: hujus insuper discriminis causam nullam esse, nisi ejus beneplacitum. 3. Exemplo *Pharaonis* docuit, Deum ex odio suo reprobos

probos quoque indurare, & sic ad exitium perducere, ad illustrationem suæ potentiæ & justitiæ, & glorificationem Nominis sui. Vindicaverat simul suam Doctrinam à calumnia gemina tùm *Inconstantiæ*, tùm *Injustitiæ* Dei, quam Ratio humana, in tanto Mysterio cœcutiens, posset ex Doctrina illa texere. Nunc porrò occasione postremæ sententiæ *versus 18. Quem Deus vult, indurat*, progreditur ad aliam novam *Objectionem* atq; *Instantiam*, quasi videlicet ex ista Doctrina Deus posset insimulari alicujus *Tyrannidis* & *Crudelitatis*, qui, quos oderit, voluntate suâ induret, ut hac ratione eos provehat ad exitium sempiternum. Itaque hæc nunc, ut suprà dixi, est numero

INSTANTIA TERTIA.

Instantiam hanc cum ejus *Refutatione* complectuntur verba sequentia *vers. 19---23.*

Vers. 19. *Dices ergo mihi: Quid adhuc succenset? Nam voluntati ejus quis obstitit?*

Vers. 20. *Imò verò, ô Homo, tu quis es, qui ex adverso responsas Deo? Num dicet figmentum fictori: Cur me tale fecisti?*

Vers. 21. *An non habet jus figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus?*

Vers. 22. (Quid) *si verò volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, pertulit multâ lenitate vasa iræ compacta ad interitum:*

Vers. 23. *Et ut notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparavit ad gloriam?*

In hoc contextu, ut dixi, *Instantia* nova & *tertia*

ℵ. Proponitur *vers. 19.*

Sensus est: Si ita se res habet, quòd Deus misereatur, quorum velit, & induret, quos vult, uti exemplo Pharaonis demonstratum, quem Deus excitaverit, sive induraverit, ut in eo ostenderet suam potentiam: tunc nullo jure Deus irascitur reprobis, nec jure ipsos damnat. *Rat.* Quia si ex Dei voluntate indurentur, non possunt converti, non possunt non peccare, & necesse habent in peccatis perseverare. *Rat. rationis:* quia nemo Voluntati Dei tanquam omnipotenti (*Psal. 115.3. Jesa. 46.10.*) potest obsistere, eamque irritam reddere. Syllogisticè huc redit *Instantia.*

Nullo jure Deus irascitur iis, & in ira sua perdit eos, qui volun-

tate ipsius indurantur. *Rat.* Quia Voluntas ejus, tanquam omnipotentis, est insuperabilis.

Atqui Reprobi (qualis v.g. *Pharao* & *Esau*) juxta tuam, ô *Paule*, doctrinam, indurantur voluntate Dei. Id ipsum enim expressè docuisti *vers. 18.* & hi ipsi indurati postea ruunt cum *Pharaone* in exitium sempiternum.

Ergo sequitur, nullo jure Deum ipsis irasci posse, eosque condemnare & perdere: & per consequens, si hoc contingat, Deum alicujus tyrannidis aut crudelitatis insimulari posse.

Simili prorsus calumniâ & ratiocinio hactenus strepuerunt Adversarii contra doctrinam de Prędestinatione reproborum. Clamant, nos Deum cõstituere per eam Authorem peccati, quia dicamus, *Reprobationẽ* esse causam *Indurationis*: hinc Reprobos teneri necessitate peccandi ipsis à Deo impositâ. Perire ergo, juxta nostram doctrinam, non suâ, sed Dei culpâ: præsertim, quia statuamus decretũ Reprobationis absolutum, adeò, ut, licèt Reprobi omnia Sanctorum opera præstarent, servari nunquam possent. tandem ergo nostram Doctrinam Deum in sævum & crudelissimum Tyrannum transformare.

Censura. Patienter nobis perferenda esset calumnia Adversariorum exemplo Apostoli, nisi ea simul impeteret Dei prædestinantis gloriam. Hanc vindicabit deinceps Apostolus suâ Apologiâ. In antecessum nunc sequentia regero. 1. Propudiosum esse mendacium eorum, qui reguntur à Patre mendacii, nos Deum constituere authorem peccati. Quorsum id nobis objiciunt, qui jactant se Spiritu Dei regi, & tàm impudenter convitiantur? Si ipsorum Spiritus est Spiritus Dei, ergo erit spiritus & author mendacii. 2. Reprobatio in tantum non est causa peccati, quia est causa indurationis, ut potiùs sit causa vindicationis peccati, seu justi Dei judicii contra peccatum in Reprobis. Deus enim, ut suprà dixi, indurat, non ut Author, sed ut Vindex & Judex justus peccati, & eorum, qui hoc judicium Dei provocant & merentur. 3. Reprobi non tenentur necessitate peccandi externâ à Dei decreto, sed à naturæ suæ innata corruptione. 4. Negatio convertentis gratiæ, quæ est Reprobationis consequens, non est causa peccati jam in ipsis hærentis, sed tantùm causa sine qua non ipsorum impœnitentiæ. 5. Hinc reprobi pereunt, non Dei, sed propriâ suâ culpâ. 6. Absolutum enim statuimus decretum Reprobationis, non respectu personæ reprobabilis, quasi nihil esset in ipso Reprobatione dignum, sed respectu Dei reprobantis, quem in pari-

tate omnium Hominum, ſuâ naturâ reprobabilium, nihil poteſt movere ad quosdam à communi interitu eximendos, niſi ejus liberrima *εὐδοκία*. 7. Reprobos, etiamſi omnium Sanctorum opera præſtarent, propter Dei decretum abſolutum ſervari non poſſe, eſt rancida calumnia Adverſariorum, quam ſub *Prædeſtinatianorum* quorundam conficto nomine nobis improperant, & prorſus *ἀσύστατον*: quia præſupponit iſta calumnia, quaſi Reprobi poſſent aut vellent aliquid boni operis præſtare: & quò minùs id præſtent, & hinc ſerventur, impediantur à Dei decreto. Cum umbris ſuis & figmentis hìc digladiantur Adverſarii, *vocantes lucem tenebras, & tenebras lucem. Jeſa. 5. 20.* 8. Pari dehinc calumniæ paſſu ambulat blaſphemia nobis intentata, de Deo à nobis in Tyrannum crudelem transformato. Vnde Deus nobis Tyrannus? An, quòd non miſereatur omnium? Atqui nulli miſericordiam debet, cùm omnibus debeatur propter peccatum pœna. An, quòd odio habeat nondum natos, (v.g. Eſavum,) nihilq; mali adhuc operatos? Atqui in peccato, quod eos facit odio dignos, ſunt nati. An, quòd induret, quos odio habet & reprobat, ut ſe convertere nequeant? Atqui indurat non molles, ſed in duritie jam conceptos & natos: indurat dehinc, tanquam juſtus Judex, eos, qui indurationem ſibimet-ipſis accerſiverunt ſuis peccatis, & contemptu eorum mediorum, quibus potuiſſent à ſua duritie revocari. An, quòd tandem hos perdat & damnet? Atqui hoc non eſt Tyranni, ſed juſti Judicis, perdere ſceleratos. Imò tales velle ſervare & impunitos relinquere, Tyranni foret. Nulla enim major ſævitia eſt, crudelitas & tyrannis, quàm fovere ſceleratos, & miſericordiâ præpoſterâ eos complecti. Hac enim ratione non ſolùm ipſi demerguntur in exitium, ſed & feneſtra aperitur rapinis, cædibus, latrociniis, bellis, & vaſtationibus integrarum Regionum & Nationum.

2. Refutatur *verſ. ſeqq.*

Attendenda heic veniunt duo.

I. *Quid* Apoſtolus ſibi ſumat refutandum: Deum ſcilicet jure & meritò ſuccenſere iis, quos indurat, qualis fuit Pharao: neque hac in parte quenquam, præſertim impios atque reprobos, quos Deus indurat, ei poſſe aut debere obmurmurare.

II. *Quomodo* id faciat Apoſtolus.

α. Per *συγχώρησιν* aliquam. Non enim negat, ſed concedit Antagoniſtæ ſequentia.

1. Dei voluntate indurari reprobos. Hoc enim antea *verſ. 18.* expreſsè

presse docuerat; neque nunc retractat. Id Augustinus quoque observavit, *Lib. de Prædestinat. Sanctor. cap. 8. Quum*, inquit, *dictum esset: Quid adhuc conqueritur? num responsum est à Paulo: ô Homo, falsum est, quod dixisti? Minimè. sed responsum est: ô Homo, tu quis es?*

2. Deum induratis à se succensere, id est, eos velle punire, & in æternum condemnare. Nam ira in Deo nihil est aliud, quàm puniendi voluntas; præsertim judiciaria erga reprobos.

3. Hanc Dei voluntatem, quâ indurat, & induratos puniendos & perdendos sumpsit, esse irrevocabilem.

Observanda hæc veniunt contra eos, qui ex præjudicio cœcæ rationis multò aliter respondent ad *Objectionem* propositam. Quum enim *objicitur* & quæritur: Quo jure fiat, ut Deus 1. cum æqualibus procedat inæqualiter? 2. cum impiis ita procedat, ut eos induret? 3. eos hac ratione ad exitium perducat? *Respondent* ipsi longè aliter, quàm Paulus, videlicet,

a. Inæqualitatis culpam esse in Homine, quod Paulus antè negaverat.

b. Indurari reprobos suâ, non Dei voluntate: quorum prius verum, posterius falsum, & iterum Pauli doctrinæ contrarium est.

c. Secùs Deum futurum injustum atque crudelem.

β. Per *νέμεσιν* & *reprehensionem* obloquutionis seu murmurationis contra Deum. Antecedente enim concesso, negat *τὸ ἑπόμενον*, *vers. 20. Imò verò, ô Homo, tu quis es, qui ex adverso responsas Deo?* Q. D. Consequentia, quæ nectitur ex meis verbis, quasi Deus nullo jure succenseret à se induratis, nulla, impia, blasphema est. Quum enim dico, *Deum misereri, quorum vult, indurare* è contrario, *quos vult*; & illos quidem per conversionem ad salutem, hos verò per indurationem ad exitium perducere: an propterea ullus Homo justam habebit causam, Deum in jus vocandi, & crimen alicujus injustitiæ ei intendendi? Hanc verò responsionem Paulus non simpliciter tantùm *proponit*, sed & *confirmat* argumentis, petitis à consideratione

A. HOMINIS. *vers. 20. Σὺ τίς εἶ, &c. Tu, quis es, &c.* Argumentatur ab Hominis *τῇ οὐδενείᾳ, vilitate*, imò *nullitate*, in *συγκρίσει* ejus cum Deo. Q. D. Descende in te-ipsum Tu, qui gestis Deo litem intendere. Cogita, quis *Tu* sis, & quis DEVS sit.

1. Quis *Tu* es? *α.* Non'ne Dei figmentum es, sive creatura. At *num dicet figmentum suo fictori; cur me sic fecisti? vers. 20. b.*

β. Non'ne

β. Non'ne es Homo corruptus, ad-instar vasis alicujus adulterini ex argilla facti & abortivi? *Jer. 18. 4.*

2. Quis est, quo cum tu litigas? Non'ne DEVS excelsus, omnipotens, justus, purus, sanctus, *sapiens animo, fortis viribus, cum quo si litigare velit Homo, non poterit respondere ei ad unum ex mille? Job. 9. 3, 4.*

B. DEI. Argumentatur Apostolus à DEI

ℵ. *Potestate*, & *jure*, quod habet in omnes Homines, & quidem per similitudinem à *Figulo* desumptam, quam mutuatur ex Scriptura, videlicet *Jesa. 45. 9. Væ litiganti cum fictore suo, testæ cum aliis testis terreis! An dicturum est lutum fictori suo: quid facturus esses, cùm ad opus istud tuum nullæ sint manus?* Cui παράλληλος est locus, *Jer. 18. 6. An sicut figulus non possem facere vobis, ô domus Israëlis? dictum Jehovæ. Ecce, ut argilla in manu figuli, ita vos estis in manu mea, ô domus Israëlis!* Sic enim dicit Apostolus, *vers. 21. An' non habet jus figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus?* Argumentum Apostoli huc redit:

Quod jus habet Figulus in luteam aliquam aut argillaceam massam, illud jus non debet denegari Deo in Genus Humanum. *Rat.* à minori ad majus. Cur enim Figulus majorem haberet potestatem in massam, quam ipse non condidit, quàm Deus, qui Conditor est totius Generis Humani, & omnium aliarũ rerum creatarum?

Atqui hoc jus habet Figulus in massam, ut possit pro suo beneplacito ex ea formare omnis generis vasa, quædam decori, alia dedecori inservientia: neque ea de causa vasa, quæ sui non sunt juris, dicam ipsi aliquam scribere aut litem intendere possunt.

Ergo Deo quoque non est denegandum jus & potestas in suas creaturas, & potissimùm in Genus Humanum, ut ex eo faciat vasa partim iræ, partim gloriæ. Hæc *apodosis* est similitudinis, *vers. 21.* propositæ, quam postea *v. 22. & 23.* insinuat, quum meminit utrorumque *vasorum* tùm *iræ*, tùm *gloriæ*.

ב. *Justitiâ* & summâ *Aequitate*, quam Deus exercet in *Decreti Prædestinationis exequutione*, tùm erga

1. *Reprobos*, quos deserit, indurat, condemnat ex suo de-

creto & voluntate. Indicat ergo Apoſtolus, Deum in hac actione eſſe juſtiſſimum, neque poſſe accuſari ullius iniquitatis aut tyrannidis: ſive ſpectemus *Reprobationis* hujus & *indurationis*

α. *Finem*, qui eſt ἔνδειξις τῆς ὀργῆς καὶ δυνάμεως αὐτοῦ, *verſ.22.* Finis menſurat media. Deus finem habet bonum, patefactionem ſuæ juſtitiæ & potentiæ in reprobis. Reprobat enim propter peccatum reprobabiles. Indurat non molles, ſed jam naturâ duros, imò ſemet-ipſos indurantes, ut juſto ipſius judicio magìs indurentur ad extremam & deſperatam impœnitentiam, *Jeſ.6.10. Matth.13.14,15.* & quidem per media ea, per quæ poſſent, ſi vellent, emolliri, v.g. per Verbum ſuum, beneficia & judicia, uti ſuprà commoneſeci. *Exemplo* eſt *Pharao, Saul, Achab* & alii conſimiles, juſto Dei judicio indurati. Perdit tandem eoſdem & juſtè & potenter, inprimis, quum fiduciam poſuerunt in impunitate ſua & potentia, quod ſatis patefactum fuit in Pharaonis exitio. Quo enim magìs fremuit, quo magìs ad Dei verbum, minas & judicia occalluit, quo furioſiùs ſe Deo oppoſuit, quo arrogantiùs in brachio ſuo & potentia confiſus fuit: eò magìs Deus τὴν ὀργὴν καὶ τὸ δυνατὸν αὐτοῦ, *iram & potentiam ſuam* in ipſius exitio declaravit, quando ipſum cum omnibus Ægyptiorum copiis in Mari Erytræo extinxit. Quis hinc non intelligat æquitatem & juſtitiam Dei reprobantis, indurantis, & tandem induratos perdentis?

β. *Modum*, quo Deus in *exequutione* utitur. Conjunctus eſt enim cum *longanimitate.* Hinc dicit Apoſtolus *v.22. Deum perferre* πολλῇ τῇ μακροθυμίᾳ, *multâ lenitate vaſa iræ, compacta ad interitum.* Neque enim Deus præcipitanter ac ſine omni mora, quod & facilè & jure poſſet, reprobos ad exitium rapit, ſed magnâ ac ſæpè diuturnâ patientiâ eos tolerat: 1. connivens ad eorum ſcelera per procraſtinationem exitii ipſorum: 2. revocans eos ab impietate & omnis generis ſceleribus; invitans & compellens ad pœnitentiam, propoſitis præmiis ſuis atq; judiciis; cumulans ipſos non rarò variis beneficiis temporalibus; judicia quin-etiam immittens prævia, ſi poſſent iis emendari ad reſipiſcentiam, hacque ratione declinare ultimam πανωλεθρίαν. Quæ omnia in Pharaonis prædicti perſona ſunt luce meridianâ clariora.

2. Ele-

2. *Electos* quos Deus ſalvos facit. Neque heic querimoniæ ulli locus, ſive ſpectemus ſalvationis eorum

α. *Finem*, qui eſt *manifeſtatio* immenſæ *Dei* erga electos *miſericordiæ*, quam Apoſtolus indigitat *v.23.* quum meminit τοῦ πλούτου τῆς δόξης Θεοῦ, *divitiarū gloriæ Dei erga vaſa miſericordiæ.*

β. *Modum*, qui eſt *præparatio ad gloriam*, id eſt, converſio à peccatis, & ſuppeditatio omnium mediorum ad ſalutem neceſſariorum.

ΔΙΔΑΣΚΑΛΙΑ.

Placet præcedentibus ſubnectere brevem *Διδασκαλίαν*, quæ ex Apoſtoli verbis erui poteſt, de *Myſterio Prædeſtinationis* noſtræ, ejuſque *æquitate* & *juſtitia*.

I. *Cauſa efficiens* Prædeſtinationis noſtræ

1. *Principalis*, eſt DEUS, qui ab Apoſtolo *v.21.* ex ſcriptis Prophetarum fictori aut *Figulo* comparatur.

2. *Impulſiva*, eſt liberrima *Dei voluntas*, qualis etiã deprehenditur in figulo, formante varia vaſa ex maſſa argillacea. Nam quòd unum vas hoc, aliud alio modo, formâ, figurâ, fine fingit, in ipſius libero arbitrio & beneplacito poſitum eſt. Similis Dei prædeſtinantis ratio, qui ab æterno quosdam eligendo ad ſalutem, alios reprobando, rationem petiit non ab Hominibus nondum exiſtentibus, nedum boni aut mali quidpiam operantibus, *v.11.* ſed à ſola ſua voluntate & beneplacito, *v.18.*

II. *Materia*, ſive *Objectum* Prædeſtinationis, eſt *Maſſa*, ut ſic dicam, *Generis Humani*, quæ ab Apoſtolo *v.21.* comparatur maſſæ luteæ, ex qua Figulus vaſa efformat. Conſideranda ea venit, prout fuit in ADAMO lapſo, adeóque informis & per peccatum corrupta. Talis enim propriè Dei, partim eligentis, ad illuſtrationem ſuæ miſericordiæ; partim reprobantis, ad patefactionem iræ ſuæ, objectum fuit.

III. *Forma* ac *Modus* Prædeſtinationis conſiſtit partim in

1. *Electione*, cujus myſterium Apoſtolus *v.23.* brevibus verbis complectitur, quando mentionem facit *vaſorum miſericordiæ, quæ Deus præparavit ad gloriam.*

Author eſt *Deus*, eligens ex gratuita miſericordia.

Objectum ſunt *vaſa miſericordiæ*, oppoſita *vaſis iræ*, ut appareat, non omnes à Deo electos, ſicut etiam nō omnium Deus eſt miſertus, *v.15,18.*

Modus est positus 1. partim in *destinatione* ad gloriam, scilicet hæreditatis cœlestis: 2. partim in *præparatione* ad gloriam per media ad eam tendentia, videlicet redemptionem per Christum, vocationem, justificationem, sanctificationem, uti visum suprà ex *Cap.8.v.28 29.30.*

Finis est, *primarius* quidem, *Dei gloria*; *secundarius* autem, *Electorum salus* & glorificatio.

2. *Reprobatione*, quam Apostolus indigitat, quum *vers.22.* mentionem facit *vasorum iræ, compactorum ad interitum.*

α. *Vasa* sunt Reprobi, sic dicti, quod sint Dei figmentum, qui eos creavit & formavit ex massa lutea, id est, corrupta generis Humani.

β. *Vasa iræ* dicuntur non solùm respectu nativæ suæ *corruptionis*, quo sensu omnes Homines, ipsique adeò etiam Electi dicuntur naturâ filii iræ, *Eph.2.3.* sed potissimùm respectu *Reprobationis*, quia sunt à Deo *constituti ad iram. 1.Thess.5.9.*

γ. *Vasa coagmentata*, σκεύη κατηρτισμένα.

A quo? Partim à Deo, partim à se-ipsis, partim à Satana. Dicam pleniùs in *Quæstionibus*.

Quomodo? Potest dici respectu tùm

Creationis, quia formantur ex massa impura Generis Humani. quo sensu Salomon pronunciat, *Deum omnia operatum esse propter se-ipsum, etiam improbum ad diem mali, Prov.16.4.*

Indurationis, nempe, quo sensu Esau & Pharao fuit induratus & compactus.

δ. *Vasa ad* INTERITUM *coagmentata*, id est, ad exitiũ æternum. *Interitus* enim hic est effectus iræ Dei æternæ, & opponitur gloriæ æternæ vasorum misericordiæ, sive electorum, *v.23.* Hinc alibi dicuntur πάλαι προγεγραμμένοι εἰς τὸ κρίμα, *jam olim præscripti ad damnationem. Judæ v.4.*

IV. *Finis* Prædestinationis respectu Hominum cõsideratorum

1. In *genere*, est *Gloria Dei.*

2. In *specie* respectu α. *Electorum*, est *ostensio* τοῦ πλούτου τῆς δόξης Θεοῦ, *demonstratio opulentiæ*, sive magnitudinis *gloriæ Dei*, scilicet immensæ ipsius misericordiæ, *vers.23.* quâ electos ex communi miseria eripuit, quos per Christum salva-

rer,

ret, & æternæ suæ gloriæ participes redderet. *β. Reproborum*, est *ἀνάλωσις*, tùm *ira* Dei atque *justitia* in vindicta reprobis tanquam peccatoribus destinata: tùm *potentia* in eorundem, tanquam cōtra Deum rebellantium, qualis fuit Pharao, finali interitu atque exitio. *v.22.*

V. *Adjuncta* est Prædestinationi *Aequitas* & *Justitia*, quod Apostolus potissimùm hoc loco voluit evincere. Docet enim, nullū posse esse querimoniæ justæ locum.

α. Non *Reprobis. Ration.*

1. Quia sunt in Dei plenipotentia non secus, atque massa in manu figuli. *v.20,21.*
2. Quia sunt pars massæ corruptæ, & suâ naturâ reprobabiles, ut jure ad exitium à Deo destinentur.
3. Quia non perduntur, nisi post magnam patientiam & lenitatem.
4. Quia hinc illustratur gloria tùm potētiæ, tùm justitiæ Dei.

β. Non *Electis.* Quid enim injustitiæ Electio designaret?

1. Miseretur eorum Deus ex liberrimo beneplacito, *qui de suo potest gratificari quod vult. Matth.20.15.*
2. Miseretur eorum Deus nulla cum violatione justitiæ suæ vindicatricis: quia miseretur eorum in Christo, in quo sunt electi, ut per ipsum justitiæ ejus pro ipsorum peccatis satisfieret.
3. Servat eos, & ad gloriam æternam perducit, non in peccato permanentes, sed *προητοιμασμένους, præparatos, vers.23.* per vocationem, conversionem, regenerationem, studium sanctitatis, tolerantiam, ac varias virtutes & bona opera.
4. Hinc tandem illustratur & elucescit gloria immensæ Dei misericordiæ.

QVÆSTIONES,
ex Cap. IX. vers. 19---23.

Quæst. I. An Voluntati Dei, juxta Apostolum *vers.19.* resisti nequeat?
Rat. dubit. Quia exempla non desunt eorum, qui voluntati Dei restiterunt: v.g. Judæorum, *Psal.95.10. Proverb.1.24,25. Jes.65.12. Matth.23.37. Act.7.51.* imò *Luc.7.30.* Pharisæi dicuntur *consilium Dei irritum reddidisse.*

Resp. 1. Distinguendum inter *ἀντίστασιν, resistentiam,* quâ sese impii Voluntati Dei opponunt, & inter ejusdem *impeditionem* & *expugnationem. Resistentia* omnibus impiis congenita est; imò etiam regeniti secundum carnem non possunt non resistere Dei vo-

luntati & Spiritui. *Gal.5.17.* Negatur autem, Voluntatem Dei ita impediri & expugnari posse ab ulla creatura, & resistente aut recalcitrante voluntate Hominis. *Psal.115.3. Jes.14.13. & 43.13.* 2. Distinguendum inter *Voluntatem Dei* in Verbo mandatam, & in Dei decreto latentem. Illi resisti potest, quod loca citata docent. Decretum autem Dei, quo sensu Apostolus *vers.19.* voce βουλήματος utitur, nullâ voluntatis aut potentiæ Humanæ resistentiâ potest unquam impediri, uti jam evictum.

Quæ in contrarium moventur à novis Semipelagianis per distinctionem *Voluntatis antecedentis & consequentis, absoluta & conditionalis*, ea jam pridem tuntâ nostris protrita. Nulla est in Deo Voluntas conditionalis, quia nulla est in Deo voluntas pendula à Voluntate Hominis. Quæ *conditionalis* vocatur, & potest a resistente Hominis voluntate impediri, non est voluntas, quæ sit *in Deo*, aut decretum Dei, sed est Voluntas, quę est *à Deo*, Hominibus in Verbo mandata, cum annexis promissionibus & comminationibus conditionalibus. Heic ergo habet locum conditio, hincque resistentia & impeditio: nequaquam verò in Dei decreto, quod antegreditur omnes conditiones. Lectorem remitto ad præclari Theologi Zanchii *Lib. de Natura & Attributis Dei*, inprimis ad locum *de Voluntate Dei*.

Vt aliquid tantùm dicam ad locum oppositum ex *Luc.7.30.* de *consilio Dei à Pharisæis abrogato*, (nam reliqua omnia loca evidenter non agunt de Dei decreto, sed de Voluntate Dei mandante, exhortante, promittente vel comminante in Verbo suo, per βουλὴν ibi non intelligi Dei decretum, sed testimonium Johannis de Christo, per quod Judæis consilium dabat, quo sensu alibi quoque vox ista usurpatur, *Act.20.27.* Addo ad locum *Matth.23.37.* resistentiæ quidem ibi mentionem fieri, quam passus fuit Christus à Primatibus Hierosolymitanis: nego interim, Voluntatem ejus, quoad aggregationem & salutem liberorum, fuisse impeditam. Salvavit enim Christus, quos voluit. Sic quoq; Augustinus interpretatur in *Enchirid. ad Laurent. cap.97.*

Quæst. II. An iræ Dei possint esse obnoxii, qui ejus Voluntate sive decreto indurantur? ex *versu eod.19. Rat. dubit.* quia huic decreto resistere nequeunt, ut videantur præter vel etiam contra suam voluntatem indurari?

Resp. 1. Omninò sunt obnoxii iræ Dei. *Rat.* Quia non indurantur Decreto Dei mali aut peccati *effectivo*, sed potiùs *punitivo*, uti in Analysi monui. Indurat enim Deus non ut *Author* peccati, sed ut justus *Judex* & *vindex* peccati. 2. Hinc non indurat decreto suo, nisi sibi resistentes; non suâ naturâ molles, sed jam naturâ duros, & semetipsos quotidie indurantes. quod Pharaonis exemplum, cujus suprà Apostolus *vers.17.* meminerat, evidenter demonstrat. 3. Vnde porrò consequitur, Decretum Dei talibus nullam imponere causaliter peccati necessitatem; sed ipsorum malitiam, & peccandi consuetudinem servire tantùm Dei decreto, de ipsis magis ac magis indurandis; eo interim inculpato modo & ratione, quæ superiùs est exposita, ut nulla heic culpa vel peccati, vel pœnæ possit transscribi in Deum, sed tota hæreat in reprobis.

Quæst. III. Rectè'ne & quomodo Apostolus *Objectionem* sive *Instantiam, vers.19.* propositam, postea *vers.20.* retundat?

Resp. I. *Instantia* fuerat: Si Deus voluntate suâ misereatur, quorum velit, atque induret, quos velit: videri, Deum nullo jure, à se voluntate suâ præpotente induratis, succensere posse, ut eos exitio devoveat.

Paulus negat consequentiam, ratione petitâ à συγκρίσει *Hominis* cum *Deo*, quorum illius describit *vanitatem*, hujus *Majestatem*, ut hinc appareat, Hominem cum Deo litigare non posse, sed auditâ & perspectâ ejus Voluntate extemplo debere conticescere.

II. Hostes Reprobationis negant, hoc modo vere defendi Dei justitiam, sed κρησφύγετον quæri, in quod se abdant, qui justâ excusatione destituuntur. Id satis ... videtur

viderat Paulus, qui suâ hac præparatoriâ (*vers.20.*) responsione voluit insinuare causam obloquiorum Humanorum, quum scilicet Homines Deum velut & insipientem & crudelem fingunt; si non possint judicia ejus cum suo judicio conciliare. An verò (Calvini sunt verba) *potentior afferri ratio posset, quàm dum jubemur cogitare, quis sit Deus? Quomodo enim ullam iniquitatem admitteret, qui Judex est orbis? Ad Dei naturam si propriè pertinet judicium facere; justitiam igitur naturaliter amat, injustitiam aversatur. Proinde, non quasi deprehensus foret Apostolus, ad cuniculos respectavit: sed indicavit altiorem esse Justitiæ Divinæ rationem, quàm ut vel Humano modo metienda sit, vel ingenii Humani tenuitate possit comprehendi. Fatetur quidem Apostolus eam subesse Divinis judiciis profunditatem, à qua mentes omnes Hominum absorbendæ sint, si conentur eò penetrare. Sed docet etiam, quàm indignum sit, ad eam legem redigere Dei opera, ut simul ac eorum ratio nobis non constiterit, improbare audeamus.*

Eadem fuit LUTHERI sententia, quanquam verbis duriusculis proposita, *Libr. de Serv. Arbitr. cap.42.* Sic (DEUS) *æternam suam clementiam abscondit sub æterna ira: justitiam sub iniquitate. Hic est fidei summus gradus, credere, illum esse clementem, qui tàm paucos salvat, tàm multos damnat: credere justum, qui suâ voluntate necessariò nos damnabiles facit,* (respicit procul dubio ad hunc locum Pauli, quo Deus *vers.18.* dicitur *suâ voluntate indurare,* quos decrevit damnare, tanquam *vasa iræ, apparata ad interitum*) *ut videatur, referente Erasmo, delectari cruciatibus miserorum, & odio potiùs, quàm amore dignus. Si igitur possem ullâ ratione comprehendere, quomodo is Deus sit misericors & justus, qui tantam iram & iniquitatem ostendit, non esset opus fide. Nunc, cùm id comprehendi non potest, fit locus exercendæ fidei, dum talia prædicantur & invulgantur, non aliter, quàm, quum Deus occidit, fides vitæ in morte exercetur.*

Quæst. IV. Quid *Massæ* nomine intelligatur (*vers.21.*) in comparatione Dei cum Figulo?

Resp. Indubium est apud omnes, significari *Genus Humanum*; sicut τοῦ πλάσματος nomine *vers.20.* idem quoque subintellectum, quod ex præcedente voce τοῦ ἀνθρώπου liquet. Sed heic disceptari solet: An intelligatur Genus Humanum *conditum* aut *condendum, corruptum* aut *incorruptum*? Hinc quoque emergit anxia illa de *Objecto Prædestinationis* disceptatio, quæ jam à longo tempore exercuit Theologos non solùm orthodoxos & hodiernos, sed & veteres Scholasticos: Quo scilicet respectu, aut sub quo conceptu Homo possit dici Prædestinationis objectum?

Mirari autem (quod dixerim pace secùs sentientium) satis non possum, Theologos, alioquin magni nominis & præclaræ eruditionis, tantum operæ ponere in discutienda ista Quæstione, adeò, ut non solùm ad Academicas velitationes & conflictus descendant, sed & in charitatis ecliptica à semet-ipsis dissiliant, ut schismati videatur aperiri fenestra, cui tamē præcavendo veneranda & celeberrima SYNODUS DORDRACENA multâ prudentiâ & circumspectione fuit in hac materia versata, ut maluerit propter Adversariorum impetiginem hanc cōtroversiam sopitam, quàm palàm agitatam tanquam extravagantem, & potiùs ea, quæ majoris videbātur esse commatis & momenti, ad veritatis & pacis in Ecclesiis Reformatis conservationē, ad calculum vocari. Monui aliquid de hac Quæstione in *Theat. Sapient. Cœlest. p.575. & seqq.* occasione præbitâ à communibus Adversariis, qui Reformatis Theologis, uti in aliis, in hac quoq; materia scandalosas dissensiones improperant. Lectorem eò remitto. Etiamnum persisto in ea sententia, quâ ibi ad defensionem Calvini ex ipsomet Calvino recitavi. Paucis nunc dico sequentia.

1. Summam esse non solùm vanitatem, sed & impietatem, quando miseri, vani Homines, vermiculi terræ, ejus rei satagunt, ut velint Dei sapientiam ἀνεξερεύνητον cogere intra peripheriam & angustias cœcæ suæ rationis, & confestim id, quod rationi Humanæ, vel etiam aliis Scripturæ locis, juxta glossas & interpretamenta ipsorum, contrarium videri posset, blasphemiæ damnare: qui mos hactenus fuit Adversariorum.

2. Non

2. Non perinde Dei Voluntatem atque decreta, quorum in Deo non major, imò infinities minor distinctio; atque unius Solaris radii strictura in totum Orbem, variatis effectis, invariatâ autem ejus unitate & simplicitate; esse nobis metienda & ordinanda: qualiter ea nobis occurrunt in conceptibus nostris, ut, si quid conceptui & imaginationi nostræ absonum occurrat, illud statim tanquam Dei misericordiæ aut justitiæ contrarium repudiemus.

3. Uti omnes Creaturas in Cœlo & in Terra, ita quoque Hominem Deo prædestinanti objectum, ut ad quos fines Hominem primum in integra, subinde in corrupta natura perducturus esset, ab æterno constituerit; remedia ad fines illos tendentia quoque præordinaverit. Si enim cogitemus, Deum esse sapientem, imò Sapientiam ipsam, cujus vestigia nobis reliquit in nobis ipsis, cogitandum quoque erit, Deum in Homine creando, creato, ad imaginem suam formato, tentationi Satanicæ ad lapsum permisso, habuisse aliquem finem propositum, cui fini servierunt media illa. Existimo, hoc neminem negare posse, qui non indixerit bellum Sapientiæ Dei, non tantum omnia præscientis, sed etiam decreto suo potente & efficaci ordinantis.

4. Hinc porrò dico, si Hominem consideremus in primo (ut sic dicam, juxta nostrum concipiendi modum: cùm in Dei uti naturâ, ita intellectu & voluntate, nihil sit prius & posterius) Prædestinationis conceptu, in ordine ad ultimum finem Hominem Deo non posse objici ut conditum, corruptum aut incorruptum, sed ut condendum, ut per media ista Creationis, permissionis lapsus, &c. perduceretur ad fines a Deo prædestinatos. Hâc nomenclatione vox *Prædestinationis* sumitur *latiùs, extensivè*, de omni Dei decreto, in respectu ad ultimos fines.

5. Jam si consideremus illud Dei decretum, quo Deus post Hominem suâ permissione lapsum, voluit discriminare eos, qui in Adamo lapso in communi miseria & exitio jacuerunt, quorundam miseratione, hinc salvatione & glorificatione, reliquorum in exitio derelictione, induratione & tandem perditione & condemnatione: nullum aliud invenimus aut invenire possumus *Objectum Prædestinationis*, quàm Hominem, in consideratione peccati & corruptionis nativæ. *Rat.* Nam & Dei *misericordia*, quæ præsupponit *miseriam*: & Dei *ira*, quæ præsupponit *peccatum*, requirit hanc considerationem: nisi velimus dicere, Deum misereri non miserorum, irasci irâ suâ indignis.

6. Hinc ergo tandem patere potest, quo sensu *Vasa*, quorum Apostolus meminit, sint accipienda. Nempe qualis est Massa, ex qua formantur, talia etiam vasa. Massa autem hæc (similis massæ luteæ figuli) est natura Humana in Adamo corrupta, ex qua formantur tùm electi, tum reprobi: illi ad gloriam, hi ad exitium.

Rat. α. Quia quod Apostolus de formatis ex Massa heic dicit, id suprà exemplis eorum declaravit, quos Deus distinxit & separavit in massa impura, videlicet sobolis Abrahami: quando in ea quorundam misertus, quos vocavit *filios promissionis*, aliis insuper habitis & rejectis.

β. Huc tendunt quoque exempla *Jacobi* & *Esavi*, quorum ille fuit vas gratiæ & gloriæ; hic iræ & dedecoris. Hanc distinctionem Deus fecit inter eos, nondum quidem natos, at jam conceptos in peccato originali, vel saltem consideratos in natura corrupta Parentum, ex qua fuerunt formati. Hinc *Esau* dicitur *odio habitus*, quod odium præsupponit peccatum, cùm tendat ad exitium, quod est peccati pœna.

γ. Huc quoque pertinet *Pharaonis* reprobati & indurati exemplum, qui non nisi in corrupta massa consideratus potuit esse Reprobationis & Indurationis objectum.

δ. Apostolus *vers.* 15. Electionem quorundam interpretatur per *miserationem*. Hæc autem præsupponit miseriam.

ε. Huic addo, quòd Apostolus *Eph.* 1. 4. dicit, *nos esse electos in Christo*, id est, ut per

per Christum salvaremur. *Ibid. vers. 5.* Atqui taliter electus aut eligendus non potuit considerari nisi ut constitutus in miseria.

ζ. Hinc Augustinus *Massam* hanc, in qua Deus discriminat Electos à Reprobis, vocat *Massam communem perditionis & damnationis. Contra Julian. Lib. 5. cap. 3. Quamvis omnes ex eadem Massa perditionis & damnationis, secundùm duritiem cordis sui, & cor impœnitens, quantum ad ipsos pertinet, thesaurizent sibi iram in die ira, quo redditur unicuiq; secundùm opera sua; Deus tamen alios inde per misericordem bonitatem adducit ad pœnitentiam; alios secundùm justum judicium non adducit.* Alibi *de Bon. Persev. cap. 14. Prædestinatio sanctorum nihil aliud est, quàm præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, qui liberantur. Cæteri autem, ubi nisi in massa perditionis justo Divino judicio relinquuntur?* Et paulò post: *Qui Dei altiori judicio à perditionis massa non sunt gratia Prædestinatione discreti, ipsis non adhibentur vel dicta Divina, vel facta, per quæ possent credere, si audirent talia, vel viderent.* Sic *Epist. 105. Quia universa ista massa meritò damnata est, contumeliam debitam reddit justitia; honorem donat indebitum gratia.* Ibid. *Meritò peccati universa massa damnata est.*

Quæst. V. Quid per *formationem vasorum ex massa* intelligatur *vers. 21. &c.* protasi similitudinis figulinæ reductâ ad apodosin?

Resp. Indubium est mihi ex *συζυγίᾳ* textus Paulini, ipsum hâc similitudine voluisse declarare ea, quæ superiùs proposuerat, tùm *hypotheticè* exemplis *Isaaci & Ismaëlis, Jacobi & Esavi, Pharaonis* item, ut demonstraret libertatem Dei in discriminatione Hominum factâ per Prædestinationem æternam: tùm *theticè, vers. 18.* quando dixerat, *eum misereri, quorum vult; indurare, quos vult.*

Id tantùm in disceptationem trahitur: *An huic formationi includenda, vel ab ea excludenda sit prædestinatorum creatio?* Qui *affirmativam* tenent, propter dissensiones de *Objecto Prædestinationis*, Homine, inquam, vel creabili, vel creato, integro vel lapso, in diversas quoque abeunt sententias.

Cùm jam paucis explicaverim meam de *Objecto Prædestinationis* sententiam, dicam porrò, quid mihi de hac *Quæstione* videatur.

1. Si in *generali* conceptu vox *Prædestinationis* sumatur, pro omni Dei decreto circa Hominem, ad ultimum Deo propositum finem, uti Homo Deo objicitur tanquam creabilis aut condendus, ita *Creatio* non potest excludi.
2. Si *specialiùs* sumamus *Prædestinationem*, pro discretione Hominum in massa generis Humani in Adamo, tanquam radice illius, originaliter comprehensa: tunc Natura illa (seu massa) potest considerari vel in *integritate* primæva, vel in *corruptione* subsequuta.
3. Si consideretur in *integritate*, in *Statu*, inquam, *innocentiæ*: non video, quâ ratione Decretum Electionis & Miserationis; Reprobationis item, vel *negativæ*, (ut vocant) præteritionis scilicet à gratia & gloria; vel *positivæ*, sive destinationis ad exitium: quâ ratione, inquam, hoc respectu Creatio subordinetur Prædestinationi illi, quam Paulus hactenus docuit exemplo filiorum *Abrahami & Isaaci*, itemque *Pharaonis*: ex voluntate item Dei non solum liberâ, sed & judiciariâ, atque ex discrimine vasorum iræ & misericordiæ, uti jam ad *Quæst. præced.* id expositum fuit.
4. Superest, ut, si de creatione Hominum formatio hæc sit accipienda, ea non ad primam Hominis integri creationem, formationem videlicet ex luto Terræ, uti volunt nonnulli, sed ad propagationem generis Humani ex massa in primo Homine corrupta restringatur. quo sensu, ut nuper dixi, Sapiens pro-

nunciat de Deo, *quòd Hominem fecerit ad diem mali*, *Prov.* 16.4. & *Act.* 17.26. Paulus dicit, *totam gentem Humanam ex uno sanguine creatam.*

5. Neque verò tantùm de *Creatione* ista existimo Apostolum loqui: imò ulteriùs voluit designare Dei operationes circa Homines à se ex massa communi corrupta, secundùm suam Voluntatem prædestinantem formatos aut creatos: quoad quidem

α. *Electos*, horum per Christum redemptionem, sanctificationem, conversionem, &c. quò pertinet ἡ προετοιμασία *vasorum misericordiæ ad gloriam*, cujus mentio fit *vers.* 23.

β. *Reprobos*, horum (exempl. *Ismaëlis, Esavi, Pharaonis*) desertionem, indurationē: quò pertinet ὁ καταρτισμὸς *vasorum iræ ad interitum*. *vers.* 22. Hinc autem porrò emergit

Quæst. VI. A' quo *vasa iræ* dicantur *vers.* 22. κατηρτισμένα, *compacta ad interitum?*

Resp. I. Eorum sententiæ, qui negant, ullà ratione hoc posse dici de Deo, litare non possum, propter sequentes rationes. 1. Quia ὁ καταρτισμὸς de *vasis iræ* dicitur per similitudinem ad vasa à Figulo ex massa formata ad dedecus. Huic autem Figulo Deus comparatur ab Apostolo, ut, si locum debeat habere una operatio Dei circa vasa gloriæ, in συγκρίσει cum Figulo; debeat quoque ex adverso ei respondere altera operatio circa vasa iræ. Secùs enim non procedet Apostoli ex comparatione hac desumpta consequentia: quia proclive fuerit respondere ad *Objectionem* præmissam *vers.* 19. Deum meritò succensere induratis, ad exitium destinatis, quia non à Deo facta & compacta fuerint vasa iræ ad interitum, & Deus nihil heic egerit, quod posset in culpam aliquam exitii ipsorum trahi. 2. Quia καταρτισμὸς istorum vasorum iræ includit ἀναμφιῤῥήτως *indurationem* illam, cujus *vers.* 18. facta est mentio, cujus occasione posteà *vers.* 19. *& seqq. Instantia* fuit mota & refutata. Atqui *induratio* illa expresse Deo, ejusque liberæ Voluntati *ibid.* fuit attributa: *Quem vult, indurat.* Itaq; καταρτισμὸς *vasorum iræ* non est prorsus à Deo removendus. 3. Quia καταρτισμὸς *vers.* 22. satis evidenter ab Apostolo attribuitur iræ Dei, quam Deus voluerit in vasis iræ ostendere, permixtam interim & temperatam πολλῇ τῇ μακροθυμίᾳ, *magnâ lenitate*. Est ergo opus iræ Dei: sicut postea quoq; *vers.* 23. προετοιμασίας, *præparatio vasorum misericordiæ* tribuitur *diviti Dei misericordiæ*, tanquam hujus opus & effectum.

Objicitur quidem, non perinde de *vasis iræ vers.* 22. dici, quòd sint à Deo κατηρτισμένα, compacta ad interitum, sicut dicatur *vers.* 23. de *vasis gratiæ*, quòd sint à Deo προητοιμασμένα ad gloriam; ne videretur Apostolus dicere, Deum eis insculpsisse peccatum, quo sic ad exitium præpararentur.

Respondeo autem vicissim 1. cum Calvino. *Quòd vers. 22. Paulus reticet, unde sit illud quòd vasa sunt in exitium apparata, non est mirum. Assumit enim ex superioribus, causam in æterno ac inexplicabili Dei consilio absconditam esse, cujus justitiam adorare magis, quàm scrutari conveniat.* Sic in *Institution. Libr* 3. *cap.* 23. *sect.* 2. *Vt concedam, diversâ loquendi formâ Paulum asperitatem lenire prioris membri: minimè tamē consentaneum est, præparationem ad interitum aliò transferre, quàm ad arcanum consilium Dei, quod etiam paulò antè in contextu asseritur, quòd Deus excitaverit Pharaonem, deinde, quos vult, induret.* 2. In tantum tamen non argui potest hinc, Deum esse authorem peccati in vasis iræ sive reprobis; in quantum non potest ex *induratione* eorum, quam Paulus *vers.* 18. expresse vocat opus Dei, colligi, Deum esse authorem peccati.

Sententiæ illi & interpretationi, quâ in Deum transscribitur καταρτισμὸς *vasorum iræ ad interitum*, non solùm veteres Ecclesiæ Doctores, Ambrosius, Hieronymus & Augu-

Augustinus subscripserunt, quod Theologi nostri Reformati plus satis probatum dederunt, atque ex eorum numero Clariss. Amandus Polanus *in Cap. I. Ezechielis*. Sed & Lutherus scribens *de Servo Arbitr. cap. 172. Vasa non se-ipsa parant, sed Herus. & cap. 178. Salva & invicta stat similitudo Pauli de figulo & luto, quod non nostri arbitrii est, qualia vasa formemur.*

II. Neque verò etiam præcisè mihi insistendum animadverto eorum sententiæ, qui existimant, hunc καταρτισμὸν vasorum iræ ad interitum tantùm pertinere ad Deum. Monui jam aliquid in Analysi. Porrò ita me explico, & dico,

1. Omnes Homines nasci filios iræ, & hoc respectu vasa dedecoris: ast non sensu Pauli hoc in loco, quo demùm inter eos, qui sunt naturâ filii iræ, discernit vasa gratiæ & iræ, ad decus & dedecus ordinata. Hoc respectu dicuntur à Deo formari vasa hæc ex massa corrupta generis Humani per creationem.
2. Reprobos ita creatos ex massa corrupta, porrò semet-ipsos indurare, adeóque præparare ad suum exitium per continuum peccandi studium & contumaciam, quod suprà exemplo Pharaonis satis patuit: cùm constet, eum semetipsum induràsse, adeóque hac ratione quoque præparàsse ad exitium.
3. Deum quoque, tanquam justum Judicem, Reproborum scelera, duritiem, contumaciam, magis punire suâ induratione, & hâc ratione eos compingere & coagmentare ad interitum, ast absque culpa sua. De hoc quoque jam dixi superiùs.
4. Diabolum denique non tantùm ex sua propria inclinatione, malignitate & nocendi libidine, vel etiam occasionibus ipsi à reprobis suppeditatis; sed inprimis ex Dei, tanquam justi Judicis, arbitrio & judicio, Carnificis instar & exequutoris judiciorum Dei, reprobos in figulinam suam rapere, mentes eorum & corda etiam atque etiam excœcare & indurare, adeóq; magis insuper dispositos & idoneos eos reddere ad finalem interitum.

Hæc mea est paucis, pace aliorum Theologorum, sententia de καταρτισμῷ Reproborum ad exitium. Nunc redeamus iterum ad Analysin Textus Apostolici.

GENTIUM ADOPTIO.

Cohærentiam cum præcedd. vide suprà *pag. 264, 265.*

TRANSITIO. Hactenus Apostolus in *prima* Parte Ἐργασίας hujus Capitis refutavit varias Judæorum *Objectiones*, pro sua præ Gentibus prærogativa, contra Pauli doctrinam de Judæorum repulsione, ex qua præposterè colligi poterat, Deum 1. *Inconstantem* esse in suis promissionibus, cùm promissio Israëli olim fuerit facta, non Gentibus alienigenis. 2. *Injustum* fore Deum, si inter pares faciat discrimen amoris & odii. 3. *Crudelem*, si succenseat à se induratis.

Nunc sequitur Pars *altera* dictæ Ἐργασίας, quæ καθολικωτέρα est, quâ partim Gentium Adoptio, partim quoque & simul Rejectio Judaicæ gentis probatur atque evincitur ex Oraculis S. Scripturæ.

Heic autem diligenter observandum, ut Mysterium utrumque dilucidius fieret, Apostolum, sicuti antea sensim *ascenderat* ad sum-

mum *Prædestinationis* arcanum; ita nunc sensim iterum *descendere* ad inferiores gradus, videlicet *Vocationem* & *Justificationem*: perinde uti suprà *Cap. VIII.* docuerat: *Quos prædestinavit, hos vocavit: quos vocavit, hos justificavit.*

A. *De* VOCATIONE *Gentium.*

De ea agit Apostolus *vers. 24---29.*

Vers. 24. *Quos etiam vocavit,* (nimirum) *nos, non solùm ex Judæis, verùm etiam ex Gentibus.*

Hos. 2. 23. Vers. 25. *Vt etiam apud Oseen dicit: Vocabo populum, qui meus non* (erat), *populum meum: & eam, quæ dilecta non erat, dilectam.*

Hos. 1. 10. Vers. 26. *Et erit in loco, ubi dictū fuerat eis: Non populus meus vos, illic vocabuntur filii viventis Dei.*

Jes. 10. 22. Vers. 27. *Esajas autem clamat super Israël: Etiamsi fuerit numerus filiorum Israël, ut arena maris, reliquiæ servabuntur.*

Vers. 28. *Rem enim conficiet & concidet cum justitia: quoniam rem concisam peraget Dominus in terra.*

Jes. 1. 9. Vers. 29. *Et sicut priùs dixit Esajas: Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, facti fuissemus ut Sodoma, & Gomorrhæ similes facti fuissemus.*

Occurrit in his verbis

Vers. 24. א. *Propositio, vers. 24:* Vbi consideranda sequentia.

I. Cur Apostolus à *Prædestinatione*, de qua in præcedentibus verbis actum, descendat ad *Vocationem*. Loquutus proximè fuerat de *vasis misericordia*, id est, electis, quos Deus præparaverit ad gloriam. Hinc potuisset confestim subdere: *quos etiam ipse præparavit* aut *præordinavit, &c.* Atqui aliter loquitur: *quos etiam vocavit.*

Responderi potest, propterea Apostolum ad *Vocationem* descendere, quia Electio ex Vocatione cognoscitur. Non enim à priori, sed à posteriori nobis mysterium hoc patefit, juxta id, quod suprà dixerat: *Quos prædestinavit, hos vocavit.* Itaque, qui de sua prædestinatione certus vult esse, respicere debet in suam vocationem. Eo ipso enim, quo quis vocatus est, persuasus esse potest de sua electione.

II. Quid

II. Quid per *Vocationem* intelligat Apoſtolus.

Non ſolùm *externam*, quæ fit per prædicationem Evangelii. Nam hæc contingit quoq; infidelibus, & non rarò omnium indigniſſimis & ingratiſſimis, qui tandem pereunt, ut vocatio eis fiat odor mortis ad mortem, *2.Cor.2.16.* quales fuêre Galilæi, *Matth.11.20,&c.* Judæi, *Jeſ.6.9,10.& 65.12.& 66.4.* Hinc vocatio iſta non poteſt eſſe γνώρισμα electionis, juxta illud Chriſti: *Multi ſunt vocati, pauci electi. Matth.20.16.*

Sed & *internam* & *efficacem*, quæ conjunctam habet efficacem operationem Spiritus S. qui vocat intùs & Verbum prædicatum cordibus inſcribit, per illuminationem mentis & converſionem voluntatis. De hac Vocatione ſuprà Paulus loquutus, *Rom.8.30.* & *2.Tim.1.9.* Atque hæc demùm eſt infallibile teſtimonium noſtræ Electionis, & clypeus contra omnis generis tentationes & adverſitates. *Jeſ.43.1,2.* Hinc ſuprà nominavit *Vocationem ſecundùm propoſitum. Cap.8.28.*

III. Qui'nam ſint participes hujus *Vocationis. Vocavit*, ait Paulus, *v.24. nos non ſolùm ex Judæis, verùm etiam ex Gentibus.* Electis & vocatis ex Judæis aggregat Gentes, propter Judæorum errorem & præſumptionem, qui putabant, excluſis Gentibus, ad ſe tantùm pertinere Dei fœdus, adoptionem, vocationem. Negat id Paulus, & contrarium aſſerit: ſcilicet in Veteri quidem Teſtamento hanc fuiſſe Judæorum prærogativam, ut *credita eis fuerint eloquia Dei,* ſuprà *Cap.3.2.* & *eorum fuerit adoptio, gloria, pacta, promiſſiones, &c. Cap.9.v.4.* nunc autem in Novo Teſtamento aliter ſe rem habere, electos vocari non ſolùm ex *Judæis*, ſed etiam ex *Gentibus*: imò Gentes nunc hâc gaudere prærogativâ, ut repudiatâ majore Judæorum parte, illæ magno numero fuerint à Deo vocatæ & adoptatæ, adeò ut *Judæorum* ἥττημα ſit factum *Gentium* πλήρωμα, & ἀποβολὴ *illorum* ſit facta καταλλαγὴ κόσμου, ut loquitur inferiùs, *Cap.11.12,15.* Hæc eſt Pauli doctrina, quam nunc porrò confirmat.

2. *Confirmatio.* Partes ejus ſunt duæ.

I. *Primâ* Gentium vocatio & adoptio evincitur ex S.Scriptura. Id Paulus ſtudio habuit 1. propter Judæos, qui ſolebant ſibi tantùm Scripturam, Legem, inquam, & Prophetas, vindicare pro ſua prærogativa contra Gentes: 2. ad declinandam Judæorum invidiam, quibus doctrina Pauli de Gentiũ adoptione, uti nova, ita odioſa viſa eſt.

Verſ.25,26. Promit autem Apoſtolus duo *Oracula* ex *Hoſea* Propheta, *v.25,26.* quæ placet majoris evidentiæ causâ huc transſcribere per Parallelismum.

Hoſ.2.v.23.	Rom.9.v.25.
Miſerebor Lorychamah (ſic fuerat, ſuprà *Cap.1.v.6.* vocata filia ſpuria Prophetæ ex ſcorto concepta: ſignificat autem eam, *quæ fuit absq; miſericordia,* ut Vulgatus reddit) *&* *ad Lohammi* (ſic vocatus fuit ſuprà *Cap.1.v.9.* filius Prophetæ ex ſcorto conceptus, Latin. *non populus meus*) *dicam: populus meus es, & ipſe dicet, Deus mi.*	*Vocabo populum, qui meus non erat, populum meum; & eam, quæ dilecta non erat, dilectam.* LXX. habent. *Καὶ ἐλεήσω τὴν οὐκ ἠλεημένην. καὶ ἐρῶ τῷ οὐ λαῷ μου: λαός μου εἶ σύ. καὶ αὐτὸς ἐρεῖ. Κύριος ὁ Θεός μου εἶ σύ.*
Hoſ.1.v.10.	Rom.9.v.26.
Eritq; loco ejus, quod dictum fuerat eis; non populus meus eſtis, ut dicatur, filii Dei viventis.	*Et erit in loco, ubi dictum fuerat eis; non populus meus vos, illic vocabuntur filii viventis Dei.*

LXX. reddunt.

Καὶ ἔσται ἐν τῷ τόπῳ, οὗ ἐρρέθη αὐτοῖς: οὐ λαός μου ὑμεῖς, κληθήσονται καὶ αὐτοὶ υἱοὶ Θεοῦ ζῶντος. Sic Pauli quoque ſe habet allegatio.

Apparet, in priore allegatione Paulum non tàm verba, quàm ſententiam recitâſſe, & breviùs quidem, ea nimirum excerpens, quæ reſpondebant tractationi præcedenti, & inſerviebant ipſius ſcopo.

Scopus autem eſt, docere, Gentium vocationem & adoptionem non debere videri abſurdam propter ſuam novitatem; cùm jam olim ea fuerit apud *Hoſeam* Prophetam gemino oraculo prædicta & decantata: quando videlicet *Cap.2.* prænunciavit, *eum populum, qui antè non fuerat Dei populus,* quales fuerant olim Gentes tanquam alienigenæ, *abalienatæ à politia Iſraëlis, & extraneæ, quod ad pactorum promiſſiones attinet, ſpem non habentes, & absq; Deo in Mundo, Eph.2.12.* factum eſſe populum Dei: &, ut *ibid.v.13.* loquitur Paulus, *qui olim erant procul, propinquos factos fuiſſe per ſanguinem Chriſti:* hincque, *quæ dilecta non erat, vocatam fuiſſe dilectam.* Sic juxta oraculum *Cap.1.Hoſ.* debuit *in eo loco, in quo dictum fuerat habitatoribus: non populus meus vos,* quales Gentes extra terram ſanctam olim fuerant; proclamari: *Vos eſtis filii viventis Dei.*

Hæc quidem ſatis ſunt clara & dilucida. Recte'ne verò atque ſecun-

ſecundùm Prophetæ intentionem Oracula iſta fuerint ab Apoſtolo accommodata ad ſuum ſcopum, adoptionem videlicet & vocationem Gentium in Novo Teſtamento, dicam in *Quæſtionibus*.

II. *Secunda* Confirmationis Parte ex oppoſito iterum attingitur & demonſtratur Rejectio majoris partis Gentis Judaicæ. Prudenter Apoſtolus hanc partem poſteriùs tractare voluit, ne Judæorum animos nimis exulceraret, quod Calvinus obſervavit. Addo, pari prudentiâ Apoſtolum odioſam hanc doctrinam de novo tractare, ita, ut mitiget illam & temperet aliquâ conſolatione, pertinente ad electas reliquias ex repulſa Gente Judaica, ne videretur in univerſum illi gratiam & ſalutem abjudicâſſe. quo tandem & id collimat, quod de hac materia nihil voluerit iterum aſſerere & pronunciare ἄτερ γραφῆς.

Quo fine de novo par Oraculorũ introducit ex alio ſummo Propheta *Jeſaja*.

1. *Prius* eſt deſumptum ex *Jeſ. cap. 10. v. 22. Si fuerit populus tuus Iſraël* (numero) *ſicut arena maris, reliquum revertetur ex eo: conſummationem præciſam* (conſummabit) *exundans juſtitia. v. 23. Nam conſummationem, & quidem præciſam, Dominus Jehova facturus eſt in univerſa terra.* *Verſ. 27. 28.*

Apoſtolus α. Jeſajam in hoc oraculo introducit non leniter loquentem, ſed *clamantem*, dicens, *verſ. 27. a. Eſajas autem clamat ſuper Iſraël.* Διότι. Vt aures Judæis vellicaret, & torporem eis excuteret, cùm ad talia loca, quæ videntur ipſorum Genti aſperiora eſſe, obſurdeſcere ſoleant: β. In paraphraſi ſua nihil vel parum mutat, inprimis *verſ. 28.* ex LXX. ſenſu loci retento & ad ſcopum ſuum accommodato: γ. qui eſt primarius, oſtendere, Deum majori ex parte gentem Judaicam repudiâſſe. Atque hoc oraculo Prophetico conſentaneum eſt, cujus ſenſus huc recidit: Etiamſi numerus filiorum Iſraël adæquet arenam maris, juxta promiſſionem olim Abrahamo factam; tamen judiciis Dei tanta multitudo exſcindetur, exceptis paucis reliquiis, quas Deus conſervabit ex mera miſericordia.

2. *Poſterius* mutuatur Apoſtolus ex *Jeſ. cap. 1. v. 9. Niſi Jehova exercituum reliquiſſet nobis ſuperſtites, utcunq; paucos; ut Sedomum eſſemus, & Gomorrhæ ſimiles facti fuiſſemus.* (Reſpicitur ad πανωλεθρίαν Civitatum harum & vicinarum, de qua *Geneſ. cap. 19.*) Paulus in parallelo ſuo loco *v. 29.* nihil immutavit, niſi quòd loco *ſuperſtitum* *Verſ. 29.*

stitum posuerit *reliquum semen*: innuendo, vastatam quidem esse gentem Judaicam, ad-instar terræ Sodom & Gomorrha, igne iræ & excandescentiæ Dei; & tamen semen aliquod electarum reliquiarum, de quo etiam inferius mentionem facit *Cap.XI.* à Deo servatum, ut fœdus ejus constaret, & inde Ecclesia quoque deinceps propagaretur.

De accommodatione istorum quoq; Oraculorum Jesajæ Prophetæ ad Apostoli institutum monebo aliquid in *Quæstionibus.*

B. *De IVSTIFICATIONE Gentium.*

Postquàm Apostolus de *Vocatione* & *Adoptione Gentium* in proximè præcedentibus egerat, eamque ex Oraculis S.Scripturæ evicerat; ex quibus, ut unâ veluti fideliâ duos parietes dealbaret, simul *Rejectionem* majoris partis *gentis Judaicæ* demonstraverat: nunc porrò in extremo hoc *Cap.IX.* transit ad *Justificationem* electorum fidelium ex Gentibus, *vers.30.usq, ad fin.Cap.*

Vers.30. *Quid igitur dicemus? Gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehendisse justitiam: justitiam autem, quæ est ex fide.*

Vers.31. *Israelem verò consectando Legem justitiæ, ad Legem justitiæ non pervenisse.*

Vers.32. *Quare? Quia non ex fide, sed velut ex operibus Legis. nempe offenderunt ad lapidem, ad quem impingitur.*

Jes.8.14. & 28.16. Vers.33. *Quemadmodum scriptum est: Ecce statuo in Sion lapidem, ad quem impingitur, & petram offendiculi: & quisquis credit in eum, non pudefiet.*

Tria heic veniunt consideranda.

Vers.30. I. *Exordium, vers.30.* per *prolepsin* quandam & occupationem: *Quid igitur dicemus?* Paradoxum vult insinuare, quod videbatur incredibile.

Objicere enim quis potuisset: An ullâ ratione credibile sit, & Oraculis Propheticis consentaneum: 1. Gentes profanas, justitiam non curantes, in idololatria, superstitionibus, abominationibus, omnibusq; aliis sceleribus veluti sepultas, posse servari? 2. E contrario Judæos, Legis ipsis solis concreditæ studio-

ſtudioſos, imò zelo Legis ardentes, à Deo præ Gentibus repudiari & abjici in æternum? Hoc Pauli eſt exordium.

Reſponſio ad iſtam *Objectionem* nunc patebit ex *Propoſitione*, quæ ſequitur.

II. *Propoſitio* eſt διχότομος, bimembris. Membro uno Apoſtolus agit

ℵ. De *Gentibus*, de quibus reſpondet *affirmativè*, per ITA. quòd ſcilicet *Gentes non ſectantes juſtitiam, juſtitiam apprehenderint, &c. verſ 30.* Obſervand. circa

1. *Subject.* Gentium deſcriptio. Vocat eas μὴ διώκοντας δικαιοσύνην, *non ſectantes juſtitiam.* Tales olim fuêre omnes Gentes: tales ſunt etiamnum omnes irregeniti Homines, quod ſuprà Apoſtolus plus ſatis *Cap. I. II. & III.* evicit in doctrina de communi reatu totius Generis Humani, exemplo tùm *Judæorum*, tùm *Gentium*.
2. *Prædicat.* quid Apoſtolus de Juſtificatione Gentium aſſeveret.
   - α. Dicit, *eas juſtitiam apprehendiſſe*, id eſt, juſtificatas fuiſſe.
   - β. Explicat Juſtificationis hujus *Cauſam* tùm
     Materialem, *Juſtitiam fidei.* Intelligit Juſtitiam, quæ extra Legē patefacta eſt in Evangelio, uti ſuprà *Cap. I. 17. & 3. 21.* quæ quidē nulla alia eſt, niſi *Juſtitia* CHRISTI, non tantùm *effectivè*, tanquam à Chriſto parta; ſed & *ſubjectivè*, in Chriſto reſidens, nobis autē per gratiam à Deo imputata.
     Inſtrumentalem, ſcilicet *Fidem.* Ideò vocat *juſtitiam eam, quæ eſt ex fide.* non, inquam, *abſolute* eam, quæ eſt ex fidei virtute, merito, dignitate; vel etiam dignatione Dei, quâ fidem loco juſtitiæ habeat aut acceptet, uti ſuperiùs pluribus eſt oſtenſum: ſed *relativè*, & *organicè*, ex fidei apprehenſione, quâ credentes ex Gentibus juſtitiam Chriſti, in Evangelio patefactam, ſibimetipſis applicant. Hinc ne quidem fidei reſpectu Apoſtolus quicquam voluit gloriationis relinquere Gentibus. Nam dicendo & docendo, *Gentes, quæ nō ſectabantur juſtitiam juſtitiam appre-*

hendisse, innuere voluit, *non aliter* (verba sunt Calvini) *Gentiles fide justitiam esse adeptos, nisi quia Deus fidem eorum suâ gratiâ antevertit. Nam si fide priores ad justitiam aspirassent, hoc jam fuisset eam sectari. Itaq; fides ipsa portio gratiæ fuit.*

Vers. 31. 2. De *Judæis*, de quibus Apostolus respondet *negativè* per NON, quòd scilicet *ad justitiam non pervenerint, justitiam* licèt *Legis consectando. v. 31.* Videntur verba esse allegorica, & similitudinem continere desumptam à *Cursoribus*, qui contendentes ad certum aliquem scopum, eum tamen non attingunt, sed in cursu suo subsistunt, & spe suâ frustrantur. Observand. ergo heic Judæorum

1. *Conatus*, & *scopus*, quem innuit Apostolus, quum dicit, *Israëlem consectatum esse Legem justitiæ*, id est, justitiam Legis, per hypallagen. Intelligit autem totam Legem moralem, ceremonialem, judicialem, in cujus observantia Judæi suam justificationem & salutem quæsiverant: quippe qui putaverant, Legem propterea ipsis à Deo datam, ut per & propter ipsius obedientiam Deum sibi demererentur, & salutem æternam acquirerent.
2. *Eventus* frustraneus. *Ad Legem justitiæ non pervenerant*, ait Apostolus. Q. D. Oleum & operam, utì dicitur, perdiderunt, suo scopo & spe exciderũt. Justitiam enim in Lege quærentes, neque Legis justitiam fuerunt assequuti, neque veram, quæ coram tribunali Dei consistere posset, attigerunt, tanquam currentes extra oleam. De voce hac *Legis justitiæ* hoc *v. 31.* bis repetitâ monebo aliquid in *Quæstionibus*.

Vers. 32. III. *Confirmatio* utriusque membri. Apostolus enim probat utrumque, quod dixerat

1. *Negativè*, & posteriùs de *Judæis*, quòd scilicet beneficio Justificationis exciderint. *Argumenta.*
   1. Quia Justificationem quæsiverint extra fidem. Ideò dicit *v. 32. a. Quare? quia non ex fide.* Caruerunt ergo vero & unico Justificationis medio & organo, de quo jam suprà abundè disseruerat.
   2. Quia Justificationem quæsiverunt in operibus Legis. Ideò addit: *sed velut ex operibus Legis.* quibus dum caruerunt, quod etiam suprà plus satis demonstravit, non

tantùm

tantùm Legis *δικαίωμα* amiserunt, sed in ejus *κατάκριμα* incideru nt.

3. Quia CHRISTUM, qui solus est nostra coram Deo justitia, contempserunt & damnârunt. Id Apostolus

α. *Proponit* verbis allegoricis, *v.32.c. Nempe offenderunt ad lapidem τοῦ προσκόμματος, ad quem impingitur.* Sic magìs explicat & confirmat, quod protulerat de Judæorum incredulitate.

a. Quis iste *Lapis*?

ὅτι, CHRISTUS, qui passim in Scriptura *Lapidi* comparatur. Heic à Paulo, alibi à Petro, *1.Epist. 2.v.6.* Sic alibi tùm in Veteri, tùm in Novo Testamento, *Jes.8.14. Psal.118.22. Matth.21.44.* figuratus item typicè per Petram in deserto, *1.Cor.10.v.4.* per Lapidem excisum è monte, *Dan.2.34,45.*

διότι. Cur Christus comparetur ab Apostolo *Lapidi.* Variæ quidē rationes afferri possent, sicut etiam variæ sunt causæ, ob quas Christus in S.Scriptura *Lapidi* comparatur. v.g. Adumbratus fuit per *Petram* in deserto, *Exod.17.6. Num.20.8,9. 1.Cor.10.4.* è qua Deus Israëlitis aquam elicuit, ut innueretur, ipsum esse Petram salutis nostræ, ex qua ad nos dimanat aqua, imò torrentes Vitæ & Salutis æternæ, Spiritus S. videlicet, *Joh.4.14. & 7.38,39.* Apud Prophetā *Esajam*, cujus locus quoq; postea citatur *v.33.* vocatur 1. *Lapis fundamentalis in Zijon*, quia ipse est fundamentū Zijonis spiritualis aut Ecclesiæ. *Jes.2.3.* Petra, inquam, supra quam ea est fundata. *Matth.16.18. Eph.2.20.* 2. Hinc etiam dicitur *pretiosus* in *συνηέλσει* ad alios lapides spirituales, videl. fideles ei superstructos. *1.Pet.2.4,5.* 3. *Lapis angularis*, quia sustinet Dei domum, sive Ecclesiam, & facit *τὰ ἀμφότερα ἕν, λύσας τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ, Ephes.2.14.* conjungit, inquam, duos parietes, id est, duas Nationes & Populos, Judæos & Gentes. Apud Danielem, *cap.2.34.* comparatur *Lapidi avulso è monte* cœlitùs, qui contrivit imaginem, Nebucadnezari in somnio oblatam,

& in montem magnum postmodùm evasit, *Dan.2.35.* ut innueretur, Regna Mundi, quæ Christi adventum in carnem antecesserunt, in & à quibus Ecclesia vetus varias afflictiones & persequutiones sustinuit, Regno Christi esse cessura, quod perpetuò sit duraturum, & tandem propagandum & dilatandum in totum terrarum Orbem. *Dan.2.44.45.*

Ast Paulus hoc loco alio respectu Christum *Lapidi* assimilavit; propter offendiculum Judæorum, qui in Christum ceu Lapidem impegerunt, quo sensu etiam vocatur in mox *v.33.* citato loco ex *Jes.8.v.14. Lapis scandali & offensionis*, interprete etiam Petro Apostolo, *1.Pet.2.8.* Et huc quoque tendit Christi dictum *Matth.21.44.* Imò jam olim ea de causa Christus fuit pronũciatus *Lapis ab ædificantibus reprobatus, Psal.118.22.* Ideò dicit Apostolus de Judæis, quòd *offenderint ad lapidem τȣ̃ προσκόμματος, ad quem impingitur.* Hinc ergo jam considerandum:

b. Quod nam sit hoc *πρόσκομμα* sive *offensio* Judæorum ad hunc lapidẽ? Πρόσκομμα est tùm *incredulitatis* & *ingratitudinis*, quâ Christum noluerunt agnoscere & acceptare pro Messia promisso: tùm *malitiæ* & *crudelitatis*, quâ ipsum contempserunt, conviciis lacerârunt, ad necem postulârunt, & tandem per judicium injustum ad crucis lanienam protraxerunt. Hoc *πρόσκομμα* fuit quoque prænunciatum à Simeone, *Luc.2.v.34.* & Apostolus id insinuavit *Heb.12.3.*

Vers.33. **β.** *Confirmat* Apostolus *vers.33.* quod dixit de hac Judæorum offensione, testimonio Prophetico Jesajæ: *Quemadmodum scriptum est: Ecce statuo in Sion lapidem, &c.* Observandum, Apostolum alludere non ad unum tantùm, sed ad duo Oracula Prophetæ.

Primum extat *Jes.28.v.16. Ecce ego fundo in Sion lapidem munitionis, angularem, pretiosum, fundamenti fundati: qui credit, non prafestinabit.* Apostolus præponit voci [*πιστεύων*] particulã universalem *πᾶς*, & postponit eidem verba *ἐπ' αὐτῷ*, quæ non occurrunt in origine Hebraica. Hinc Beza conjicit, Apostolum potiùs respexisse ad alia loca, *Psal.25.2.& 34.23.*

Secundum extat *Jes.8.v.14,15. Erit Jehovah exercituum in lapidem offensionis & in petram ruinæ, duabus domibus Israël in laqueum & in tendiculam habitatoribus Jerusalem: impingentq; in ea plurimi & cadent, & conterentur, irretienturq; & capientur.*

Appo-

Apposité Apoſtolus hæc loca citavit ad ſcopum ſuum, ut demonſtraret, mirum nequaquam videri debere, Judæos excidiſſe beneficio Juſtificationis, adeóque à Deo rejectos, JESUM CHRISTUM repudiando: quia id ipſum Jeſajas multis antè ſeculis prophetaverit, prænunciando,

1. Quòd Chriſtus ad ipſos ſit mittendus: *Ecce, pono in Sion lapidem.*
2. Quòd idem ab ipſis ſit repudiandus: *Pono in Sion lapidem, ad quem impingetur, & petram offendiculi.* Sic quoq; ut nuper monui, *Pſal.118.22. Lapis ab ædificantibus reprobatus.*

3. *Affirmativè* de Gentibus, quòd eæ ſint juſtificatæ. Ex eodem loco citato *Jeſajæ c.28.v.16.* id dicit Apoſtolus, quando ſubdit: *Qui credit in eum* (Lapidem, Chriſtum ſcilicet) aut ei per fidem adhæret, eum amplectitur, *non pudefiet.* Ita poſtea *Cap.10.11.* Sic LXX. οὐ καταισχυνθῇ. In Hebraico eſt *lo jachiſch*, non *præfeſtinabit*, (à *Chuſch*, feſtinavit, quod in Hiphil ſignificat *præfeſtinavit, acceleravit*:) ſenſu non multùm abludente. Feſtinare enim ſolent, qui in periculis trepidant ex diffidentia. quanquam conjectura iterum Bezæ ſit, Græcum interpretem legiſſe *Jabuſch*, aut *jabiſch, erubeſcet, pudefiet.* nec tamen ſoliditatem habet conjectura, cum LXX. non raró ſenſum magis, quàm verba retineant. Hinc Chaldæus quoque Paraphraſtes reddit per, *non commovebuntur.*

QUÆSTIONES,
ex Cap. IX. verſ. 24. uſq; ad fin. Cap.

Quæſt. I. Recte'ne Apoſtolus *verſ.25.* Oraculum Hoſeæ accommodet ad Gentes? *Rat. dub.* Quia ibi agatur non de Gentibus, ſed de Iſraelitis ex X. Tribubus, à Deo quidem olim averſis per Apoſtaſiam; ſed eidem iterum reconciliandis, ut in ipſis fœdus vetus & promiſſio Abrahamo facta, debeat eſſe & manere rata. Quid hoc ad Gentes in fœdere nunquam comprehenſas?

Reſp. I. Poſito, ibi loci ſermonem eſſe ῥητῶς de dictis Iſraëlitis, nihil hoc officiet Apoſtoli ſcopo & probationi. *Ratio* eſt, quòd non ſolùm fuerint diſperſi, & quidem diſperſione perpetuâ inter Gentes; ſed quòd etiam jam inde à Jeroboamo defecerint à Dei cultu & fœdere, ut Gentibus hactenus fuerint æquiparandi. Nam & Religionem & Matrimonium habuerunt cum Gentibus paria. Quid mirum ergo, ſi Apoſtolus, argumento à comparatis ducto, hinc Vocationem & Adoptionem Gentium probâſſet, ad convincendos Judæos, qui tantùm literæ inhiabant, & Gentis ſuæ prærogativam urgebant: Si Deus degeneres, apoſtaticos, ethniciſſantes Iſraëlitas iterum juxta ſuum Ora-

culum *Hosea cap.2.22.* adoptavit, & in gratiam recepit, qui (NB) videbantur magis suâ incredulitate, quam vocant, *privativâ* peccâsse, Verbum Dei repudiando, Prophetas persequendo, &c. cur non pariter Gentes alias, alienigenas licèt, in gratiam esset recepturus, ad quas Verbum suum mittit. & quod ab ipsis per fidem acceptatur?

Excipiat quis: Israelitas apostaticos X. Tribuum habuisse adhuc prærogativam aliquam gentis suæ jam inde ab Abrahamo, Dei fœderato.

Resp. 1. Non meliori jure atque *Esau*, uti suprà dictum & evictum ab Apostolo. 2. Non nisi (quod ad æternam attinet salutem) respectu fidei & obedientiæ Abrahamicæ. Quod ergo reliquis carnalibus Abrahæ filiis, excluso respectu fidei & obedientiæ, privilegium manebit Ismaelitis, Esavitis, X. Tribubus, præ aliis Gentibus?

II. Id verò quoque negari potest, Hoseam Prophetam tantùm de Israelitis loquutum. Imò dici potest, exemplo Gentilium, in posterum vocandorum, adoptandorum, convertendorum, & ad Regnum Christi perducendorum, Prophetam voluisse 1. partim consolari Tribus apostaticas Israelis, ne desperarent de ulla sui restitutione: 2. partim animare & excitare ad fiduciam retinendam in promissionibus & fœdere, quod non sit, ipsorum respectu, prorsus abolitum, hincque ad resipiscentiam. *Argumentum* fuerit à minori ad majus: Si Deus Gentilium, qui nunquam in censu populi Dei fuerunt, sit misertus, ut populus Dei futuri sint: multò magis miserebitur aliquorum Israelitarum, qui olim in fœdere fuerunt.

Quæst. II. Nunquid Electi ab æterno fuerint Dei populus? *Rat. dub.* Quia Paulus dicit *vers.25.* Deum dicere *populum suum*, qui *non* fuerit *populus ejus*, & olim *non dilectam, dilectam*. An potest Electio divelli à Dei dilectione & electorum adoptione?

Resp. 1. Distinguendum inter *Electionem* & *Vocationem*. *Illius* respectu Gentes fuêre Dei populus ab æterno. *Hujus* respectu in tempore demùm esse cœperunt, quo sensu Augustinus dixit: *Multæ oves sunt foris* (extra scilicet Ecclesiam, sed tamen suo tempore ad eam aggregandæ) respectu electionis: *multi lupi intùs*. 2. Distinguendum inter *Dilectionem* Dei *antecedentem*, quâ eligit ab æterno, quos voluit sibi in populum adoptare; & *consequentem*, quâ jam adoptatos in tempore pro populo suo habet, & beneficiis variis prosequitur.

Quæst. III. Rectène ab Apostolo *vers.27.28.& 29.* Oracula ex *Jes.cap.10. v.22,23.* & *cap.1.v.9.* fuerint accommodata ad Judæorum rejectionem, & electarum inter ipsos reliquiarum cõservationem in Novo Testamento? *Rat. dubit.* Quia videtur Jesajas utroque loco digitum intendisse in judicia illa Dei, & clades, quas suo tempore Judæi ab Assyriis & Babyloniis, partim jam perpessi fuerant, partim deinceps perpessuri erant. Hinc expressè *Cap.10.v.5.* *Regis Assur*, tanquam *virga iræ Dei*, fit mentio.

Resp. 1. Dici potest, Prophetam συλλήβδην & generaliter voluisse comprehendere omnes afflictiones Judæis incumbentes usq; ad Christi adventum, sub cujus Regno & comminationes impiis, & promissiones electis factæ, plenum suum complementum sint consequuturæ. cùm satis constet, Prophetas, inprimis in promissionibus, præcipuè semper respexisse ad Christi Regnum, tanquam fundamentum omnium aliarum promissionum. 2. Posito, ad particulare aliquod tempus judiciorum Dei antiquorum Jesajam respexisse, non tamen Pauli ratiocinatio ex ipsa ducta abludet, quia propter per-

perpetuum justitiæ Dei & misericordiæ tenorem argumentum ex comparatis commodè & firmiter procedet in hunc modum:

Quæ ratio fuit *justitiæ* Dei & *misericordiæ* erga *Judæos* in Veteri Testamento: ea nunc quoque erit in Novo Testamento, cùm Deus sibi semper similis sit.

Atqui ea fuit utriusque ratio in Vetere Testamento, ut propter indomitam Judæorum inobedientiam eos diversis temporibus majori ex parte conciderit; reliquiis interim semper servatis.

Eadem ergo nunc quoq; in Novo Testamento utriusq; est ratio, ut mirari non sit necesse, Deum majorem Judæorũ partẽ, propter ipsorũ ἀπιστίαν & ἀπείθειαν, abjecisse; electis interim reliquiis, inter ipsos servatis. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Quæst. IV. Quid Apostolus *vers.* 31. per *Legem justitiæ* intelligat, cujus bis ibi facit mentionem?

Resp. 1. Vulgaris interpretatio est: *Israëlem* (id est, *Judæos*) *consectando*, sive studiosè, tanquam *cursu* aut in *certamine* aliquo persequendo *Legem justitiæ*, id est, justitiam Legis (per *Hypallagen*), nimirum per externam illius observantiam, adeóq; ex operibus Legis; *non pervenisse ad Legem justitiæ*, sive justitiam illam, quam Lex exigit, non esse assequutos, cùm Lex exigat justitiam & obedientiam perfectam, & omnibus numeris absolutam, quæ omnibus Hominibus sit ἀδύνατον. 2. Ego malo in *Calvini* sententiam condescendere, *in repetitione secundi membri*, alio sensu *Legis justitiæ* nomine intellexisse *veram justitiæ formam seu regulam*. Dicere enim voluit, *Israëlem justitiæ Legis insistentem, veram justificationis rationem non tenuisse*, quæ videlicet nõ in Lege, sed in Evangelio patefacta est, (suprà *Cap.* 1. *v.* 17.) cui *Legis* nomen indit per *paranomasiam*. uti suprà quoq; *Cap.* 3. *v.* 27. distinxerat *Legem operum & fidei*. Item *Cap.* 7. *v.* 22, 23. καταχρηστικῶς meminerat *Legis Dei & Legis peccati*. Sic enim postea quoque, *Cap.* 10. *v.* 3. de Judæis eodem sensu pronunciat, quòd *ignorantes Dei justitiam, & propriam justitiam studentes constituere, justitiæ Dei non fuerint subjecti*. Adde, Paulum absq; repetitione dicturum fuisse: *Judæos ad eam non pervenisse*.

Quæst. V. Nunquid Apostolus videatur dicere ἀσύστατα *vers.* 30. & 31. quum dicit, *Gentes justitiam apprehendisse absq; ejus consectatione: Judæos autem non apprehendisse per ejus consectationem?*

Resp. 1. Apostolus ipse dirimit hoc ἐναντιοφανὲς per distinctionem *justitiæ Fidei & Legis*. *Illam Gentes* assequutas esse dicit, non sectando justitiam, scilicet per opera Legis; sed credendo, seu justitiam aliam in Evangelio oblatam per fidem apprehendendo. *Hanc*, Legis, inquam, justitiam dicit *Judæos* esse sectatos; sed hoc ipso extra viam cucurrisse & excidisse verâ & salutari Dei justitiâ.

Objiciat quis: Si Judæi justitiam fuerunt consectati præ Gentibus, tanquam zelo Legis ejusque observantiæ ardentes, cur potuerunt justitiâ excidere? *Rat.* Quia Lex justitiam promittit obedientibus. *Levit.* 18. 5. *Ezech.* 18. 9.

Resp. 1. Ideò hoc factum, quia Judæi verâ justitiâ non exciderunt per Legis *observantiam*, sed *prævaricationem*, tanquã Legis transgressores. *Rom.* 2. *v.* 17. *&c.* & 3. *v.* 9, 13, 23. Id suprà plus satis fuit evictum. 2. Quia præcipuam Legis observantiam constituebant in externis Ceremoniis, quod omnibus Hypocritis solenne est, insuper habitâ internâ cordis sanctimoniâ, quam Lex, tanquam *spiritualis*, (*Rom.* 7. 14.) principaliter urget. 3. Quia Legis finem non attenderunt, scilicet CHRISTUM, uti habetur postea, *Cap.* 10. *v.* 4.

Quæst. VI. Cur *Christus vers.* 33. ex Propheta Jesaja dicatur *positus in offendiculum?* *Rat. dubit.* Quia videtur dici contrarium, *Joh.* 3. 17. *Non misit Deus Filium suum in Mundum, ut damnet Mundum, sed ut servetur Mundus per eum.* Sic alibi, *Joh.* 12. 47.

Resp. Distinguendum inter *τὸ per se & per accidens*. Christus *per se* datus est Hominibus.

nibus ad salutem, adeóque positus est, ut sit lapis resurrectionis & sustentationis credentibus in ipsum. *Luc.* 2.34. *Per accidens* autem fit & constitutus est lapis offendiculi & casus incredulis; nullâ suâ culpâ, sed eorum qui per incredulitatem ipsum rejiciunt, aut in ipsum impingunt, adeóque semet-ipsos petulanter privant salute, quam Christus attulit, quæque ipsis in annunciato Evangelio offertur.

Instant. I. Atqui *τὸ credere*, & per fidem Christum amplecti, non est in ipsorum potestate, si id eis à Deo non concedatur.

Resp. 1. Licèt non sit ipsorum *potestatis*, est tamen ipsorum *debiti*, quum Christus eis annunciatur. 2. Ἀδυναμίας ipsorum culpa non hæret in Deo, qui initio Hominem viribus integris creaverat; sed latet in ipsis, quippe qui eam contraxerunt ex primæva culpa, cujus ipsi quoque participes sunt, uti suprà demonstratum, *Rom.* 5. *v.* 12. *&c.*

Instant. II. Atqui alibi incredulitas impiorum videtur in Deum, ipsos excœcantem & obdurantem, transscribi, *Joh.* 12.39. ex *Jes.* 6.9.

Resp. Ita est, sed absque contagione ullius culpæ Divinæ, quia obduratio illa describitur, ut pœna Dei, ceu justi Judicis, quâ ultus est eorum malitiam atque ingratitudinem, quæ proxima causa fuit indurationis.

Quæst. VII. An nullus credentium in Christum perire possit? ex *vers.* 33. *Quisquis credit in eum non pudefiet. Rat. dub.* Quia alibi *primores multi* dicuntur *credidisse in Christum*, qui tamen noluerint eum palàm confiteri, *ne redderentur ἀποσυνάγωγοι, gloriam Hominum potiùs, quàm Dei diligentes, Joh.* 12. 42,43. de quorum salute vix videatur esse aliquid sperandum.

Resp. 1. Si perierunt isti, non habuerunt fidem *salvificam*, quæ finaliter & totaliter à confessione separari nequit, *Rom.* 10.10. quum fieri nequeat, quin fides hæc in corde accensa flammas proferat. *Historica* ergo fuerit hæc, quæ electis & reprobis communis est. Nec obstat phrasis, quâ dicuntur *credidisse εἰς αὐτὸν, in Christum*: cùm Hebræis phrases hæ sint promiscuæ, *credere in Deum*, & *credere Deo*: nam utraque per particulam ב, Beth exprimitur. Latini demùm distinctionem excogitârunt, ut *credere Deum*, sit, credere esse Deum; *credere Deo*, sit, Deum agnoscere veracem, & mente assentiri verbo ipsius; *credere in Deum*, sit, fiduciam in Deum ejusque promissiones collocare, cum ejus dilectione. Videatur Augustinus *Serm.* 181. *de Tempore. Oper. Tom. X. p. m.* 984. *& seqq.* Et ex ipso Lombardus *Lib.* 3. *Distinct.* 23. *D.*

2. Dici potest, veram quidem horum fidem fuisse, sed adhuc infirmam, impotentem, languidam, ad-instar alicujus scintillæ in corde latentis, quam ad tempus repressit infamiæ metus: quæ tamen postea suo tempore & loco emerserit, & se per publicam cõfessionem patefecerit, quod exempla testantur Nicodemi, & Josephi Arimathæensis. *Joh.* 3.2. & 7.50,51. *Matth.* 27.57. *&c. Joh.* 19.38. *&c.*



CA-

CAPVT X.

HOc Capite prosequitur Apostolus inceptam Doctrinam superiorem de Rejectione Judæorum & Adoptione Gentium. *Ordo* hic est: Sicuti *Cap. præced.* occurrerat *Objectioni*, quæ potuisset moveri contra hanc Doctrinam, petitæ à prærogativa *Gentis* Judaicæ: ita nunc *hoc Capite* diluit aliam *Objectionem*, & inanem excusationem, petitam à prærogativa *Legis*, id est, zeli illius & studii, quo Judæi ferebantur erga Legem, hincque Evangelii Doctrinam, Gratiamque in ea oblatam respuebant.

SCOPVS ergo hujus Capitis

1. *Proximus* est, adimere Judæis gloriationem Justitiæ legalis.
2. *Propinquus*, asserere & defendere Doctrinam proximè præcedentem, de Rejectione populi Judaici.
3. *Remotus*, Doctrinam superiorem de Justificatione, in superioribus Capitibus propositam, ampliùs defendere.

OCCASIO ex *vers. 31. Cap. præc.* ubi dixit Apostolus: *Judæos, consectando* Legem Justitiæ, tamen *ad justitiam non pervenisse*; idque ideò, *quia non ex fide, sed ex operibus* justificari voluerint, & *quia impegerint in lapidem offendiculi*, videlicet CHRISTVM. Hinc nunc latiùs vult id hoc Capite explicare.

PARTITIO. Potest autem commodissimè distribui hoc Caput in sequentes partes, videl. I. *Exordium*: II. *Propositionem*: III. *Confirmationem*.

I. EXORDIVM.

EXORDIVM comprehenditur his verbis:

Vers. 1. *Fratres, propensa quidem voluntas cordis & deprecatio ad Deum super Israël est ad salutem.* *Vers. 1.*

Verba continent *Insinuationem*, uti suprà quoque *Cap. 9. 1, &c. Scopus* Apostoli fuit, ut captaret benevolentiam Romanorum, & amoliretur à se omnem sinistram suspicionem.

Causa. 1. *Judæi* potuissent cogitare, Paulum ista docere & scribere ex odio & maligno aliquo erga ipsos affectu, eò quòd multas injurias & persequutiones ab ipsis sustinuisset. 2. *Gentes*, quales fue-

runt Romani, hinc potuissent offendi, & cogitare, Paulum affectu aliquo odii aut ambitionis duci, ad doctrinam istam de Rejectione Gentis suæ promulgandam. Itaque ut occurrat omnibus sinistris cogitationibus, indicat his verbis, optimo se studio ferri salutis Judæorum. Hoc Studium

I. *Indicat*, quòd videlicet

1. *Corde* suo benè ipsis velit. *Propensa*, inquit, *est voluntas cordis mei super Israël.* Addit, *ad salutem*, ut indicet, desiderio æternæ ipsorum salutis se flagrare, quod suprà longè vehementius expresserat *Cap. 9. 2.* quando *optaverat pro fratribus suis anathema fieri*, id est, separatus esse *a Christo.*

2. *Ore* pro ipsis deprecetur ad Deum, ut possent salvari.

II. *Confirmat v. 2.* dum indicat, illos exorbitare per ignorantiam, ut hinc Apostolus majore ipsos miseratione & charitate fuerit prosequutus: quæ aliis scienter & volenter, adeóq; malitiosè peccantibus & veritati resistentibus, denegari solet. Sed de hoc mox ulterius.

QVÆSTIONES, ex *Cap. X. vers. 1.*

Quæst. I. Quomodo Paulus potuerit optare salutem Judæorum, quos sciebat rejectaneos? Videtur enim voluntatem suam, quâ desideravit salutem ipsorum, opponere voluisse voluntati Dei, qui eos perire voluit.

Resp. Nulla est contrarietas. 1. Nam quod Paulus optavit, id egit ex affectu charitatis, non ex impugnatione voluntatis aut decreti Divini. 2. Idem qui potest diverso modo, respectu & fine, velle & nolle. Judæorum exitium Paulus voluit & noluit. Noluit, misertus fratrum ex affectu charitatis & desiderio salutis ipsorum. Voluit & approbavit, tanquam justitiæ Dei & gloriæ ipsius medium. Sic Augustinus docet Filium bonâ voluntate posse optare Patrem salvum & vivum, quem Deus velit mortuum. 3. Deus ipse vult & non vult mortem peccatoris. Non vult simpliciter, in quantum mors est destructio creaturæ. Vult, in quantum mors subordinatur ejus justitiæ, adeóque Deus in ea justitiam suam intuetur. Sed de hoc jam suprà aliquid monitum ad *Cap. 9. v. 2. pag. 160. Quæst. 2.*

Quæst. II. Quomodo Paulus potuerit orare pro salute Judæorum, quos sciverat & jam docuerat esse à Deo rejectos? Deprecatio hæc videtur fuisse frustranea, & instituta absque fide.

Resp. 1. Pauli oratio non intelligenda ἁπλῶς, sed κατά τι, conditionaliter, si possibile esset, & voluntas Dei ita ferret. 2. Respicit ea totum corpus Israelis, in quo fuêre non solùm reprobi & inconvertibiles, sed & electi, deinceps convertendi & salvandi. 3. Nihil est absurdi, orare etiam in specie pro iis, quos Deus vult perdere, si nobis de Dei voluntate non constet, cum orationis nostræ regula & dictamen non sit decretum Dei, aut voluntas ejus arcana; sed patefacta in Verbo, quâ præcepit orare etiã pro inimicis & infidelibus: *1. Tim. 2. 1.* quia nescimus nos ante eventum, quos Deus velit perditos.

II. PRO-

II. PROPOSITIO.

PROPOSITIO habetur verbis seqq.

Vers. 2. *Testor enim* (de) *ipsis, eos zelum Dei habere, sed non ex notitia.* Vers. 2.

א. *Summa* est: Frustrà Judæos zelum Dei, id est, Legis, obtendere, cùm zelus iste sit *ὁ κατ' ἐπίγνωσιν, non secundùm notitiam.* Verba sunt proleptica.

Objiceres quis potuisset contra Pauli doctrinam de rejectione Judæorum: Qui fieri posset, ut rejecti censeantur illi, qui zelo Dei & Legis ejus fervent?

Respondet Apostolus dupliciter.

1. Per *concessionem.* Largior, imò *testor, eos habere zelum Dei.* Intelligatur hoc rectè. Per *zelum Dei,* non intelligit zelum Divinum, aut à Deo ipsis inditum. Talis nequaquam esset improbãdus: sed zelum erga Deum. Et quis iste zelus? Zelus, quo studeant placere Deo, & zelent pro Lege ejus, ipsis à Deo concreditâ.

2. Per *distinctionem* seu limitationem, addens, *ὁ κατ' ἐπίγνωσιν.* Lutherus rectè: **mit unverstand.** Indicat sic Paulus, hunc zelum esse cœcum, ex ignorantia profectum. Non enim quivis zelus, aut bona aliqua, quam vocant, intentio, in Religionis & pietatis exercitiis est laudanda aut excusabilis: cùm nõ intentio nostra, sed Dei voluntas in Verbo patefacta debeat esse omnium actionum nostrarum regula. nisi velimus excusare & laudare Pharisæos, qui Deo voluerunt servire per *ἐθελοθρησκείαν,* quos novi hodierni Pharisæi in Papatu imitantur. *Matth. 15. 9.*

ב. *Explicat* Apostolus, quod de cœco Judæorum zelo proposuit porrò verbis seqq.

Vers. 3. *Nam ignorantes Dei justitiam, & propriam justitiam studentes constituere, justitiæ Dei non fuerunt subjecti.* Vers. 3.

Indicat, & simul probat, ignorantiam Judæis rectè à se fuisse objectam.

In rei veritate habent illi zelum cœcum, qui quærentes justitiam apud Deum, eam non inveniunt, sed potiùs justitiæ loco incurrunt in condemnationem.

Atqui tales sunt Judæi. *Ratio.*

1. Quia *justitiam Dei ignorant*, id est, eam justitiam, quæ coram Deo valet, & quâ solâ possumus coram ejus Tribunali consistere. Atque hæc est justitia fidei, seu quam fides apprehendit, sibi in Evangelio oblatam.

2. Quia arroganter & præsumptuosè τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην, *propriam justitiam studeant constituere* & stabilire: dum videlicet per propria sua bona opera, quibus putant se Legi posse abundè & perfectè satisfacere, volunt coram Deo justificari, sicque vitam æternam demereri.

Ergo reverà habent zelum cœcum, absque notitia.

Quæritur: Quæ'nam sit illa *Dei justitia*, cujus mentio fit *vers.* 4. quam Judæi ignoraverint, cui opponit Apostolus *Justitiam propriam*?

Resp. Id jam in Analysi indigitatum. *Justitia Dei* non est *Justitia*, quæ est *in Deo*, ut sic loquar, *subjectivè*, quale fuit delirium Osiandri de Justitia Dei essentiali, quâ nos justificemus: sed est Justitia, quæ est *à Deo*, & Dei donum *effectivè*, per quam possumus Deo placere, & tribunal ipsius subire. An verò hæc Justitia sit in nobis; an extra nos nobis imputata, quæri solet? Superius controversia hæc fusè fuit discussa, ad *Caput III. IV. V.* Non est, inquam, Justitia nobis *subjectivè* inhærens: *Rat.* 1. Quia opponitur inhærenti, seu propriæ justitiæ à Paulo. *Propriam* enim intelligit, quæ non solum præsupponitur esse *à nobis*, sed & *in nobis*. 2. Quia Justitia hæc inhærens est imperfecta, & multis maculis polluta ad-instar panni menstruatæ, *Jes.* 64.6. ut τὸ ἀκριβοδίκαιον Legis sustinere nequeat. 3. Quia Justitia hæc militat contra Dei gratiam, cui Scriptura justificationem nostram acceptam fert. *Rom.* 11.6. 4. Quia evacuat & cassam reddit eam Justitiam, quam Deus nobis gratificatur in Christo. *Gal.* 3.

Superest, ut dicamus, esse Justitiam *extra nos*. Vbi ea quærenda? Nullibi, nisi in Christo, qui *factus est nobis à Deo Patre justitia*. 1. *Cor.* 1.30. 2. *Cor.* 5.21. Et hinc vocatur JEHOVA *Justitia nostra*. *Jer.* 23.6. Fit autem nostra per gratiosam Dei imputationem à parte *Dei*, & per fidem à *nostra* parte. Vnde vocatur *Justitia imputata*. *Rom.* 4.3. *& seqq.* *Justitia* item *fidei ex fide in fidem*. *Rom.* 1.17. *Rat.* Quia hæc sola potest exhaurire debitum, quod à Lege nobis incumbit, propter perfectam obedientiam Christi Legi præstitam, uti patebit deinceps.

Objiciunt Pontificii, hanc non posse vocari Dei donum, quia 1. sit aliena. 2. Quia relinquat Hominem in inhærente injustitia. 3. Quia ab Homine non accipiatur: secus enim esset inhærens.

Resp. 1. Imò summum est donum Dei, quod Apostolus suprà *Cap.* 5. abundè demonstravit: & longè majus dono justitiæ inhærentis, cum hoc, ut dixi, sua habeat magna ἐπίμετρα. 2. Donat eam nobis Deus de alieno *nostri* tantum, non *sui* respectu, quia donat eam nobis in Christo Filio suo proprio & unigenito. 3. Secum trahit alterum donum *Sanctificationis*, adeóque *Justitiæ inchoatæ* quidem in hoc seculo, consummandæ verò in futuro. 4. Accipitur hoc donum manu fidei. *Rom.* 5.17. *Act.* 10.43.

III. CONFIRMATIO.

CONFIRMATIO continetur *vers.* 4. *usq. ad fin. Cap.* Eâ probat Apo-

Apostolus, Judæos non veram sectari Justitiam, adeóque meritò esse rejectaneos. *Summa* huc redit:

Illi tantùm DEI, id est, veram & salvificam justitiam sectantur; sive (phrasi Apostolicâ, *vers.3.*) *justitiæ Dei sunt subjecti*; qui nituntur CHRISTO, ejusque justitiam in Evangelio oblatam fide apprehendunt.

Atqui hoc Judæi non faciunt, dum Evangelium contemnunt, & per incredulitatem respuunt.

Sequitur ergo, eos veram & salvificam justitiam non sectari, sive, *justitiæ* DEI *non subjici*.

Major Propositio primùm probatur à *vers.4.--15.* atque ostenditur, solam Justitiam CHRISTI, in Evangelio oblatam & fide apprehensam, esse veram justitiam, per quam salvari possumus.

Minor dehinc *Propositio* demonstratur à *vers.16.* usque *ad fin.Cap.*

De utraque ergo *Propositione* agendum, & secundùm eas 1. de *Justitiæ salvificæ descriptione*: 2. de *ejusdem à Judæis rejectione*.

A. PROBATIO MAIORIS de *Justitiæ salvificæ descriptione*.

Probatio ista instituitur ab Apostolo

א. *Summatim* verbis seqq.

Vers. 4. *Nam finis Legis est* CHRISTVS, *ad justitiam cuivis credenti.* *Vers.4.*

Argumentum seu medius terminus petitur à LEGE, propter Judæos, qui de *Lege* gloriabantur contra Paulum ejusque doctrinam. Gladium hunc Paulus vult ipsis è manibus extorquere, ut proprio eos feriat gladio. Sic enim vult ratiocinari:

Illi, qui aberrant à fine Legis, frustrà zelum Legis obtrudunt.

Atqui Judæi aberrant à fine Legis, videlicet CHRISTO, dum, neglectâ justitiâ fidei seu CHRISTI, quæ in Lege intenditur, conantur justitiam propriam, quam Lex non intendit, quamque ex Lege assequi nequeunt, constituere.

Ergo Judæi frustrà Legis zelum obtendunt.

Sed pensitanda veniunt singula verba.

1. Quid LEGIS nomine intelligatur. Lex tota, *ceremonialis, forensis, moralis*. quia Judæi justitiam in tota Lege quærebant, prout quoque tota eis à Deo fuerat proposita.

II. Quo ſenſu CHRISTVS vocetur τέλ☉ ꝉ νόμυ. *finis Legis.* In *Quæſtionibus* de hoc plus monebo. Nunc hoc ſufficiat, Chriſtum vocari *Legis finem*, quia Chriſtus *ſcopus* eſt, ad quem Lex ſecundùm intentionem Dei, tanquam Legislatoris, collimat. Data enim eſt, per *præcepta* quidem, ad patefaciendas Hominum transgreſſiones: ſuprà *Cap.3.v.19.& 7.v.7.&c.* per *promiſſiones* verò & *comminationes*, ad oſtendendam Hominum ſummam infelicitatem & condemnationem, hincque ad quærendum alibi miſeriæ remedium, quàm in propria juſtitia, quæ eſſet Legi conformis, videlicet apud CHRISTVM: quo ſenſu alibi vocatur *Pædagogus ad Chriſtum. Gal.3.24.*

Magni CALVINI gloſſam haud piget heic annotare: *Occurrit Apoſtolus Objectioni, quæ contrà moveri poterat. Videri enim poterant Judæi rectam viam tenuiſſe, quia in Legis juſtitiam incubuerant: hanc falſam opinionem refellere neceſſe habuit, quod hic facit. Indicat enim, Legis præpoſterum interpretem eſſe, qui per ejus opera juſtificari quærit: quoniam in hoc Lex data eſt, quò nos ad aliam juſtitiam manuduceret. imò quicquid doceat Lex, quicquid præcipiat, quicquid promittat, ſemper Chriſtum habet pro ſcopo: ergo in ipſum dirigendæ ſunt omnes partes. Id autem fieri nequit, quin omni juſtitiâ ſpoliati, peccati agnitione confuſi, ab ipſo uno juſtitiam gratuitam petamus. Vnde ſequitur, vitioſum Legis abuſum meritò in Judæis reprehendi, qui ſibi ex adminiculo perperàm obſtaculum fecerunt: imò Legem Dei turpiter mutilâſſe apparet, qui rejectâ ejus animâ mortuum literæ corpus arripuerint, &c.*

III. Quorſum CHRISTVS ſit *finis Legis. Ad juſtitiam,* inquit Apoſtolus, id eſt, ad *Juſtificationem*, metalepticè: quia nimirum Lex in ſolo Chriſto adimpletur, per ſatisfactionem præſtitam Legis *comminationi* per paſſiones ipſius & mortem; & Legis *mandatis* per conſummatam ipſius in toto vitæ curriculo obedientiam uſq; ad mortem crucis. *Phil.2.8.*

IV. Quorum bono. *Cuivis credenti,* ait Apoſtolus. Sic

1. Judæis criſtam deprimit, ne Gentis ſuæ prærogativâ porrò inſoleſcant; ſed cogitent, Gentiles hactenus in pari ſtatu gratiæ cum ipſis verſari.
2. Gratiæ univerſalitatem reſtringit ad fideles aut credentes, ne videretur CHRISTVM facere indifferenter Salvatorem omnium & ſingulorum Hominum. Indicare ergo voluit, Chriſtum datum eſſe quidem ad juſtitiam non ſolùm Judæis, ſed & Gentibus: aſt ſub conditione fidei, ut hinc ſatis pateat, Chriſtum non eſſe

esse omnium & singulorum, sed tantùm credentium Salvatorem. quod vel ex hoc unico argumento contra omnes eos, qui solent πελαγιανίζειν, evinci potest, quia Christus datus est non solum, ut sit finis Legis, & in ipso, loco videlicet nostro, justitia Legis compleatur; sed &, ut nos ad fidem adducamur, & hâc ratione servemur. Hic quoq; finis est & fructus missionis Christi in hunc Mundũ, & Redemptionis nobis ab ipso partę.

2. *Particulatim*, μερικῶς Apostolus duo illa λήμματα, quæ habentur *v.4.* probat *v.5--15.* videlicet, *Vers.5--15.*

α. Finem Legis esse CHRISTVM *ad justitiam*: sive, quod eódem recidit, Justitiam, quæ à Deo in Lege intenditur, esse Justitiam Christi, seu fidei, quæ in Evangelio patefit.

β. Hanc Justitiam esse communem omnibus credentibus in Christum, citra προσωποληψίαν, sive discrimen personarum aut Gentium. Vtrumque enim Judæi negabant.

Probatio primi Lemmatis.

Continetur ea *vers.5--10.* *Vers.5--10.*

Vers.5. *Moses enim describit justitiã, quæ est ex Lege, dicens: Qui præstiterit ea, vivet per illa.* Levit.18.5.

Vers.6. *At quæ ex fide est justitia, ita dicit: Ne dixeris in corde tuo; quis ascendet in Cælum? hoc est Christum ex alto deducere.* Deut.30.12,13.

Vers.7. *Aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere.*

Vers.8. *Sed quid dicit? Prope te verbum est in ore tuo & in corde tuo. Hoc est verbum illud fidei, quod prædicamus.* Deut.30.14.

Vers.9. (Nempe) *si professus fueris ore tuo, Dominum IESVM, & credideris in corde tuo, quòd Deus eum suscitavit ex mortuis, servaberis.*

Vers.10. *Nam corde creditur ad justitiam, fit autem ore professio ad salutem.*

Probatio Apostolica, his verbis comprehensa, potest includi huic Syllogismo:

Ea demùm est vera Legis justitia, sive, quæ à Deo in Lege intenditur; per quam Legi satisfit, & præcepta Legis perfectè adimplentur, ad vitam æternam consequendam.

Atqui

Atqui talis est Justitia Christi, in Evangelio patefacta, & per fidem apprehensa.

Ergo hæc ipsa est vera Justitia, & per consequens salvifica.

Vers.5. 1. *Major* habetur *vers.5.* approbatur testimonio Mosaico ex *Levit.18.5. Si observabitis statuta mea & judicia mea, homo, qui fecerit ea, vivet in eis: ego* (sum) *JEHOVA.*

Vers.6,7,8. 2. *Minor* habetur *vers.6,7,8.* ubi docet Apostolus perfectam satisfactionem Legis nõ alibi, quàm in *Evangelio*, sive in CHRISTO, quem Evangelium annunciat, inveniri.

a. *Non alibi.* Id docet Apostolus *v.6,7.* iterum ex Mose, *Deut.30.11. Praeceptum hoc, quod ego praecipio tibi hodiè, occultum non est à te, neq; longinquum.* Vers.12. *Non est in cælis, ut dicas, quis ascendit nobis in cælum, qui sumens* (afferat) *illud nobis, & enunciet nobis illud, ut faciamus illud?* Vers.13. *Neq; est ultra mare, ut dicas, quis transibit nobis trans mare, qui sumens illud* (afferat) *nobis, & enunciet nobis illud, ut faciamus illud?* Sensus est, paucis.

Quis ascendet in Cœlum? videlicet ad gratiam Dei & reconciliationem apud eum obtinendam & promerendam. Nemo, vult dicere Apostolus, nullus Hominum, sicut alibi Christus dicit: *Nullus ascendit in cælum, nisi qui descendit è cælo. Joh.3.13. Rat.* Quia nullus Hominum potest mandata Legis perfectè adimplere, & hâc ratione cœlum occupare. sicut olim Constãtinus Magnus Acesio Novatiano dixerat: *Erigito tibi scalam, Acesi, & solus in cœlum ascendito.* Socrat. *Histor.Eccles.lib.1.cap.7.* Hoc foret, *Christum ex alto reducere.* id est, exinanire 1. Christi *incarnationem*, per quam è cœlo semel descendit in terras, non quidem mutatione loci, sed assumptione terrenæ naturæ Humanæ, ut in ea & per eam posset pro nobis Legi satisfacere. 2. Ejusdem *ascensionem in Cœlum*, quæ documentum & pignus fuit evidentissimum satisfactionis Legi à Christo pro nobis aut loco nostro præstitæ. Pergit Apostolus:

Quis descendet in Abyssum? Sensus est: Quis, cùm omnes simus Legis trãsgressores, poterit se demergere in abyssum iræ & maledictionis Divinæ, & pœnas peccatis nostris debitas exolvere, ex profunditate hac iræ atq; judicii Dei tremendi, non solùm suo, sed & aliorum Homi-

Hominum bono & loco, iterum emergere, & sic satisfacere Legi & justitiæ Dei? Nemo, vult iterum dicere Apostolus. Hoc foret, *Christum ex mortuis reducere*, id est, Christi mortem ejusque infinitam virtutem exinanire, per quam nos redemit ab ira Dei, Legis maledictione, & justitiæ Dei nostro loco plenè satisfecit.

b. *Sed in solo Evangelio* inveniri justitiam prædictam, Paulus iterum *v.8.* evincit, ex loco *Deut.30.14. Sed propinquum est tibi verbum hoc valdè, in ore tuo & in animo tuo, ad faciendum illud.* Quibus verbis 1. *Moses* expressè indicat, justitiam in Verbo esse quærendam. 2. *Paulus* indicat, hoc Verbum esse *Verbum fidei*, quod prædicatur, uno verbo, *EVANGELIVM.*

Quâ sinceritate Apostolus Mosis verba recitaverit & ad suum scopum accomodaverit, dicam mox in *Quæstionibus.*

3. *Conclusio* tandem Syllogismi nuper propositi digeritur ab Apostolo *v.9,10.* nempe, Justitiam Fidei esse solam veram & salvificam Justitiam, sive, quod idem est, eos solos, qui credunt in IESVM CHRISTVM, coram Deo justificari & servari. Hoc est, quod dicit *v.9.b. Si credideris, servaberis.* *Vers.9.10.*

Notandum autem, Apostolum *Fidei* justificanti annectere *Confessionem. Ibid.a. Si confessus fueris ore, &c.* Διότι. Vt meliùs explicet & applicet locum Mosaicum, *vers.præced.8.* allegatum, in quo de verbo *oris* & *cordis* actum est. Hoc *Verbum*, quum, ut dixi, sit *Evangelium*, Apostolus ex eo,

ℵ. *Proponendo*, exponit *Officium* omnium justificandorum, cujus indicat

א. *Modum.* Officium scilicet tùm

a. *Oris*, utì est *Confessio Christi. vers.9.a. Si professus fueris ore tuo Dominum Jesum.* Exigitur ab Apostolo 1. Confessio, ne fides in corde latens sit muta, & veluti ignis absque calore & flamma, ut Calvinus loquitur. 2. Confessio de Persona Christi, quòd sit *IESVS*, id est, *Salvator.* 3. Hinc DOMINI, Κυρίου, quoque nomen ingeritur, cui respondet in origine Hebraica vox IEHOVAH, ut notum est.

b. *Cordis*, videlicet *Fides in Christum. vers.9.b. &*

credideris in corde tuo, quòd Deus eum suscitavit ex mortuis. Observentur seqq.

aa. *Nomen Fidei. Si credideris.* Non est tantùm nomen *notitia*, quæ cadit quoque in Diabolos & reprobos; sed & *fiducia.* quod designat vox *Cordis*: ne fides tantùm videatur conquiescere in speculatione *Mentis*. Non tantùm strictura *Intellectus*, sed potissimùm affectu intimo *Voluntatis* & *Cordis*. Christus fide apprehenditur.

bb. *Objectum Fidei.* Resurrectio ex mortuis. *v.9.b. Si credideris, quòd Deus suscitavit eum ex mortuis.* Observētur seqq. 1. CHRISTUM dici *resuscitatum*, ut de ejus resurrectione non possit dubitari, absque periculo salutis nostræ. 2. *A Deo* (Patre scilicet, nomine *hypostaticè*, & simul *œconomicè*, in ordine ad *opera Dei*, quæ vocant, *ad extra*, usurpato) *suscitatum*. 3. *Ex mortuis suscitatum*, ut sciamus, Christum eundem, qui mortuus fuerat, & cum eodem corpore secundùm quod mortuus fuerat, & sepulcro illatus, suscitatum fuisse. ad summam nostram consolationem, & fidei ac spei de Resurrectione quoq; Carnis nostræ confirmationem.

β. *Fructum*: uno verbo, σωθήσῃ, *servaberis*.

3. *Confirmando* ostendit utriusque tùm *Fidei*, tùm *Confessionis* necessitatem, sed ὕστερον πρότερον, *vers.10.* quia inverso ordine docet necessitatem

α. *Fidei ad justitiam: Corde creditur ad justitiam.* FIDEI nomine intelligit fiduciam in Christo repositam, quâ apprehenditur ejus justitia in Evangelio patefacta. Hinc IVSTITIÆ nomine intelligit metonymicè ipsam *Justificationem*, utì sæpè antehàc. Sic ergo nobis *Fidem* proponit, tanquam causam *organicam* nostræ Justificationis, non tanquam *materialem*, utì Spiritus erronei docent. Non enim vult, nostrum *Credere* esse ipsam justitiam, quâ justificemur, sed tendere ad justitiam, quæ nulla alia est, quàm in Christo, qui solus est Justitia nostra. *Jerem.23.6. 1.Cor.1.30. 2.Cor.5.v.ult.*

β. *Confessionis ad salutem.* Observ. Non dici hoc, quasi *Confessio* esset aliqua salutis causa meritoria, aut quòd plus efficaciter ad salutem consequendam esset situm in *Confessione*

sione Oris, quàm in *fide Cordis*: sed ut insinuaretur, quæ & qualis *Fides* justificans & salvificans esse debeat: videlicet *Fides*, quæ se prodit per *confessionem oris*, & per exercitium pietatis & bonorum operum. Sed de his monebo mox in *Quæstionibus*.

QVÆSTIONES,
ex Cap. X. vers. 4--10.

Quæst. I. Quo sensu *vers. 4.* CHRISTUS vocetur τέλος τοῦ νόμου?

Resp. 1. Potest quidem dici τέλος *Legis* CHRISTUS, quatenus est Legis τελείωσις aut τελείωσις, πλήρωμα, *complementum*. Unde Erasmus interpretatur *perfectionem*. Sic τέλος ἔχειν apud *Platonem de Legib.* occurrit pro τέλειος, *perfectus*. Nullibi enim quàm in Christo reperitur perfecta Legis obedientia, cùm omnes Homines subjaceant peccato, neq; vel sanctissimi, propter peccatum inhabitans, *Rom. 7. 20.* possint culmen perfectionis Legis attingere. ut hinc nemo per Legē justificari possit, quod suprà Apostolus *Capp. 1, 2, 3, 4.* plus satis probatum dedit.

2. Qui putant, CHRISTUM vocari τέλος *Legis*, quòd finem Legi imposuerit, videntur mihi deviare à scopo Apostoli. Neque enim is vult ostendere, propterea Judæos Dei justitiam ignorare, & propriam suam justitiam constituere, hincque justitiâ verâ excidere; quia Christus suo adventu Legem sustulerit, cùm alibi dixerit Christus, *se non venisse, ut Legem dissolveret, sed impleret, Matth. 5. 17.* sed potiùs, quòd per Legem veluti manuducamur aliò, scilicet ad CHRISTUM, ut in ipsò quæramus per fidem plenam Legis satisfactionem.

3. Puto ergo, Apostolum per τέλος *Legis* intelligere τὸ οὗ ἕνεκα, sive *scopum* Legis, ad quem ea ex Dei Legislatoris intentione collimat. Est quidem Legis hic finis per se, justificari obedientes: sed quia hunc assequi nequit *propter infirmitatem carnis*, ut suprà fuerat loquutus *Cap. 8. v. 3.* ideò alter finis ei propositus est, ut Homines de peccatis convictos, atq; hinc condemnationis reatu obrutos, compellat alibi satisfactionem quærere scilicet apud CHRISTUM: quo sensu Lex vocatur *Pædagogus ad Christum, Galat. 3. 24.* quanquam CHRISTUS directe Legis ceremonialis propterea quoq; dici possit τέλος, seu *scopus*, quia ea CHRISTUM præfigurabat.

Quæst. II. Quomodo Paulus *vers. 4. & seqq.* possit ex Lege probare justitiam fidei, sive Evangelicam? *Rat. dub.* Quia Lex videtur contraria esse Evangelio, & justitia Legis justitiæ Evangelicæ. Lex enim *operanti*, Evangelium autem *credenti* absque operibus justitiam assignat, uti etiam suprà dixerat *Rom. 4. v. 4, 5, 6.* Imò Apostolus *vers. 3. præced.* indicavit, propterea Judæos justitiâ Dei excidisse, quòd justitiam quæsiverint in Lege.

Resp. Est tantùm ἐναντιοφανὲς. Neque enim *Lex* & *Evangelium* contrariantur, cùm unum habeant authorem Deum, & Lex ad Evangelium & CHRISTUM, ceu finem (*vers. 4.*) ordinetur, uti dictum. Equidem verum est, non idem dicere Legem & Evangelium, cùm illa obedientiam, hæc fidem exigat. Hæc tamen non sunt contraria, sed diversa tantùm, imò potiùs amicè inter se conveniunt. Quid enim, quum dicit Evangelium: *Crede, & servaberis*; aliud dicit, quàm, crede, CHRISTUM tuo loco Legi satisfecisse? Hinc *Justitia* quoque *Legalis* & *Evangelica* non pugnant, nisi *nostri* respectu, quia ἀδύνατόν est, nos simul per fidem in CHRISTUM, & per propriam obedientiam

Legis justificari. CHRISTI autem respectu non pugnant. Nam justitia CHRISTI, per quam justificamur, est ipsa Legis justitia. Hinc dici potest, nos justificari per Legem, ast non *in nobis*, aut *per nos*; sed *in* CHRISTO, per imputationem justitiæ ejus, quæ Legi satisfecit, obediendo Legis mandatis, patiendo & moriendo pro nobis.

Quæst. III. Quid intelligat Apostolus *vers.* 4. per *Justitiam*, quum dicit, CHRISTUM *esse finem Legis ad justitiam?*

Resp. 1. Papistæ intelligunt *Justitiam inhærentem*, quam trahamus à CHRISTO, per quam etiam volunt nos justificari. Ast prorsus præter, imò contra Apostoli mentem. Justitia enim inhærens, est ea justitia, quam Lex exigit, cujus postea meminit Paulus *vers.* 5. *Qui præstiterit ea*, scilicet mandata, *vivet per ea*. Atqui Apostolus hanc justitiam opponit justitiæ fidei, *vers.* 5, 6. tanquam se mutuò tollentia, videl. in Homine. 2. Itaque per *Justitiam* intelligit Apostolus *justitiam fidei*, sive eam, quam fides apprehendit in CHRISTO, quæque nobis à Deo per fidem imputatur, de qua etiam suprà egerat *Cap.* 4. *v.* 3, 4, 5. Hinc *vers. hoc* 4. justitiam hanc assignat non *operanti*, sed *credenti*.

Quæst. IV. Cur Apostolus *vers.* 7, 8. ad *Justitiam fidei*, tanquam *Justitiæ legali* oppositam, describendam alleget locum Mosaicum *Deut.* 30. 12, 13, 14?

Rat. dubit. Quia Moses ibi de *Verbo Legis*, non *Evangelii*, videtur disserere: cùm scopum habeat, Israëlitas exstimulare ad Legis observantiam.

Resp. I. Sunt, qui dicant, Apostolum noluisse allegare verba Mosis, præsertim, quia verba Mosis non αὐτολεξεὶ, sed cum quadam partim diminutione, partim additione, transmutavit: sed tantùm alludere ad locum Mosaicum, & quæ Moses de *Verbo Legis*, suo interim sensu dicit, accommodare ad *Verbum Evangelii*. Ast 1. Apostolus expressè *vers.* 8. dicit, Verbum Mosis, *Deuter.* 30. 14. esse *Verbum Fidei*, quod prædicet, adeóque Evangelium. 2. Proclive fuisset Judæis, tanquam Justitiariis Legis, tergiversari, & Apostolum coarguere alicujus ψευδεπιγραφίας & detorsionis verborum Mosis.

II. Dicendum ergo, locum Mosaicum non tantùm de *Verbo Legis* intelligendum, sed simul quoque de *Verbo Evangelii*: 1. Cùm Doctrina Mosis nō tantùm fuerit *Legalis*, sed & *Evangelica*, passim Evangelicis promissionibus respersa. 2. Quia hoc ipso in loco Moses intendit quidem & quærit παρακλητικῶς apud Israëlitas obedientiam Legis. Sed quomodo? *Argumentis* ductis α. ab *æquitate*, propter Dei Legislatoris erga ipsos benevolentiam, quæ in sola Lege separatim ab Evangelio non potest inveniri. β. A *facilitate*, quia Verbum, quod dicat, sit propinquum non solùm in *mente* & *ore* ipsorum, sed & in *corde*, quorum postremum de Lege, seorsum à CHRISTO & Evangelio considerata, nequaquam dici potuit. Lex enim extra CHRISTUM & Evangelium in nullius Hominis corde est. γ. Ab *utilitate*, quia verbi Mosis populo prædicati finis fuit vita Israëlitarum, & salus (*Deut.* 30. 15.) quæ in Lege, extra Evangelium inveniri non potest, cùm Lex, Evangelio nudata, sit tantùm *ministerium mortis*, 2. *Cor.* 3. 7. Relinquitur ergo, hoc Mosis verbum esse verbum Evangelii. 3. Adde verò nunc, esse tale, non *exclusivè* prorsus ad verbum Legis, sed *inclusivè*. Sicut enim Lex non tollit Evangelium, ita nec Evangelium tollit Legem, imò stabilit Legem, non solùm in CHRISTO, sed etiam in nobis, quoad inchoatam obedientiam, quanquam non justificantem, propter ejus ἀτέλειαν & defectus.

Quæst. V. An liceat ex verbis Mosis, & simul Pauli, quæ recitantur *vers.* 8. colligere liberum Hominis arbitrium in Statu peccati?

Resp. Ita quidem sentiunt Pontificii, sed præter omnem Apostoli mentem & scopum. *Rationes* sunt evidentissimæ. 1. Quia Apostolus suprà liberum Hominis arbitrium

trium prorsus destruxit doctrinâ suâ de Hominum omnium & singulorum non solùm ἀδυναμία & impotentiâ; sed & ἀντιστάσει & resistentiâ, ad Legem servandam. 2. Hinc non potest dici, *Verbum Legis* esse Homini possibile. Quanquam enim possit dici, esse *propinquum* in ipsius mente aut intellectu & in ore ipsius, uti quodammodò fuerat Judæis olim; tamen non potest dici, fuisse *propinquum in corde*, uti loquuntur Moses & Paulus: quia Legem nullus Hominum observare potest. 3. Quia *Verbum Legis* non potest aliter esse propinquum cordi nostro, nisi per *Verbum Evangelii*. Evidentissimæ iterum sunt rationes.

α. Quia Verbum Evangelii dicit, Legem in CHRISTO pro nobis, id est, loco & bono nostro, adimpletam; hincque adeò perfectam Legis obedientiam, quâ CHRISTUS ei satisfecit, nobis imputatam.

β. Quia Verbum Evangelii nos, propositâ Dei paternâ benevolentiâ & amore, non ad-instar Legis, tanquam severi alicujus & rigidi exactoris; sed tanquam suavis monitoris, invitat ad obedientiam Legis, id est, ad Vitæ sanctimoniam, Legi consentaneam.

γ. Quia fundatur ab Apostolo obedientia Legis, quam ei exhibere possumus, in *Fide*. Ideò mentionem facit *Verbi fidei, vers.* 8. & satis patet, non solùm Paulum, sed & Mosen, non in respectu ad liberum Arbitrium, sed in respectu ad Evangelicam Dei gratiam, Israelitas ad Legis obedientiam fuisse cohortatum.

δ. Quia nec Verbi à Deo obtinendi, absque quo nulla est credendi facultas, *vers.* 14, 15. neque credendi ulla est in Homine virtus. cùm fides sit purum putum Dei donum, adeóque gratuitum, ex singulari ejus erga electos suos amore profectum. *Tit.* 1. 1. *Act.* 13. 48. *Matth.* 16. 17.

ε. Quia ipsum hoc *Verbum fidei*, sive *Evangelium*, est medium unicum ordinarium, per quod Homo efficaciter dirigitur ad obedientiam Legis. *Ratio* hæc est: quia mediante Evangelio accipit Spiritum CHRISTI, à quo non avertitur à Lege, sed trahitur ad illius observantiam, quod superiùs ex *Cap.* 7. pluribus fuit expositum.

Quæst. VI. Cur Apostolus *vers.* 9. *Confessionem oris* præponat *fidei cordis*, cùm illa hujus sit effectum?

Resp. 1. Propter accommodationem loci Mosaici, *Deut.* 30. *v.* 14. ad suum scopum, in quo loco *oris* primùm, subinde *cordis* fit mentio. 2. Quia confessio oris, est fidei cordis indicium.

Quæst. VII. Cur in descriptione confessionis de CHRISTO (*vers.* 9.) tantùm fiat mentio *Resurrectionis*, non quoque mortis? An ergo mors CHRISTI ad salutem minùs conducat?

Resp. 1. Quia confessio *Resurrectionis* præsupponit confessionē mortis. 2. Quia absq; Resurrectione mors CHRISTI nihil profuisset, sed demùm CHRISTI mors, per quam nobis salutem est promeritus, suum complementū & efficaciā in CHRISTI resurrectione est consequuta. quo sensu Apostolus suprà *Rom.* 4. *v. ult.* dixerat, CHRISTUM *traditum fuisse*, scilicet in mortem, *propter nostra peccata, & resuscitatum ad nostrā justificationem.*

Quæst. VIII. Cur Patri adscribatur CHRISTI resurrectio? An illa non fuerit quoque opus Filii, juxta loca *Joh.* 2. 19. & 10. 18. & *Rom.* 1. 4.

Resp. 1. Cùm opera Dei ad extra, ut vocant, sint indivisa, peræquè competunt Filio & Patri. *Joh.* 5. 19. 2. Et tamen secundùm œconomiam personalem, in ordine

operum Dei essentialium, sæpè ad Patris personam aliquid restringitur, tanquam ad primum principium, v.g. quum in Symbolo *Deus Pater* describitur esse *omnipotens Creator Cœli & Terræ*, non exclusivè ad Filium, sed *œconomicè* tanquam primum in Deitate principium, operans à se-ipso, uti Filius operatur à Patre, & Spiritus S. ab utroq;. 3. Secundùm œconomiam officii Mediatorii CHRISTVS etiam sua opera & actiones solitus est ad Patrem, tanquam mittentem, referre. Non ergo mirum, Paulum resurrectionem CHRISTI Deo Patri adscribere: quæ tamen alio respectu CHRISTO ipsi competit, tanquam Dei Filio, ejusdem cum Patre potentiæ, uti loca citata insinuant.

Quæst. IX. An omnes, qui confitentur, IESVM esse CHRISTVM, & credunt ejus ex mortuis resuscitationem, salventur? ex *vers.* 9.
Rat. dubit. Quia fides hæc & confessio deprehenditur etiam apud multos reprobos olim damnandos, *Matth.* 7.21. *&c. Joh.* 2.23,24. imò Diabolos ipsos. *Marc.* 1.24. *&* 3.11.

Resp. Distinguendum venit inter Fidei & Confessionis *objectum & modum*. In *objecto* convenit Fides historica, reprobis & Diabolis cum electis communis. In *modo* est differentia. Fides *Diabolorum*, quam habent de CHRISTO, hæret tantum in intellectu ipsorum & notitia; non penetrat ad voluntatem. Nulla apud ipsos fiducia, hinc nulla charitas, spes, sed trepidatio, desperatio. Confessio, quæ in Evangelica Historia occurrit, est partim extorta, partim Sinonia, ad invidiam CHRISTO apud Adversarios conflandam. Hinc Silentium Diabolis impositum. *Marc.* 1.25. *&* 3.12. *Reproborum* fides vix egreditur eorum cerebrum & mentem. Atqui heic agitur de *Fide*, id est, de fiducia *Cordis*. Quod si aliquid pertingat ad Cor, est tantùm superficiarium, absque radice, ideóq; evanidum. Hinc Fides talis πρόσκαιρος est, cujus Scriptura meminit *Matth.* 13.21. *Heb.* 6.4,5,6. Confessio hinc Fidei non est majoris pretii. Vel enim est hypocritica & mendax, dissonans à corde; vel est inconstans, & propter defectum radicalis fidei in corde, inclinat ad apostasiam & abnegationem CHRISTI.

Quæst. X. Cur dicat Apostolus *vers.* 10. *corde credi ad justitiam: confessionem* autem *fieri ore ad salutem?* An justitia seorsum fidei cordis, & salus seorsum confessioni competat? Item: An non tantùm fide, (quod Apostolus suprà prolixè contenderat) sed etiam confessione oris salvemur?

Resp. 1. Sicut Apostolus noluit fidem cordis à confessione oris separare; ita nec justitiam fidei à salute, quæ ab ista justitia dependet. 2. Fidei justitiam assignat non nisi organicè, uti sæpius & in analysi dictum. 3. Quòd salutem refert ad confessionem oris, non ideò fit, ut vel plus det confessioni, quàm fidei; aut ut confessionem faciat salutis meritoriam: sed α. ut ostendat, quænam sit vera justificans & salvifica fides, quæ scilicet non tantùm delitescit in corde, sed emergit per oris confessionem, sicut ignis verus esse judicatur, qui se patefacit per flammam atque calorem. β. Vt doceat, nos non tantùm intùs credendo, sed & extùs fidem profitendo, à Deo perduci ad salutem.

Probatio secundi Lemmatis.

Vnum demonstravit Apostolus contra Judæos, quòd Justitia fidei sive CHRISTI sola sit vera justitia, quæ valeat coram Deo. Jam de *Subjecto* quoque, sive de iis, ad quos ista Justitia pertineat, controversia expedienda restabat. Judæi enim putabant, sibi solis deberi justi-

juſtitiæ prærogativam apud Deum. Hinc 1. Gentes habebant pro maledictis & damnatis. 2. Pauli prædicationem & Apoſtolatum inter Gentes execrabantur. Duo ergo nunc porrò ſibi demonſtranda proponit:

Primò; Juſtitiam fidei communem eſſe omnibus credentibus, citra diſcrimen Nationum.

Secundò; Eandem juſtitiã propterea meritò à ſe & reliquis Apoſtolis Gentibus evangelizari.

ℵ. *Communitatem juſtitiæ fidei* Apoſtolus probat verbis ſeqq.

Verſ.11. *Dicit enim Scriptura: Quisquis credit in eum, non pudefiet.*

Verſ.12. *Non enim eſt diſtinctio vel Judæi, vel Græci. Nam idem* (eſt) *Dominus omnium, dives in quosvis, à quibus invocatur.*

Verſ.13. *Quisquis enim invocaverit Nomen Domini, ſervabitur.*

Verſ.14.a. *Quomodo igitur invocabunt eum, in quem non crediderunt?*

Probationem Apoſtolus deſumit

I. A *Teſtimonio* Scripturæ, *v.11.* Locus occurrit *Jeſ.28.16. Qui credit, non præfeſtinabit.* Eſt ille ipſe locus, quem priùs quoq; *Cap.9.33.* citaverat. Vbi obſervetur, Apoſtolum 1. ex hoc loco velle probare juſtitiam fidei, de qua egerat in verbis præcedentibus, quod particula γὰρ inſinuat. 2. Velle quoque probare *ſubjecti*, id eſt, credentium univerſalitatem, quod quidem reſtabat probandum ex *v.4.* Ideò Apoſtolus locum Eſajæ interpretatur univerſaliter: *πᾶς ὁ πιστεύων, &c. Omnis aut quisquis credit in eum, non pudefiet*, cujuscunque videlicet ſit Gentis, Nationis aut Regionis. Atque id confeſtim *v.12.a.* expreſsè declarat: *Non enim eſt diſtinctio vel Judæi, vel Græci.* uti ſuprà quoque, quum de peccato egerat, diſcrimen omne inter Judæos & Græcos ſuſtulerat, *Cap.3.9.* Verſ.11. Verſ.12.

II. A *Ratione* gemina, deſumpta à conſideratione

1. DEI. *v.12.b.* videlicet ejus tùm

α. *Dominii* generalis in quosvis. *Nam idem*, inquit, *eſt Dominus omnium.* Hoc *Dominium* de Deo accipiendum non

non tantùm *creationis*, ſed & *redemptionis* reſpectu, ſicut alibi, *Eph.4.5. 1.Cor.6.20.*

β. Miſerationis erga quosvis. Ideò addit *v.12.c. dives in quosvis*, ne videlicet Dei bonitas, gratia & miſericordia videatur eſſe reſtricta tantùm ad Judæos.

2. NOSTRI, videlicet *Invocationis Dei*, tanquam fructûs & effectûs fidei. Hoc argumentum Apoſtolus

α. Proponit v.12.d. Dives in quosvis, à quibus invocatur. Sic indicat, Deum velle à quibusvis invocari, non ſolùm Judæis, ſed & Gentibus, & quidem cum ſpe & exſpectatione gratiæ ejus & miſericordiæ.

Verſ.13. *β. Probat v.13.* teſtimonio *Joëlis cap.2.32.* ubi ſic legitur, *Eritq;* (ut) *quisquis invocaverit nomen Jehovæ, eripiat ſe.*

Verſ.14.a. *γ. Conſequutionem* Apoſtolus probat, *v.14.a. Quomodo igitur invocabunt eum, in quem non crediderunt?*

Syllogiſmus hic eſt:

Quibuscunque competit invocatio, iis competit quoque juſtitia & ſalus.

Atqui omnibus ſeu quibusvis competit invocatio.

Ergo iis quoque competit juſtitia & ſalus, & per conſequens iis quoque competit juſtitia fidei. quod cōſequens Apoſtolus evincit ex individuo nexu invocationis & fidei, tanquam effectûs & cauſæ.

3. Ex communitate fidei & invocationis neceſſariò ſequitur *communitas Prædicationis* & *Vocationis*, de qua jam porrò Apoſtolus.

Verſ.14.b. *Quomodo autem credent* (ei), *de quo non audierint? quomodo autem audient absque prædicante?*

Verſ.15. *Quomodo autem prædicabunt, niſi miſſi fuerint, ſicut ſcriptum eſt: Quàm ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!*

Apoſtolus his verbis ſingulari artificio & prudentiâ vult ſimul occurrere novæ Judæorum, quæ moveri poterat, objectioni. Cur Paulus, qui ſit Judæus, vadat ad Gentes? Nam ſi maximè vera ſit, quam propoſuit, doctrina de Juſtificatione fidei, eam tamen tantùm inter Judæos promulgandam fuiſſe, nequaquam autem inter Gentes,

tes, tanquam *alienigenas & extraneas à promissionibus & fœdere* DEI. *Ephes. 2. v. 12.*

Apostolus ergo, postquàm *unum* demonstravit, videlicet *universalitatem justitiæ fidei*, nunc *alterum* quoque vult evincere, videlicet *universalitatem prædicationis Evangelicæ*, ad declinandum omne Judæorum & Romanorum offendiculum. Id verò præstat

I. *Rationibus*, quas mutuatur ex verbis præcedentibus, per gradationem: quia *fides fit ex auditu, auditus ex prædicatione, prædicatio ex missione*. Ratiocinatio Apostoli huc redit: *Vers. 14. b. & 15.*

Iis ab Apostolis non est deneganda Evangelii prædicatio, quibus competit fides.

Atqui non solùm Judæis, sed & Gentibus fides competit, quod Apostolus *v. 13. & 14. a.* comprobaverat ex fidei effecto, videlicet Invocatione, quæ communis est omnibus.

Ergo iis non est deneganda Evangelii prædicatio.

Major probatur hoc *Prosyllogismo*.

Qui non possunt ad fidem pervenire, nisi per fidei ordinaria media, utì est à parte credentium Auditus Evangelii; à parte prædicantium Evangelium, legitima missio: iis ab Apostolis non est deneganda Evangelii prædicatio.

Atqui quibus fides competit, non possunt ad eam pervenire, nisi per dicta media.

Ergo iis ab Apostolis non est deneganda Evangelii prædicatio. Ita Apostoli Sorites venit resolvendus.

II. *Testimoniis* S. Scripturæ, *v. 15. b.* quibus Apostolus confirmat, Apostolos à Deo missos ad prædicandum Evangelium, tanquam *verbum fidei*, quale vocaverat *v. 8.* Occurrunt ea *Jesa. 52. 7. Quàm decentes sunt super istos montes pedes evangelizantis, pronunciantis pacem, evangelizantis bonum, pronunciantis salutem: dicentis Zijoni; Regnat Deus tuus.* Item *Nahum 1. v. 15. Ecce super his montibus pedes evangelizantis, promulgātis pacem: celebra Jehuda festa tua, &c.* Quâ fide Paulus hæc Oracula ad se reliquosque Apostolos, qui Evangelium præconiaverunt inter Gentes, accommodaverit, mox dicam in *Quæstionibus*.

QUÆSTIONES,
ex *Cap.X.verſ.*11---15.

Quæſt. I. Rectène Apoſtolus ex *Jeſa.cap.*28.*v.*16. *Qui credit in eum* (*Lapidem*, id eſt, CHRISTUM,) *non præfeſtinabit*, quod Apoſtolus reddit, *non pudefiet*: evincat, non ſolum Judæos, ſed & Gentes participes eſſe Juſtitiæ Chriſti? *Rat.dubit.* 1. Quia videtur, Prophetam reſtrinxiſſe hanc promiſſionem ad Judæos, tanquam *Zijonitas*. Dicitur enim apud Prophetam: *Pono in Zijon lapidem, &c.* 2. Quia Propheta particulâ univerſali non utitur, *πᾶς, Omnis.*

Reſp. Promiſſionem hanc non eſſe tantùm particularem, ſed catholicam, pertinentem, citra diſcrimen Nationum, non ſolùm ad Judæos, ſed & Gentes, evidenter patet: 1. Quòd ſubjiciatur graviſſimæ ἐπιτιμήσει, reprehenſioni Iſraëlitarum incredulorum & impœnitentium, *verſ.*1---15. quæ tacitè includit interminationem pœnæ aut rejectionis ipſorum. 2. Quòd *Lapis*, CHRISTUS, dicatur quidem *ponendus in Zijon*, & quidem ita, ut appareat, Eccleſiam Dei, Regnum, inquam, Chriſti, propter defectionem, infidelitatem & impœnitentiam Judæorum, nequaquam eſſe periturum; ſed ſtabilimentum habiturum in Chriſto, tanquam *lapide fundamenti* inconcuſſo. 3. Quia Chriſtus in hoc vaticinio promittitur tanquā *Lapis angularis*, uti etiam alibi, *Pſal.*118.22. ut inſinuetur myſterium conjunctionis Gentium & Judæorum in unum Corpus Eccleſiæ, tanquā Domus Dei ſpiritualis, 1.*Tim.*3.15. ſicut videmus angularem lapidem combinare duos parietes, & ſic totam domum ſuſtinere. 4. Hinc porro patet, promiſſionem credentibus propoſitam intelligendam eſſe quoque catholicè, æquè de Gentibus atque Judæis. quia Propheta indicare vult, CHRISTUM, qui primitùs in Zijone, id eſt, Hieroſolyma & Judæa per prædicationem Evangelii, tanquam lapis aliquis fundamentalis Regni ſui ſive Evangelii, poni debuit: non niſi profuturum credentibus in ipſum. Hinc, quotquot non ſolum ex Judęis, ſed & Gentibus, in ipſum ſint credituri, ſalvatum iri per ipſum. 5. Quòd Apoſtolus verbum *præfeſtinavit*, transmutavit in verbū *καταισχυνθήσεται, confundetur, pudefiet*, fuit ſuprà *Cap.*9.*v.*33. examinatum. Semper cogitandum, Apoſtolos non ſemper agere literales recitatores Scripturæ, ſed interpretes, & ipſorum judicio ſit ſummè ſtandum: recitare plerunque ex LXX. Interpretibus, tanquam tum temporis vulgatâ, & Judæis quoque cognitâ & intellectâ verſione: & tamen, quando videntur Interpretes illi receſſiſſe ab origine Hebraica, ad eandem quoq; reſiluiſſe: uti poteſt colligi ex *verſ.*15. ex Jeſaja allegato loco parallelo.

Quæſt. II. An Gratia Dei, quâ Homines vult ſalvos fieri, ſit univerſalis, ſive pertinens ad omnes & ſingulos Homines? *Ratio dub.* Quia Apoſtolus *verſ.*12. dicat; *Deum eſſe Dominum omnium, & divitem in omnes*, videlicet ad impertiendam ſuam gratiam.

Reſp. I. Diſtinguendum inter Univerſalitatem *generum*, ut ajunt, & *ſingulorum*. Quoad *genera ſingulorum*, poteſt dici gratia Dei ſalvifica eſſe generalis; quanquam ſervato ordine temporis: quoad *ſingula generum*, nunquam vel fuit, v.g. tempore Veteris Teſtamenti; vel eſt, quod experientia hodierna docet; vel futura eſt univerſalitas gratiæ. *Miſericordia*, quam veteres & moderni Semipelagiani fingunt eſſe univerſalem ad omnes promiſcuè ſe extendentem; *Redemptio* univerſalis per Chriſtum; *Vocatio* univerſalis per Scholam partim *Verbi*, partim *Naturæ*, eſt purum putum figmentum, cujus quinta eſſentia, quomodocunque demùm id-ipſum incruſtetur atque tegatur, eſt LIBERUM HOMINIS ARBITRIUM, ut ſæpè dixi. Hinc ſatius eſſet, hos Præcones Gratiæ univerſalis apertè tranſire in caſtra Pelagianorum, quàm ſuis diſtinctiunculis impo-

imponere mentibus Hominum simplicium. πρῶτον ψεῦδος est, quòd fingant & pingant in Deo *Voluntatem conditionalem*, pendentem à voluntate Hominis: quòd deinde nolint discernere inter Dei *Verbum*, quo aliquid præcipit, promittit, &c. & Dei *Decretum*. Sed de his alibi.

II. Satis patet ex hoc loco, Paulum, juxta propositum suum, nihil aliud intendere, quàm ut demonstret, gratiam & justificationem, adeóque salutem non amplius (nunc scilicet in Novo Testamento in Regno Christi) esse restrictam ad Populum Judaicum; sed dilatatam quoque esse ad Gentes: hincque mirum non videri debere, Judæos hanc gratiam & justitiam rejicientes, fœdere Dei excidisse; Gentes è contrario per fidem eam acceptantes, in illud fuisse assumptas. Itaq; particula universalis. OMNIS, nequaquam, ut loquuntur in Scholis, *collectivo*, sed *distributivo* sensu est accipienda. quod ex ipso textu satis liquet.

1. Quia *vers.* 11. particula illa fuit restricta ad credentes: *Omnis credens, &c.*
2. Quia *vers.* 12. *a.* restringitur eadem ad discrimen Nationum: *Non est distinctio Judæi vel Græci.*
3. Quia *ibid. v.* 12. *b. &* 13. restringitur ad *Invocantes Deum*, qui porrò *vers.* 14. describuntur *à fide, auditu & prædicatione Verbi Dei*: quæ quidem nemo poterit dicere esse respectu omnium & singulorum Hominum universalia.

Quæst. III. An fides salvifica præcisè ad auditum Verbi Dei (*vers.* 14.) sit restringenda? *Rat. dubit.* Quia hâc ratione *infantes, surdi*, quin etiam *muti*, essent ex catalogo, uti credentium, ita quoque salvandorum eliminandi.

Resp. I. Loquitur Apostolus 1. de Adultis, quia hos describit, *vers.* 13. 14. tanquam *invocantes Deum*. 2. Loquitur de ordinario fidei & salutis organo, cujus privatio innocentibus non potest esse salutis obstaculum.

II. *Infantes* Augustinus dicit credere in suis fidelibus Parentibus, scilicet imputativè: non quòd solâ Parentum fide serventur; sed quòd, fideli Parentum oratione adjuti, juxta verbum Promissionis, possint & ipsi Fidei aliquod semen & radicem concipere, quæ postmodùm, quum adoleverunt, per auditum Verbi Dei, sensim germinat, efflorescit & fructificat.

III. *Surdi* quoque & *muti* non cadunt in communem regulam. Media quidem fidei & salutis pendent à Dei solius virtute & operatione: non vicissim Dei virtus à mediis. Quibus Deus panem quotidianum in vita, medicamenta in morbo, destinavit ad ipsorum alimoniam & sanationem; absque iis, si temerè ea negligant, servari non possunt. interim Deus solo Verbo suo (*Matth.* 4. 4.) id est, benedictione potest alere esurientes, & sanare ægrotos. Sic Deus potest in surdis & mutis peragere opus suum ad servandas ipsorum animas, per internas suggestiones Spiritus sui S. itemque per adminicula aliorum sensuum, quæ nonnunquam iis prodesse posse ad cœlestia comprehendenda, novi ex experientia.

Quæst. IV. Cur Paulus *vers.* 15. oraculum Jesajæ Prophetæ, *cap.* 52. 7. accommodet ad missionem Apostolorum, & prædicationem Evangelii inter Gentes? *Rat. dub.* 1. Quia ibi loci agitur de Prophetis, tanquam præconibus liberationis ex servitute Babylonica. quod satis patet ex *seq. v.* 8. *Videbunt speculatores tui ad oculum, cùm reduxerit Jehova Zijon.* item ex *vers.* 11, 12. 2. Hinc videtur oraculum illud pertinere ad solos *Judæos*, non item ad *Gentes*. Atqui Paulus ex illo vult adstruere, Gentibus quoq; ad ipsarum fidem & salutem ab Apostolis Evangelium fuisse præconiandum.

Resp. 1. Cogitandum, liberationem populi Judaici ex servitute Babylonica, quæ

fuit beneficium corporale, fuisse typum Redemptionis spiritualis, quam Christus attulit: adeóque Oraculum hoc non pertinere tantum ad statum veteris populi, sed potissimum & *κατ' ἐξοχὴν* ad *Regnum Christi*, cujus mox tùm *humiliationem*, tum *exaltationem* tùm hoc ipso *Cap.52.v.13,14,15.* tum toto *Cap.seq.53.* describit. 2. Hinc quæ Propheta *vers.7.* de Nunciis pacis & Evangelistis, quos etiam *vers.8 Speculatores* vocat, tanquam intentos in popul. salutem, prænunciat; nequaquam sunt restringenda ad solos Prophetas, sed extendenda ad Apostolos longe majoris Evangelii præcones. Reductio enim populi ex Babylone fuit beneficium temporale & caducum, in quo non potuit plenè consummari hoc oraculum, quo promittitur *pax, bonum, salus* æterna. 3. Satis fuit Apostolo ex hoc loco demonstrare, ad fidem & prædicationem rei alicujus lætæ, quale fuit Apostolorum Evangelium, requiri quoque missionem. Itaque mirum non videri debere, Apostolis quoque ad annunciandum ubivis locorum Evangelium, necessariam fuisse missionem. Si quis *regerat,* in loco illo non agi de præconio Evangelii inter Gentes: *respondeo,* 4. parem nihilominus esse rationem missionis & prædicationis Apostolorum inter Gentes; quæ olim Prophetarum inter Judæos: nisi quis dicere velit, *Judæos* ex captivitate liberandos spem ejus concipere debuisse aut potuisse absq; auditu; aut Prophetas, hoc Evangelium ipsis annunciantes, hoc facere legitime potuisse absq; missione, contra illud *Jer.23.21.* 5. Quanquam porrò dici possit, Apostolum non tantùm respexisse ad verba citata, sed ad totum Prophetiæ illius contextum, in quo non tantùm de salute *Judæorum,* sed & *Gentium* convertendarum & ad Regnum Christi aggregandarum, agatur. Nam paulò post *vers.15.* expresse *Gentium multarum & Regum* fit mentio, qui sint *admiraturi* gloriam humiliati prius Christi, *obdituri os suum,* id est, cum silentio dociles se præbituri ad prædicationem Evangelii, quod olim tacitum fuerat inter Gentes, *Rom.16.25.* *visuri & animadversuri priùs non narrata, nec audita.*

B. *PROBATIO MINORIS PROPOSITIOnis Syllogismi superioris, de Justitiæ salvificæ à Judæis rejectione.*

TRANSITIO. *SYLLOGISMUS* suprà *pag.333* fuerat propositus, cujus *Conclusio* huc tendebat: Judæos, tanquam propriam ex Lege (attamen nō juxta Legis & Legislatoris intentionem) justitiā consectantes, justitiam salvificam non apprehendisse, & per consequens zelo laborâsse cœco, absq; vera justitia. Hinc Apostolus ad *Propositionis* hujus cōfirmationem duo hactenus demonstraverat: 1. Solam *Fidei justitiam,* quam in hac Epistola docuerat hactenus, esse salvificam, tanquam Legi adæquatam, & à Legislatore Deo in ejusdem *νομοθεσίᾳ* intentam. 2. *Justitiam* hanc communem esse omnibus credentibus, citra discrimen Nationum. 3. Vnde porrò Paulus, ad declinandam invidiam quamcunq;, hoc *πόρισμα* deduxit & comprobavit, quòd Evangelium ab ipso & reliquis Apostolis debuerit in toto Orbe annunciari.

Nunc ergo restabat probanda *MINOR PROPOSITIO,* quæ fuit: *Judæos hanc Justitiam repudiâsse, nec credidisse Evangelio.* Atque id-ipsum præstat Apostolus à *vers.16. hujus Cap. usq; ad finem ejusdem.* Consideranda

da occurrunt seqq. Quomodo Apostolus *REJECTIONEM Justitiæ fidei*, quæ facta sit à IUDÆIS, *proponat, confirmet*, & *vindicet*, contra Objectiones & exceptiones τῶν ἀντιλεγόντων.

I. *Propositio* extat in his verbis:

Vers.16.a. *Sed non omnes auscultârunt Evangelio.* *Vers.16.a.*

Pendent hæc verba ex superioribus, in quibus actum de Verbi, ac nominatim Evangelii prædicatione, tanquam ordinario medio fidei & salutis adipiscendæ.

Συζυγία, nexus horum verborum cum præcedentibus, juxtaque eorum *sensus* huc redit: Quantumvis ego, Paulus, cum reliquis Apostolis, meis *συνέργοις*, juxta vocationem nostram, & vaticinia Prophetica, *Jesa.52.7. Nah.1.15.* operam omnem navaverimus, Evangelio annunciando; & hujus initium fecerimus in Judæa, hinc progressuri ad Gentes, ad quosvis Homines lucrifaciendos Christo: tamen, proh dolor! animadvertimus, non omnes amplecti, imò majorem partem repudiare Evangelium. Ac nominatim hanc ἀπείθειαν, ἀπιστίαν, ἀχαριστίαν, deprehendimus apud fratres nostros Judæos, qui Evangelio non auscultârunt, *v.16.a.* Apostolum voluisse Judæos perstringere, tanquam præ Gentibus calcitrantes contra Evangelii prædicationem, indubium esse potest ex illius scopo, de quo jam dictum.

II. *Confirmatio* habetur his verbis:

Vers.16.b *Esajas enim dicit: Domine, quis credet sermoni nostro?* *Vers.16.b. Jes.53.1.*

Vers.17. *Ergo fides est ex auditu, auditus autem per Verbum Dei.*

Apostolus, animadvertens, Judæis hoc videri summum παράδοξον & absurdum, Evangelium de MESSIA repudiatum iri à Gente Messiæ, id est, Judæis; more suo solito, ad Adversarios fortiùs constringendos, provocat ad Scripturam S. ac nominatim ad locum *Jes.cap.53.1.* ubi sic legitur: *Quis credit prædicationi nostræ? & brachium Jehovæ in quo revelatur? Observ.* Oraculi hujus

α *Allegatio.* Jesajas Propheta in eo querimoniam instituit de Gentis suæ, scilicet Judæorum incredulitate. Considerand.

1. *Quis* conqueratur. Propheta Jesajas, actus à Spiritu S. ex cujus prophetico instinctu & illuminatione, Judæorum

infidelitatem præviderat: præsertim cùm jam suo tempore animadverterit ejusdem prodromum in obstinatione Judæorum & contemptu Verbi Dei ac Prophetarum.

2. *Apud quem* conqueratur. Apud Deum. *Domine, quis credidit?* ex abrupto Deum ex intimo doloris sensu testem invocans & conscium hujus incredulitatis.

3. *De quibus* conqueratur. *QVIS credidit,&c.* Propter raritatem futurorum credentium, utitur particulâ universali, Q. D. vix unus aut alter occurrit. Eventus id docuit post missionem & adventum Christi in Mundum, quod Johannes Evangelista indigitavit *cap.12.37,38.* hunc eundem locum allegãdo.

4. *De quo* crimine conqueratur. De incredulitate. *Quis credidit auditioni nostræ?* id est, Sermoni aut prædicationi nostræ, *passivè*, utì apud Hebręos *Schemuah.* Sequitur apud Prophetam: *& brachium Jehovæ, cui revelatum?* Sic quoque indicatur

5. *Causa deficiens* fidei, & hinc eam consequentis incredulitatis, scilicet defectus revelationis Divinæ, sive illuminationis efficacis & internæ, quæ fit per Spiritum S.

Vers.17. β. *Applicatio, v.17.* Πόρισμα geminum Apostolus ex citato loco educit, propter obstinatos Judæos, qui & fidem in Christum, & fidei auditum, & per consequens prædicationem Evangelii totam rejiciebant. Itaq; ex Prophetico isto oraculo sequentia pertendit & evincit.

1. Ad salutem requiri fidem.
2. Hinc quoque prædicationem Verbi Dei, quæ incumbat Apostolis ex officio, ad fidem aliis per hoc medium ingenerandam.
3. Incumbere iis, quibus Evangelium ab Apostolis prædicatur, ἀκοὴν, auditum, & quidem non tantùm aurium, sed & fidei.
4. Meritò ergo Judæos reos peragi infidelitatis ex oraculo Prophetico *Jesa.53.1.* quòd non credant Evangelio ipsis annunciato.

III. *Confutatio* sequitur *Objectionum* & exceptionum, quæ potuissent moveri in contrarium. Potuisset desumi

א. *Vna* ab Ἀπορίᾳ, indigentiâ seu defectu Vocationis Judæorum, quæ insinuatur

Vers.

Vers.18. *Sed inquam* (ego) *an non audierunt? Imò verò in omnem terram exivit sonus eorum, & ad ultima orbis terrarum verba eorum.* Vers.18. Psal.19.5.

Apostolus heic

1. *Quærit*: An non Judæi audiverint? Q.D. An possunt Judæi excusationem hanc prætendere, & dicere, se de Evangelio nihil scire, nec quicquam de eo audivisse?
2. *Respondere* vult: Nequaquam. Negationem ex alio Scripturæ loco elucidat, videlicet *Psal.19.5.* ubi sic legitur: *In totam terram prodit delineatio eorum* (Cœlorum & consimilium operum Dei), *simul in extremitatem Orbis habitabilis sermones eorum,* (ex quo) *soli disposuit tentorium in eis.* De hujus loci allegatione & accommodatione Apostolica pluribus monebo in *Quæstionibus.* In antecessum observandum: 1. Regium Psaltem ibi agere de Vocatione universali omnium Hominum, quaquà versùm patet Cœlum, ad Dei Creatoris tùm agnitionem, tùm celebrationem, ex Majestatis ipsius, Potentiæ, Bonitatis & Divinitatis indiciis, relucentibus in toto hoc aspectabili Mundo; inprimis in Cœlo & cœlestibus corporibus, eorumque effectis & influentiis in Mundum hunc sublunarem. 2. Apostolum partim per *allusionem*, partim per *consequentiam* ad scopum suum prædictum hâc ratiocinatione voluisse accommodare locum hunc:

Si tuba Evangelii sonuit in toto Orbe, & apud omnes, etiam remotissimas Nationes: quomodo poterit ea Judæis esse incognita?

Atqui verum est antecedens, ut patet ex loco Davidico. Quod enim Psaltes ibi proponit de Cœlis, Sole, Stellis, &c. id ego multò propiùs & veriùs asseverare possum de Sole Verbi & Evangelii. Nam splendor illius diffusus est in omnes terras. Orientem eum, imò Meridiantem quoque Judæi per prædicationem Christi & Apostolorum diuturno satis tempore habuerunt: & demùm, propter summum contemptum & ingratitudinem, Sol iste declinavit ad Gentes. *Act.13.46.*

Ergo verum est quoque consequens, videlicet Judæos manere ἀναπολογήτους, quòd Evangelio nō auscultârint.

2. Ab-

3. *Altera* ab Εὐνοίᾳ cognitionis & sapientiæ salutaris, quâ abundent Judæi præ Gentibus. Digeritur illa & disceptatur verbis seqq. usque ad fin. Cap.

Vers. 19. *Sed inquam* (ego) *num Israël non cognovit* (Deum)? *Primus Moses dicit: Ego ad æmulationem provocabo eos, per Gentem, quæ non est Gens: per Gentem intelligentiæ expertem ad iram vos provocabo.* — Deut. 32. 21.

Vers. 20. *Esajas autem utitur audaciâ, dicitq.: Inventus sum ab iis, qui me non quærebant: manifestatus factus sum iis, qui de me non interrogabant.* — Jes. 65. 1.

Vers. 21 *Adversùs Israëlem autem dicit: Toto die expandi manus meas ad populum non obedientem & contradicentem.* — Jes. 65. 2.

Iterum heic attendenda Apostoli,

Vers. 19. a. 1. *Quæstio. v. 19. a. Num Israël non cognovit Deum?* Potuisset quis objicere: An tu, Paule, putas, Judæos prorsus cœcutire: ut quum Evangelium de Christo, & justitia fidei à te prædicata, non acceptant, propterea sint habendi pro insipientibus; & Gentes, quæ tuo præconio fidem adhibent, ipsis præferendæ? Quis hoc credendo in animum suum inducere possit? Nunquid Judæis jam inde à Patribus & Majoribus ipsorum sunt concredita Dei eloquia, *Rom. 3. 2* & Messias promissus ex iis oriundus, *Rom. 9. 5.* & sapientiæ encomium præ omnibus aliis Gentibus attributum? *Deuter. 4. 6, 7, 8. & 33. 29. Psal. 76. 2, 3. & 147. 19, 20.* Fieri vix potest, quin te odium Gentis tuæ in deteriorem sensum abripiat.

2. *Responsio.* Quid respondet Apostolus? Iterum non respondet ex suo cerebro, sed ex Scriptura S. tanquam unico Canone & regulâ Fidei & Judice controversiarum Religionis. SVMMA huc tendit: *Judæos* utique cœcutire, Evangelium repudiantes; *Gentes* verò è contrario sapere, Evangelium amplectentes. Hinc differit Apostolus

α. De *Gentium* illuminatione & conversione, ex *testimonio* gemino:

Vers. 19. b. a. *Mosis, v. 19. b. Deut. 32. 21. Ipsi* (Israëlitæ) *commoverunt me ad zelotypiam per ea, quæ non sunt Deus fortis: ego quoq. ad zelotypiam commovebo eos per eum, qui non* (est)

(est) *populus, per Gentem stultam provocabo eos.* Vbi tria indicantur: 1. Judæorum cœcitas & idolomania. 2. Gentium hactenus in tenebris & extra fœdus Dei versatarum conversio. 3. Finis, Judæorum zelotypia.

b. *Jesajæ* Prophetæ, *v.20. cap.65.1 Expositus sum eis, qui non interrogabant: inventus sum ab eis, qui non quærebant me. Dixi, ecce me, Genti, quæ nō vocatur de nomine meo.* quibus verbis describitur duplex Gentium status: 1. *Miseriæ,* videlicet tùm peccati, tùm iræ Dei, propter peccatum, & abalienationis à fœdere Dei. Hinc describuntur tanquam *non quærentes Deum, nec interrogantes de ipso*: quod Apostolus quoq; insinuavit *Eph.2.12.* quum dicit, eas fuisse absque Deo. & jam *vers.19.præced.* descriptæ fuerunt *ἀσυνέτοι, intelligentiæ* sive cognitionis Dei *expertes.* 2. *Gratiæ,* videlicet vocationis, conversionis ipsarum & adoptionis, sive assumptionis in fœdus. Ideò dicitur *Deus ab iis esse inventus & manifestus iis factus.* Atq; hoc plus satis eventus demonstravit in Novo Testamento. Vers.20.

β. De *Judæorum ἀπειθείᾳ,* infidelitate & contumaciâ, *v.21.* ex *testimonio* iterum *Jesajæ* Prophetæ *eodem cap.65.v.2. Expandi manus meas toto die ad populum rebellem, qui ambulant viâ non bonâ, sequendo cogitationes suas.* Vbi indicatur 1. *Dei* cura, studium, beneficium, quo hactenus conatus fuerat populum Judaicum revocare ad frugem, per *expansionem manuum* continuam: *ἀνθρωποπαθῶς,* verbo scil. beneficiis & castigationibus paternis. 2. *Populi* contumacia, ingratitudo, rebellio. Hinc vocatur ab Apostolo, ex Jesaja, *populus non obediens & contradicens.* Vers.21.

QVÆSTIONES,
ex Cap. X. vers.18. usq; ad fin. Cap.

Quæst. I. Recte'ne ab Apostolo (*vers.18.*) locus Psalmi 19.5. allegetur ad probandam prædicationem Apostolicam Evangelii in toto terrarum orbe? *Rat. dub.* 1. Quia in Psalmo ibi loci agitur de patefactione gloriæ Divinæ in *Libro Naturæ*; non verò in *Libro Gratiæ,* sive Verbo Dei & Evangelio; sed demùm *vers.8* agitur de patefactione Dei per verbum. 2. Addo, videri Apostolum textum vel pervertisse, quùm pro *linea ipsorum, Kavvam*; uti habetur in originali Hebr. reddidit *φθόγγος αὐτῶν* (scil. cœlorum, dierum & noctium. *v.3,4.*) quasi esset *Kolam, vox aut sonus eorum*: vel editione aliâ Hebraicâ usum esse. 3. Vt hinc videri possit periclitari authentia & *ἀσφάλεια* Codicis Hebraici, quæ in quibusdam à Pontificiis, imò neotericis Criticis inter Evangelicos, in dubium vocatur.

Resp. Scio, Interpretum heic variare sententias. *Διὰ βραχέων* respondeo.

I. Paulum locum Psalmi noluisse transformare in *Allegoriam*, uti Veteres exposuerunt, quasi Sol è thalamo egrediens fuisset Christus: Cœli autem Apostoli: Solis motus, quo circa Terrarum orbem volvitur, sit prædicatio Evangelii in toto Orbe. Allegoria ista potuisset à Judæis verti in ludibrium. Et quando Paulus allegoricè Scripturam tractat, *allegoriæ* facit mentionem. *Gal.* 4.24.

II. Neque puto tantùm per *allusionem* & accommodationem aliquam metaphoricam Paulum hunc locum allegâsse, non tàm confirmationis, quàm illustrationis & declarationis ergò. sed voluit Judæos ex hoc loco stringere, atque evincere, ipsos esse ἀναπολογήτους, contemnendo Evangelium & Fidei Justitiam, neque posse prætexere defectum prædicationis Evangelii: quod patet ex verbis proximè præcedentibus. *Sed an' non, inquam, audierunt?* Judæi scilicet, ne posset quis oggerere, damnari ipsos propter doctrinam inauditam.

III. Superest, ut dicamus, Paulum ex loco Psalmi voluisse probare, & Judæos, si qui essent, ἀντιλέγοντας convincere, quòd omninò Evangelii Doctrina, atque in ea justitia Fidei, ipsis fuerit annunciata. Quomodo autem nunc succedit probatio ex verbis Psalmi allegatis? Perbellè, non quidem directè, sed tamen indirectè, per firmam consequentiam & comparationem à minori ad majus.

Si Deus ne quidem Gentes omnibus seculis dedignatus fuit vocatione suâ ad suî agnitionem; multò minùs ipse Vocationem denegaverit Judæis, tanquam populo suo, jam olim in fœdus ascito.

Atqui antecedens est verum. *Rat.*

1. Quia per Verbum Naturæ omnibus seculis se testatum fecit Gentibus, ut potuerint in Cœlis, Sole, Stellis, dierum & noctium vicissitudine, & admirabili gubernatione totius Mundi, lineamenta videre Divinæ ejus potentiæ, majestatis, gloriæ, bonitatis, &c. *Rom.* 1.20. adeò ut lineamenta ista fuerint Creaturis instar alicujus linguæ & præconii, quo gloriam Dei celebrabant.
2. Quia etiam olim in Veteri Testamento Deus stricturas aliquas Verbi sui emisit ad complures Gentiles, quos Deus ad salutarem suam agnitionem perduxit, tanquam primitias amplioris & lativagæ Vocationis sequuturæ in Novo Testamento, uti exempla sunt notissima.
3. Quia tempore Novi Testamenti præconium Apostolorum dimanavit in totum Orbem ad omnes Gentes, *Rom.* 1.8. *Col.* 1.6. juxta Christi prædictionem, *Matth.* 24.14.

Ergo verum est quoque consequens, videlicet non esse cogitandum quasi Judæi fuissent præ Gentibus defraudati Evangelii prædicatione, quò minus per hanc ad finem pervenirent, & sic salvarentur. Hanc consequentiam texuerunt ex loco prædicto quoque Veteres, v.g. Chrysostomus. *Quid dicis, inquit,* (Apostolus) *non audierunt? Ipse terrarum Orbis, ipsiq; terræ fines audiverunt: & vos, cum quibus prædicatores isti* (Apostoli scilicet) *tantum temporis commorati sunt, ex quibus & prodierunt, non audivistis? Quâ nam poterit istud ratione fieri? Si enim fines orbis terrarum audierant, multò magis vos.* Sic ejus compendiator Theophylactus, Theodoretus item, Oecumenius, &c.

IV. Addo tandem, Apostolum illustratum Spiritu Prophetico voluisse ostendere, quanquam Deus Gentibus olim linguâ Cœlorum, non Verbi sui, fuerit loquutus; tamen hunc fuisse veluti prodromum, quo significare voluit, se aliquando ipsas etiam Verbi sui luce & præconio dignaturum: ut multò minùs Judæi conqueri possint, ipsos in prædicatione Evangelii fuisse præteritos.

V. Jam quod mutationem attinet, quæ posset scrupulum aliquem movere in voce Græca φθόγγος, *Sonus*, & Hebraic. *Kavvam*; tanti ea momenti non est, ut possit arguere

arguere vel depravationem, vel etiam variationem Codicis Hebraici. Paulus pro more vocem Græcam ex vulgari tunc Græca versione LXX. mutuatus est. Hæc vox Apostolis & eorum prædicationi propriè competit, Cœlis translatitiè. Ipsis enim impressa Divinitatis τεκμήρια sunt instar linguæ, soni. Vox *Kav lineam* significat. Ast non tantùm extensum aliquem funiculum & regulam; sed etiam *Scripturam*, quod patere potest ex loco *Jes.*28.10. Hinc Abenezra quoque hoc Psalmi loco *Kav* interpretatur *Michtabh, Scripturam: Scriptura eorum legitur in omni loco, & docti sensum ejus intelligunt in omnibus locis terra.*

Quæst. II. An Vocatio universalis ad salutem possit ex verbis Apostoli *vers.*18. exsculpi?

Resp. Si de *generibus*, ut loquuntur, *singulorum* accipiatur, Universalitas Vocationis salutiferæ conceditur: si de *singulis generum*, negatur. Patet ex ipsis Apostoli verbis: quia non de singulis Hominibus agit, sed de duobus Populis, Judæis & Gentibus. Ex Gentium communi Vocatione per prædicationem Evangelii vult concludere, Judæos nequaquam suâ incredulitate defectum hujus beneficii obtendere posse.

Object. Apostolus utitur particulâ universali: IN OMNEM *terram exivit sonus eorum.* & quidem ex loco *Psal.*19. Sicut universalis est Vocatio per Naturam, pertinens ad singulos: sic quoque Vocatio per Verbum.


Resp. 1. Particulam universalem non semper *collectivè*, sed *distributivè* in S. Scriptura accipi, tantâ locorum frequentiâ in ea docetur, ut neminem nisi Hospitem in S. Scriptura id latere possit. 2. Universalitas ista Vocationis salutaris singulorum Hominum, saltem tempori Veteris Testamẽti accommodari nequit. *Deuter.*4.7,8. *Psal.*76.2,3. & 147.19,20. 3. Et ne quidem Novi Testamenti omnibus temporibus, quod qui negat, experientiam omnium seculorum habebit refragantem. 4. Ideóque intelligenda ista Universalitas, si Nationes & Regiones spectes, partim successive, secundùm temporum præteritorum, præsentium, & futurorum intervalla; partim secundùm majorem partem. 5. A' Vocatione *naturali* omnium Hominum per Cœlos, Solem, &c. & reliquas Creaturas, à qua Apostolus argumentum ducit *vers.*18. non licet argumentari ad Vocationem *salutarem* singulorum Hominum. *Rat.* α. Quia Vocatio per naturam non sufficit ad salutem, imò tendit magis ad ἀναπολογίαν Hominum. *Rom.*1.20. β. Quia Deus ne quidem singulos Homines dignatur hâc Vocatione, cùm innumeri infantes pereant in utero, antequàm lucem hujus Mundi aspiciant: multi nascantur cœci: multi fatui, qui destituuntur ordinariâ mentis luce, &c.

Quæst. III. Cur dicatur *vers.*20. ex Jesaja Propheta, *Deus inventus à non quærentibus:* cùm alibi dicatur inveniri demùm à quærentibus? *Jesa.*55.6. *Jerem.*29.13,14. *Zachar.*1.1. *Matth.*7.7.

Resp. Distinguendum inter inventionem *primam* & *secundam*. Apostolus ex Jesaja loquitur de *inventione prima*, quâ Deus inventus à Gentibus in prima eorum vocatione & conversione; & quâ Deus inveniri solet ab omnibus irregenitis in primo actu cõversionis ipsorum, per *gratiam*, quam vocant, *prævenientem*, quam nulla quæsitio Hominis antegreditur, cùm ad eam voluntas Hominis se habeat merè passivè. Alia loca loquuntur de *inventione secunda*, quâ Homo post primam gratiam & primum actum conversionis actus à Deo agit, & porrò Deum quærit ad obtinendas secundas gratias & alia beneficia.

Object. Ast videtur Apostolus *vers. seq.*21. ex alio loco *Jesaja cap.*65. *v.*2. voluntati Hominis à Deo convertendi assignare libertatem acceptandi vel respuendi gratiam.

Resp. Apostolus cum Propheta loquitur de *externa* tantùm & *inefficaci*, non de *interna* & *efficaci* vocatione, cui nulla in voluntate Hominis libertas respondet vel acceptandi vel respuendi. Non *acceptandi*; quia voluntas propter connatam suam pravitatem, non potest non ei resistere: non *respuendi* penitùs; quia renitentia ejus per gratiam prævenientem superatur & tollitur, ut ex nolente fiat volens. *Joh.*6.44. *Ephes.*1.17--20.



CAPVT XI.

SCOPVS Apostoli in hoc CAPITE est, Doctrinam præcedentem, de IVDÆORVM REIECTIONE moderari, ne putetur DEVS fœderis sui cum ipsis initi, & promissionum, eorum Majoribus factarum, prorsus fuisse oblitus; & omnem suam gratiam præcisè transtulisse ad Gentes.

ARGVMENTVM (περιοχή) Capitis est: 1. Judæos non ita à Deo fuisse rejectos, Gentes è contrario adoptatas; quin Deus suas inter illos electas reliquias sibi reservârit hactenus, nunc, & in futurum. 2. Hinc nec Judæos salutis suæ spem omnem abjicere; nec Gentes vel nimiùm Judæis insultare, vel propter suam vocationem & adoptionem insolescere debere: sed potiùs μετὰ φόβου καὶ τρόμου ἐργάζεσθαι, id est, *cum timore ac tremore operari salutem suam*: uti alibi loquitur Apostolus, *Phil.*2.12. Concluditur tandem ἐπιφωνήματος loco Caput hoc, & tota præcedens Doctrina, Capitis IX.X.XI. de Rejectione Judæorum, propter ipsorum incredulitatem; & Gentium adoptione in fœdus gratiæ, per Justificationem fidei: memorabili δοξολογίᾳ & celebratione sapientiæ atque justitiæ Dei.

PARTITIO. Continet CAPVT hoc tres Partes: I. *Consolationem*: II. *Exhortationem*: III. *Conclusionem*, ut dixi, epiphonematicam totius superioris Doctrinæ, de *Judæorum Rejectione*, & *Gentium Vocatione*. Videatur suprà ad *Cap.IX.pag.*255.

PARS I. CAPITIS.

CONSOLATIO, ad Electos inter Judæos pertinens, habetur *v.*1--6. Observand.

1. *Occasio*, ex Capp. præcedentibus per *Quæstionem*.

*Vers.*1.2. Vers.1.2. *Num igitur, inquam*, (ego) *abjecit Deus populum illum suum?*

Hoc

Hoc verò tantundem est, ac si quis diceret: An pœnituit Deum fœderis sui? An retractavit suas promissiones? An infidelitas Judæorum cassam prorsus reddidit Dei fidem, contra id, quod dixerat superius, *Cap.3.3.*

2. *Summa* occurrit in *Responsione* subjuncta,

Vers.1. *Absit.* & Vers.2.a. *Non abjecit Deus populum illum suum.*

Objicias. An non sibi contrarius est Apostolus? Nunquid hactenùs *Cap.9.& 10.* disputaverat de Judæorum, fratrum suorum, rejectione & condemnatione, quòd Dei, fidei scilicet justitiam non fuerint assequuti; eò usque, ut anathema à Christo pro iis fieri optaverit. *Cap.9.3.* Quid ergo nunc movet in contrarium de eorum salute?

Resp. Paulus non vult revocare, sed tantùm ad consolationem electorum & fidelium inter Judæos moderari superiorem doctrinam, & indicare, Deum non prorsus & absq; ulla exceptione repudiâsse populum Judaicum.

3. *Explicatio* dehinc & *Confirmatio* fusior sequitur in verbis seqq. in quibus Apostolus discrimen facit inter ELECTOS & REIECTOS in populo Judaico.

A. *De ELECTIS ex Populo Judaico.*

Vers.1.b. *Nam & ego Israëlita sum, ex semine Abrahami, tribus Benjamin.*

Vers.2. *Non abjecit Deus populum illum suum, quem præcognovit: An nescitis, de Elia quid dicat Scriptura? quomodo interpellet Deum adversùs Israëlitas, dicens:*

Vers.3. *Domine, Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & petunt animam meam.* 1.Reg.19. 10.

Vers.4. *Sed quid dicit ei Divinum responsum? Feci, ut remanserint mihi septem millia virorum, qui non flexerunt genu* (imagini) *Baal.* 1.Reg.19. 18.

Vers.5. (Ita) *igitur & hoc tempore reservatio secundùm electionem gratuitam facta est.*

Verſ.6. *Quòd ſi per gratiam, non jam ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia. Sin ex operibus, jam non eſt gratia: alioquin opus jam non eſt opus.*

Tria Apoſtolus his verbis oſtendit. 1. *Quòd* ex Judæis aliqui ſint electi & ſervati. 2. *Quantus* horum ſit *numerus* & multitudo. 3. *Quæ* hujus electionis ſit *cauſa impulſiva.*

I. Τὸ ΕἾΝΑΙ, *ESSE* electionis Judæorum, quòd ſcilicet ex Judæis ſint quidam electi & ſervati à Deo. Apoſtolus probat

Verſ.1.b. 1. *Exemplo* ſuo proprio, *verſ.1.b.Nam & ego Iſraëlita ſum,&c.* & tamen electus, non repudiatus à Deo. Hoc ſumit pro confeſſo & *ἀναντιῤῥήτῳ*, quod docebat experientia. Ergo Deus non ſimpliciter totam Gentem Judaicam repudiavit, ſed reliquias electas ſibi in ea reſervavit. *Obſervetur* autem, Apoſtolum non tantùm ſe vocare *Iſraëlitam*, ſed magìs *δεικτικῶς*, *ex ſemine Abrahæ & tribu Benjamin.* Id factum, ut oſtenderet, ſe *γνήσιον* eſſe Judæum ab ultima origine, jam inde ab Abrahamo, cujus Majores non fuerint proſelyti. Sic alibi quoque *Philipp.3.4,5.*

Exemplum hoc Apoſtoli validius eſt magnâ *Inductione*, partim propter ejus horribilem halferociam, quâ fremuerat & ſęvierat adverſus Chriſtum & Diſcipulos ejus ante ſuam converſionem: *Act.9.v.1,2.* partim propter admirabilem, gratuitam & indebitam miſericordiam, quâ non ſolùm ad fidem Chriſti ejusque ovile fuit perductus, ſed & ad ſummam Apoſtolatus dignitatem evectus, *ut eſſet vas Chriſti electum, quod portaret Nomen ejus in conſpectum Gentium & Regum & filiorum Iſraël. Act.9.15.* Apoſtolus alibi utrumque, quod dixi, exequitur, *1.Tim.1.15,16.Galat.1.*

Verſ.2.a. 2. *Ratione*, petitâ à cauſa impulſiva electionis atque ſalutis, videlicet Dei *προγνώσει*, ſeu præcognitione. *verſ.2.a.Non abjecit Deus populum, quem præcognovit.* Atqui populum Judaicum præcognovit. Ergo.

Quæritur: Quid Apoſtolus per hanc *πρόγνωσιν* intelligat?

Reſp. α. Non nudam aut ſimplicem *præſcientiam*, quâ ratione dicuntur *Deo ab æterno nota eſſe omnia ipſius operâ, Act.15.18.* quanquam iſta *prænotitia* non ſit merè ſimplex, ſed ſecum vehât generalem Dei amorem & bonitatem erga ſuas creaturas, quà tales. *Pſal.145.9.*

β. No-

β. Neque intelligi potest prævisio alicujus meritoriæ dignitatis, cujus respectu Deus Gentem Judaicam præ reliquis elegerit, & fœdus cum Majoribus ipsius pepigerit. Abrahamum enim ex colluvione Idololatrarum, Idolatram ipsum (*Jos.24.v.2.*) extraxit. Posteris derogatur omnis dignitatis domesticæ prærogativa. *Deuter.7.7,8.*

γ. Intelligitur igitur gratuita Dei benevolẽtia & favor, (sicut alibi quoque, *Psal.1.6. 2.Tim.2.19. Matth.7.21.*) quo Deus Populum Judaicum, fœdere cum ipsorum Majoribus inito, segregavit à turba & colluvione aliarum Gentium. Quum autem Apostolus non dicit, *novit*, sed, *præcognovit*, insinuat hujus amoris Dei æternitatem, & quidem non solùm à *priori*, sed & à *posteriori*. Nam ex προγνώσει hac arguit cõstantiam & perpetuitatem fœderis Dei; adeóque certitudinem salutis electorum ex Judæis: sicuti etiam *Rom.8.29.&c.* eandem salutis certitudinẽ omnibus electis fidelibus asseruerat ex illa Dei προγνώσει.

II. Τὸ ΠΟΣΟΝ, QUANTUM nunc sequitur, de *numero* & *multitudine* electorum inter Judæos. Ostendit Apostolus, numerum esse magnum. *Occasio:* Quia suæ tantùm in verbis præcedd. personæ expressè meminerat; ne videretur ipse solus superfuisse. Docet ergo, magnam esse servatorum multitudinem, etiamsi κατ' ὀφθαλμὸν ea percipi non possit: & quidem συγκριτικῶς, per comparationem *præteriti* & *veteris*, dehinc *præsentis* & *novi* temporis. Tempus vetus est ELIÆ, Prophetæ: Novum PAULI, Apostoli. Significat, convenientiam esse utriusque temporis, cujus summa huc redit: Sicut Deus Eliæ tempore inter Apostaticos Israëlitas X. Tribuum, sibi reservavit numerosas reliquias electorum, qui genua sua non incurvaverant coram Baale, Samaritanorũ idolo: ita nunc Deum in Gente incredula Judæorum sibi quoq; reservâsse suos electos, ad fidem Christi jam adductos, & deinceps adducendos atque servandos. Occurrit autem heic hujus *Comparationis*

א. *Protasis*, de Statu Ecclesiæ Israëliticæ tempore ELIÆ, ibidem prophetantis. *Observetur* ibi

α. *Eliæ interpellatio* apud Deum, *v.2,3. An nescitis de Elia, &c.* Indigitatur historia, quæ extat *1.Reg.19.10. Dixit* (Elias): *planè zelo affectus sum pro JEHOVA, Deo exercituum, eò quòd dereliquerunt fœdus tuum Israëlitæ, &c. cúmq; ego relictus sim solus, etiã vitam meam, ut auferant eam.* Locus est ἀξιομνημόνευτος, sive spectes *Vers.2.b. & 3.*

1. Popu-

1. *Populum & Ecclesiam Israëliticam*, cujus status describitur in loco prædicto, & parallelo Apostoli *vers.3.* tanquam prorsus desperatus. Nam illo tempore, utì dixi, Ecclesia illa, secundùm externam suam faciem fuit Apostatica, jam inde à Jeroboamo, defectionis hujus post mortem Rechabeami, filii Salomonis, δημιουργῷ, & vitulorum idololatricorum in Dan & Bethel architecto: cujus nefariam & idololatricam ἐθελοθρησκείαν, non solùm omnes subsequentes Reges continuârunt, & ad suos successores & posteros per omne nefas propagârunt; sed & eandem deinceps Achab Rex Israël, Jesabelis suæ instinctu, accumulavit auctario novæ Baaliticæ idololatriæ, quæ diluvii alicujus instar, totum illud Regnum inundavit, ut vix unus aut alter videri potuerit superesse ex undis illius horrendæ Apostasiæ servatus; præsertim, quia Rex, Regina, Pseudoprophetæ, à quorum ore pendebat, diris persequutionibus veros Dei cultores, inter quos fuit Elias, persequebantur.

2. *Eliam ipsum*, cujus in hac historia commendatur,
   a. *Constantia* in vero & puro Dei cultu. Neque enim serviit Regum, Principum & populi affectibus, ut Baali flecteret genua, sed conscientiam retinuit intemeratam.
   b. *Zelus*. quòd unus ipse non solùm ab Idololatria communi voluerit esse alienus; sed & summo cum fervore & vitæ suæ extremo periculo ei se opposuerit. Hoc enim indigitat Apostolus per τὸ ἐντυγχάνειν τῷ Θεῷ κατὰ τοῦ Ἰσραήλ. quâ loquutione significare voluit, etiam magno zelo apud Deum conquestum fuisse de apostasia seu defectione Israëlitarum à vero Dei cultu ad Idololatriam, nec non, ut *versus sequens 3.* docet, tyrannide Idololatrarũ erga sinceros Dei cultores. 2. Hinc Dei quoque adversus apostatas atque latrones vindictam inclamâsse, insuper habitis eorum minis & incumbentibus sibi periculis. id quod satìs liquet ex historia veteri, *1. Reg 18.* ubi inter alia commemoratur cædes 450. Prophetarũ Baaliticorum, quam Elias suscepit, *v.40.*
   c. *Infirmitas* ei adhærens, dum ita scandalizatus fuit publicâ populi apostasiâ, ut persuasus fuerit, solum se ex toto Israële superfuisse, cultûs & religionis puræ custodem: in quo tamen semet-ipsum decepit, utì postea apparuit ex Divino ad ipsum responso.

d. *Sta-*

d. *Status* ejus & conditio misera. Nam propter prædictum zelum postea ad cædem fuit postulatus, & in exitium actus, ut patet ex *1.Reg.19.v.1.& seqq.*

β. *Dei Responsum, vers.4.* Corrigitur Eliæ error & opinio, & indicatur, non ipsum solum fuisse relictum, sed superesse adhuc magnum numerum, quia Deus sibi reservârit 7000. virorum, qui non flexerint genua coram Baale. *Septenarius* numerus exprimitur, certus pro incerto, ex Scripturæ phraseologia. *Psal. 12.7 Gen.33 3.&c.* Intelliguntur autē complura millia. Respondet hoc historiæ, quia inter alia legitur *1.Reg.18 13.* Obadiam Centurionem 100. Prophetas Dei abdidisse in speluncis, eosque pane & aquâ cibâsse, interim dum sæviebat Jesabel contra puros Dei cultores. Hos autem Dei Prophetas, aliosq;, qui postulabantur ad necem, compluribus Discipulis caruisse non fit verisimile. Vers.4.

3. *Apodosis* habetur *vers.5. Ita igitur & hoc tempore, &c.* Sententia est: Vers.5.

Quæ fuit ratio temporis Eliæ, eadem nunc est in rejectione Judæorum, propter eorum incredulitatem.

Atqui hæc fuit ratio temporis Eliæ, ut, cùm putâsset totam Ecclesiam Israëliticam defecisse, se uno excepto; tamen multæ aliæ copiosæ reliquiæ fuerint à Deo servatæ.

Ergo eadem quoque nunc est ratio. adeóque, licèt major pars Judæorum per infidelitatem sit abjecta; ut videar veluti ego solus relictus, tamen magna adhuc supersit electorum copia, qui nunc non sunt cogniti.

III. Τὸ ΑἼΤΙΟΝ sequitur, ultima pars Responsionis Apostolicæ de ELECTIS, inter Judæos. videlicet de Electionis & salutis eorum seu reservationis *Causa impulsiva*, v.5. & 6. Apostolus

1. Καταφατικῶς, *affirmativè*, indicat esse solam Dei Gratiam, *v.5.b.* Vers.5.b.
Λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονεν: reservatio secundùm electionem gratuitam facta est. Observand. heic veniunt seqq.

α. Reliquias inter Judæos à Deo fuisse servatas, ne perirent omnes in illa Gente, propter ejus incredulitatem.

β. Reservationem hanc non tantùm intelligendam de reliquiarum salute æterna, tanquam fine, sed etiam de mediis ad eam ducentibus, videlicet earum conversione &

fide. Sicut enim Deus Eliæ tempore reliquias suas inter Israëlitas ita conservavit, ut, ne communi apostatarum exitio involverentur, eos ab Idololatriæ contagione conservârit, & in pura sui agnitione & cultu retinuerit: ita dicit Apostolus, *καὶ ἐν τῷ νῦν καιρῷ λεῖμμα γέγονεν*, quando videlicet plurimos ex Judæis exemit à communi infidelitate & impœnitentia; eosque ad fidem & pœnitentiam adduxit.

γ. Reservationem hanc factam esse *secundùm electionem*, quâ videlicet Deus distinxit electos à reprobis, sicut Isaacum ab Ismaële, Esavum à Jacobo distinxerat, quod suprà *Cap. 9. 7, 11, 12, 13.* plus satis docuerat. & quidem discriminatione æternâ, principii & finis nesciâ. Hinc suprà *Cap 9. v. 11. προθέσεως κατ' ἐκλογὴν* meminerat, quam etiam *ibid.* descripsit, tanquam *μένουσαν*, nulli mutationi obnoxiam.

δ. Electionem, secundùm quam *τὸ λεῖμμα* factum, esse merè gratuitam, à sola Dei gratia & misericordia erga reliquias illas pendentem, citra ullum aliquem respectum conditionalem, dispositivum, causalem in electis illis. Vocatur enim ab Apostolo hæc *ἐκλογὴ χάριτος*, *electio gratiæ*, per Hebraism. id est, electio prorsus gratuita.

Objiciunt hoc Semipelagiani moderni, quibus nihil magis volupe est, quàm doctrinam nostram de Prædestinatione sub DECRETI ABSOLUTI nomine ita diffamare, ut eam nobiscum toti Orbi detestabilem reddere satagant, interim tegant vulpinum suum, quem in cordibus gestant, Pelagianismum. Fingunt enim contra suam conscientiam, nos tale statuere in Deo Decretum Electionis, quo citra pœnitentiæ & fidei ullum interventum decreverit electos à se salvare; ut licet nulla ipsos afficiat pœnitentiæ & fidei cura, tamen infallibiliter sint salvandi: e contrario, quos à salute exclusèrit, destinâsse ad æternum exitium, citra ullum peccati & infidelitatis respectum; adeò ut, etiamsi omnium Sanctorum bonis operibus abundarent, per Decretum absolutum Reprobationis damnationi obnoxii manerent citra ullam spem salutis. Quæ verò non coram toto Orbe propudiosa ista calumnia fuerit ad defensionem Doctrinæ nostræ, hactenus profligata. Doctrina nostra prorsus Apostolica est: 1. Servari non nisi Electos. 2. Servari ita, ut à Deo ipsis non tantùm salus fuerit destinata ab æterno, sed & media ad eam tendentia, redemptio per Christum, vocatio efficax, fides, sanctificatio, perseverantia in studio & stadio bonorum operum, &c. 3. Ita hæc omnia à Dei Decreto pendere, ut *à priori* nihil nisi Divinæ gratiæ, tanquam causæ impulsivæ sit acceptum ferendū: *à posteriori* media omnia salutis necessario ad eam ceu ad finem ordinentur; uti etiam gratiæ, ceu primitivæ causæ, subordinantur. 4. Reprobos non absque respectu objectivo peccati, in quo omnes nascuntur, ad exitium esse prædestinatos; & tandem ad exitium illud Divina providentiâ & justitiâ ita perduci, ut, vel pro-

propriâ Reproborum conscientiâ teste, non nisi justum Dei judicium in ipsorum induratione appareat, interim πολλῇ τῇ τοῦ Θεοῦ μακροθυμίᾳ (*Rom.* 9.22.) temperatum. Procaces Adversarii non possunt aliud moliri quicquam, nisi ut per latus nostrum PAULUM Apostolum, AUGUSTINUM & LUTHERUM ipsum, qui toti à nostris stant partibus, suis dicteriis, calumniis & anathematismis confodiant. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

2. Ἀποφατικῶς, *negativè*, *v.6. Quòd si per gratiam, non ex operibus. &c.* *Vers.6.*

Apostolus removet falsam causam reservationis electorum inter Judæos, videlicet OPERA, sive meritum Operũ Legis, quo sese jactabant. *Rat.* Quia duo ista, videlicet *salus ex electione*, & *operum merita*, sunt ἀσύστατα, &, ut ajunt in Scholis, *incompossibilia*. Sic enim vult argumentari Apostolus:

Si Electio est ex gratia, ergo non ex operibus. *Rat.* Quia gratia non esset gratia; neque opera essent opera.

Ratio rationis. Quia, quod est ex gratia, indebitum est: quod autem est ex operibus, id debitum est, adeóque ex merito.

Atqui Electio est ex gratia.

Ergo non ex operibus.

Observetur heic iterum ἀντιφωνία, quâ reclamant Apostolo non solùm veteres, sed & novi *Pelagiani*. α. *Pontificii*, qui salutem, & hinc electionem ad salutem, suspendunt à prævisione bonorũ operum. Conciliare volunt gratiam cum operibus, qualem reconciliationem Paulus non agnoscit, sed prorsus tanquam ἀσύστατον repudiat. β. *Arminiani, Ubiquitarii* & consimiles, qui suspendunt Electionem ex fide prævisa, & tamen suæ opinioni prætendunt gratiam. Negant enim prævisam fidem tollere Electionis gratiam. *Rat.* Quia si Fides in Justificatione non tollat gratiam: quum scilicet dicimur, non operibus, *sed fide* justificari; neque in electione tollere *fidem* gratiam, si dicamur eligi per fidem, & non propter opera: quasi verò Justificationis in hoc negotio & Electionis parilis esset ratio. Longè aliter se res habet.

1. Justificatio fit in tempore. Electio facta est ab æterno.
2. Justificatio, quæ incipit cum fide, sequitur Electionem, uti & Vocationem. *Rom* 8.30
3. Hinc Fides non potest causa esse aliqua vel impulsiva, vel instrumentalis Electionis, sed hujus effectum.
4. Fides ingreditur nostram Justificationem tanquam or-

ganum, quod apprehendit justitiam in Christo. Atqui hâc ratione Electionem nostrã ingredi non *potest*, nec *potuit*. Non *potest*, quia, uti dixi, Electio facta est ab æterno. Non *potuit*, scilicet in Dei prævisione, quia Deus, nos eligendo ad salutem, non priùs prænovit nos futuros credentes; sed præordinavit ex mera sua gratia, ut simus credentes: sicut CHRISTUM & alia Salutis media nobis præordinavit.

5. Si ne Vocatio quidem ad salutem potest dici facta *per fidem*, quia fit *ad fidem*: quantò minùs Electio, à qua Vocatio nostra dependet. *Rom.8.30. 2.Tim.1.9.*

6. Electio facta est, ut Christo per fidem inseramur. Non ergo facta est per fidem antecedenter, tanquam Electioni præordinatã: quia sequeretur demùm nostram in Christum per fidem insitionem. Atqui Scriptura docet, Electos priùs datos Christo, ut per eum redimerentur, & ad fidem perducerentur: *Joh.17.11,12,14,19,24,25,26.* non quòd demùm post redemptionem, vocationem & fidem electi fuerint, in Dei nimirum præscientia & decreto.

7. Paulus, qui Doctrinã de *Justificatione* & *Electione* ex professo in hac Epistola ita pertractavit, ut nullus Prophetarum Veteris, aut Apostolorum Novi Testamenti ei anteferri queat; docuit quidem asseveranter & constanter, Nos justificari per fidem: nullibi autem vel minimo aliquo indicio id docuit, Nos per fidem prævisam ab æterno electos: sed docuit, *Fidem non esse omnium*, *2.Thess.3.2.* sed *electorum*: *Tit.1.1.* sicuti quoque Vocationem, *2.Tim.1.9.* Fidem contingere tantùm electis ad vitam æternam. *Act.13.48.*

Objici quidem solet locus Pauli *2.Thessal.2.13.* de *nostra electione ad salutem per sanctificationem Spiritus & fidem habitam veritati.* Memini suprà jam ψευδερμηνείαν Semipelagianam hujus loci fuisse profligatam.

Id paucis heic rememoro. Paulum in citato loco non loqui de fide, tanquam Electioni præordinata aliqua causa vel meritoria, vel instrumentali, sed tanquam de subordinato exequutivo medio ad salutem, tanquam electionis finem, assequendam. Itaque verba illa, ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος καὶ πίστει ἀληθείας, non sunt ad remotius verbum εἵλετο referenda, sed ad proximum nomen σωτηρίας, ut ellipsis, quod rectè à Piscatore observatum, subintelligatur particulæ τῆς, & sensus

ſus ſit: Deus elegit nos ab initio ad ſalutem, ut eam per ſanctificationem Spiritus & fidem habendam veritati conſequeremur. Atque hæc interpretatio fundatur in alio Apoſtoli loco, *Epheſ.1.4.* ubi dicit Apoſtolus, *Nos electos in Chriſto ante jactum Mundi fundamentum, ut ſimus ſancti, &c.* Sequitur *verſ.5. Qui prædeſtinavit nos εἰς υἱοθεσίαν per Chriſtum.* quis neget ſimul ad fidem, cum hæc nos conſtituat Dei adoptivos? *Joh.1.12.* Quòd ſi Adverſarii pertinaciter inſiſtant ſuæ gloſſæ, dicant nobis, An ſanctificatio Spiritus & fides in pari invicem gradu conſiſtant cauſalitatis, ut ſic dicam, ad Electionem? Si *negent*, ex verbis Apoſtoli pro ſua fide prævisa nihil conficient, quia Apoſtolus connectit utrumque. Si *affirment*, tranſeant in caſtra Pontificiorum, qui non ſolùm fidem, ſed & bona opera referunt inter cauſas Electionis.

B. *De REPROBIS inter Judæos.*

Hactenus egit Apoſtolus de *Electis* inter Judæos. Nunc ſuccedunt REPROBI, ſeu *Rejectanei. Ordo* hic eſt. Apoſtolus indicat,

I. *Qui nam ſint rejecti ex Judæis*, idque tùm

1. *Proponendo*, his verbis:

Verſ.7. *Quid igitur? Quod requirit Iſraël, hoc non eſt adeptus: ſed electi adepti ſunt, reliqui verò occalluerunt.* Verſ.7.

Verba ſunt partim ἐρωτηματικά; partim ἀποκριτικά.

α. *Interrogatio* eſt: *Quid igitur, &c.* Reſpondet ea interrogationi, quæ ſtatim ab initio hujus Capitis *v.1.* occurrebat: *Num igitur abjecit Deus populum illum ſuum?* Sed obſervandum, Apoſtolum, quia in verbis præcedentibus jam confirmaverat quorundam ex Judæis electionem, nunc per συμπέρασμα voluiſſe ſententiam ſuam concludere, in hunc ſenſum: Quia prædicto modo ſecundùm S.Scripturam ſe res habet, quòd Deus non prorſus abjecerit populum ſuum Iſraëliticum; quis ergo mihi nunc litem intendat, docenti de Rejectione Judæorum?.

β. *Reſponſio* diſtinguit inter *Electos* & *Reprobos*.

a. *Electi*, inquit, *adepti ſunt*. Græc. ἡ ἐκλογὴ ἐπέτυχεν, *electio*, pro *electis*, metonymicè, ut adoptionis eorum cauſa & origo inſinuetur. Itaq; electos tantùm Apoſtolus iterum refert inter τοὺς γνησίους, veros Iſraëlitas & Dei fœderatos, ſicuti etiam ſuprà *Cap.9.* Quid autem adepti ſunt? Gratiam & ſalutem æternam per fidem in Chriſtum: quam ſalutem increduli quæſiverunt per juſtitiam Legis.

b. *Reprobos* quod attinet, ſubdit: *Reliqui verò occalluerunt*: ἐπωρώθησαν, *indurati ſunt*, videlicet juſto Dei judicio, quo

vindicavit eorum ἀπιστίαν & ἀπείθειαν. Id patebit nunc ex *verſ. ſeq.* Iſta πώρωσις τῶν λοιπῶν oppoonitur λείμματι τῶν ἐκλεκτῶν, de quo *verſ.5.* & exempla heic ſtatuuntur ſententiæ generalis, quæ ſuprà occurrerat *Cap.9.v.18. Cujus vult, miſeretur; quem autem vult, indurat.*

2. *Confirmando* iterum ex Scripturæ locis,

Jeſ.29.10. & 6.9.10. Verſ.8. *(Sicut ſcriptum eſt: Dedit eis Deus ſpiritum ſoporis: oculos, ut non videant, & aures, ut non audiant) uſq; ad hodiernum diem.*

Pſal.69.23. 24. Verſ.9. *Et David dicit: Fiat menſa eorum in laqueum & tendiculum & offendiculum & retributionem ipſis.*

Verſ.10. *Obtenebrentur oculi eorum, ut non videant: & tergum eorum ſemper incurva.*

Quod *propoſuerat* Apoſtolus de reliquorum, reproborum ſcilicet inter Judæos, induratione, id *evincit* ex tribus Scripturæ locis.

Verſ.8.a. *Primus* habetur *Jeſ.29.10. Nam perfudit vos Jehova ſpiritu ſoporis alti, & obſtipavit oculos veſtros: cum Prophetis etiam primorum veſtrorum prudentiſſimorum* (oculos) *obtexit, &c.* Cum Propheta dicit, *perfudit*, Græc.LXX. πεπότικεν, Paulus dicit ἔδωκεν, *dedit*, ut teſtimonium ſequens huic commodiùs connecteretur. In Hebr. habetur *Ruach tardemah*: quæ vox *tardemah*, ſignificat *altum ſoporem* ſive *ſtuporem*, ex quo quis difficulter poteſt excitari. Sic dicitur *1.Sam.26.12. tardemath Adonai, ſopor Domini* Saulitis immiſſus, id eſt, ſomnus profundiſſimus. Apoſtolus, cum LXX. reddit πνεῦμα κατανύξεως, propriè, *Spiritum compunctionis*, quòd κατάνυξις deſcendat à verbo νύσσω, vel νύττω, pungo, fodico. *Quid autem*, ait Piſcator in hunc locum, *ſi iſti nomen* κατανύξεως *confinxerunt, non tanquam à* κατανύσσω, *compungo, ſed tanquam a nomine* νὺξ *deductum, quaſi dicas obnoctium, ad ſignificandum ſoporem altum, qualis denſiſſimâ nocte eſſe ſolet?* Satìs verò patet, Apoſtolum voluiſſe ex hoc loco Jeſajæ demonſtrare, Judæos à Deo in profundum ſtuporem, ad inſtar alicujus immedicabilis lethargi fuiſſe demerſos. quod jam porrò quoque evincit

verſ.8.b. *Secundus* locus, depromptus ex ejuſdem Prophetæ *Jeſajæ Cap.6. v.9.* ubi ſic legitur: *Tùm dixit* (Dominus) ſcilicet Prophetæ. *I, ut dicas populo iſti: audite indeſinenter, at ne intelligatis, & videte*

inde-

indesinenter, neq; cognoscatis. Verſ.10. *Fac, ut pinguescat cor populi hujus, & aures ejus fac ingravescant, oculiq; ejus fac conniveant: ne videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, seq; convertat, & sanitas obveniat ei.* Sicuti Apoſtolus hunc locum Judæis accommodat, ita alibi quoque Chriſtus ipſe, *Matth. 13.14.* & Johannes Evangeliſta *cap.12.40.* & Paulus iterum alibi, *Act.28.26.*

Obſerv. 1. Quod apud Prophetam Deus Prophetæ in mandatis dat, ut ipſe obduret cor populi; id Paulus hoc *v.8.* Deo ipſi tribuit: ut innueret, Deum hujus judicii, indurationis, inquam, Judæorum, eſſe primarium authorem, & ad illud miniſterio tantùm Prophetæ uſum fuiſſe, ſed ἀνεγκλήτως, ut dicam in *Quæſtionibus.*

Obſerv. 2. Paulum ſubjungere verba, ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας, *usq; in hodiernum diem*, quæ in loco Prophetico non occurrunt. Annotat Calvinus, id factum à Paulo, *ne quis exciperet, olim tantùm impletum fuiſſe vaticinium illud*; voluiſſe autem oſtendere, *non unius tantùm diei fuiſſe, quæ illic deſcribitur, excæcationem, ſed cum inſanabili populi pertinacia usq; ad Chriſti adventum duraſſe.* Malo heic ſentire cum Beza, ut verba præmiſſa ſint parenthetica, videlicet Prophetæ Jeſajæ, hæc ſubjuncta ſint Apoſtoli, ut connectantur nō cum proximis, ſed cum remotioribus *v.7.* in hanc ſententiam: Judæi reliqui occalluerunt ad hodiernum uſque diem, ſicut id jam tempore Jeſajæ Prophetæ factum & conqueſtum eſt.

Tertius locus, à Paulo *v.9.* citatus, deprompius eſt ex *Pſalm.69.* ubi ſic habetur *verſ 23. Sit menſa eorum ante eos pro laqueo, & pro retributionibus, & pro tendicula* (ipſis). *v 24. Obtenebrentur oculi eorum, ut non videant: & fac, ut lumbi eorum jugiter nutent.* Aliquid quidem in loco parallelo Apoſtoli occurrit variationis, de quo nunc poſt alios Viros præſtantes differere non attinet: conſtat interim una ſententia utrobique. Quæ David ibi loquitur de ſuis Hoſtibus per modum non tàm imprecationis, quàm oraculi Prophetici, non tantùm in ſua loquitur perſona, ſed tanquam Typus CHRISTI. Pronunciat ſecundùm Pauli expoſitionem variis verbis allegoricis Hoſtium Chriſti, infidelium ſcilicet inter Judæos, *Verſ.9. & 10.*

1. Deli-

1. Delitias, luxuriam, arrogantiam & securitatem, nomine *Mensæ*.

2. Pœnam, tanquam *ἀντανάκλασις*, respondentem ipsorum petulantiæ, quam variis similitudinibus exaggerat, desumptis 1. à *laqueo*, quo aves capiuntur & irretiuntur: 2. à *tendicula*, quæ feris à venatoribus struitur: 3. ab *offendiculo*, quando in lapidem aliquem impingitur à cœcis, uti suprà *Cap.9.33.* 4. ab iis, quibus *oculi excæcantur*: 5. ab iis, quorum *lumbi & alia* corporis membra *infirmantur*, ut rectè consistere nequeant.

Vers.11.a. III. *Qua de causa Judæi rejecti fuerint à Deo.* Agit Apostolus de *Causis finalibus* Rejectionis Judæorum, & quidem ideo, ne Deus putaretur simpliciter ex odio Gentis eos repulisse, & delectari eorum exitio, quos jam inde ab eorum Patribus cooptaverat in suum fœdus. Hoc enim Apostolus statim *proleptice* iterum & *interrogative* voluit declinare, dicendo:

Vers.11.a. *Num igitur, inquam, impegerunt, ut exciderent?*

Q.D. An nihil aliud Deo fuit in Rejectione Populi sui propositum, quàm eorum ruina? quasi nimirum Deus eâ delectaretur.

Respondet Apostolus negativè, *ibid. Absit.* Ad Negationem suam tuendam profert causas alias, pertinentes partim ad GENTES, partim ad IVDÆOS.

א. GENTES quod attinet, sic porrò loquitur:

Vers.11.b. *Sed per eorum* (Judæorum scilicet) *offensam salus* (obtigit) *Gentibus.*

Indicat, propter Gentes, quæ hactenus fuerant alienigenæ, *Ephes. 2.12.* hanc rejectionem Judæorum contigisse, videlicet ut horum evacuatione gratia fœderis, adoptio & salus illis obtingeret: salvâ interim & illibatâ Dei justitiâ. Neque enim cogitandum est, Deum amore Gentium nocentissimarum, (*Rom. 1.21. & seqq. Eph.2 3 1 Cor.6.9,10,11.*) & odio Judæorum, innocentium, hos repulisse, ut gratiam illis faceret. quod quidem perinde esset, ac si quis Pater affectu pravo odii ductus Filium sine causa vellet repudiare & exhæredare, ut posset in illius locum alium filium Belial, Hominem nequam adoptare, & filio in hæreditate substituere. Nequaquam, sed, ne frustranea esset

esset Dei gratia & Evangelii prædicatio, Judæis quidem primùm impertita, ast majore ex parte infructuosa; ut alibi fructum & efficaciam suam consequeretur. Et hoc respectu, scilicet per accidens factum est, ut ruina Judæorum esset ædificatio Gentium, & *παράπτωμα Judæorum* esset *σωτηρία Gentium*. Quia enim illi se propter suam ingratitudinem, infidelitatem, contemptum & inobedientiam indignos reddiderunt Dei gratiâ; ex Dei justo judicio ea translata est ad Gentes, & porta gratiæ ac fœderis, quam Judæi subintrare recusârunt, Gentibus fuit adaperta, uti docent loca, *Matth 21.43 & 22 9. Act.13 46.*

2. *IUDÆOS* jam quod attinet, Apostolus indicat, Deum pro sua *πολυποικίλῳ* sapientia & admirabili potentia, quâ novit lucem excitare ex tenebris, & operari per contraria, nec non singulari suâ bonitate & misericordiâ, quâ judicia sua solet convertere in beneficia & medicinam eorum, quos punit: Deum, inquam, Judæorum rejectionem, & Gentium in eorum locum adoptionem, convertisse in Judæorum quoque bonum. *Proleptice* iterum Apostolus procedit.

Objicere quis potuisset: An ergo Deus populum Judaicum, propter Gentes in fœdus ascitas, in harum veluti gratiam, & ad earum salutem promovendam, prorsus rejecit & anathemati devovit?

Resp. Apostolus. Nequaquam. Deum potiùs per judicium Judæis immissum, & beneficium Gentibus factum, voluisse Judæorum conversionem & salutem promovere. Considerand. heic,

α. *Propositio* in verbis,

Vers.11.b *Absit. Sed per eorum* (Judæorum) *offensam salus* (obtigit) *Gentibus, ut eos ad æmulationem provocaret.* *Vers.11.b.*

Finem indicat, quem Deus intenderit, Judæos propter incredulitatem repudiando, & Gentes in eorum locum adoptando, videlicet Judæorum erga Gentes *zelotypiam*, cujus impulsu & ipsi ad resipiscentiam & fidem perducerentur. Nimirum id fieri consuevit, ut cùm videmus alios fastidita & contempta à nobis beneficia cum aviditate acceptare; nos zelo aliquo & æmulatione corripiamur ad eadem repetenda. Id apparet in infantibus, qui, si animadvertant cibum ab ipsis neglectum

appeti & arripi ab aliis, hinc ex æmulatione aviditatem aliquam ejus concipiant. Hac de causa olim Jonas Prophera ad Ninivitas missus, ut procuratâ eorum pœnitentiâ Israëlitæ propter suam impœnitentiam pudefierent, & ex æmulatione erga populum Gentilem atque profanum ipsimet ad resipiscentiam excitarentur. Atque sic constat, inprimis ex Historia Actorum Apostolorum, Judæos, postquàm Evangelium translatum fuisset ad Gentes, in magnum exarsisse zelum, cujus occasione & impetu, tantò ardentiùs in doctrinam illam inquisiverunt, & hac ratione tandem, Divinâ adjuti gratiâ, ad fidem pervenerunt.

β. *Confirmatio*, quâ Apostolus Judæorum restitutionem post ipsorum ruinam, mediante Gentium adoptione, hincq; illorum zelotypiâ & æmulatione, confirmat aliquot argumentis.

Argumentum I. petitur ab *utilitate* summa redundante ad ipsas Gentes.

Vers.12. Vers.12. *Quòd si eorum* (Judæorum scilicet) *offensa est opulentia Mundi, & diminutio eorum, opulentia Gentium: quantò magis plenitudo ipsorum?* *Proleptice* iterum Apostolus tractat hoc argumentum.

Objicere quis potuisset: Si hæc sit sententia, ut casûs Judæorum debuerit servire Gentium erectioni & saluti, & illi per æmulationem erga has iterum sint restituendi in integrum: væ ergo tunc nobis Gentibus, quia restitutio Judæorum nostra fiet destitutio, & quorum priùs rejectorum locum & hæreditatem occupavimus, illi restituti nos ex ea iterum extrudent, & fient τὰ ἔσχατα χείρονα τῶν πρώτων.

Respondet Apostolus: Nequaquam. Sed contrarium inde esse colligendum.

Ratiocinatio Pauli à minori ad majus huc tendit.

Si *lapsus Judæorum* tàm salutaris fuit Gentibus, ut occasione illius Gentes in fœdus Dei assumerentur: multò magis *restitutio Judæorum* salus erit Gentium. *Rat.* Nam si *malum*, ex Dei ordinatione & directione, potest promovere bonum; quantò magis bonum, quod suâ naturâ tendit ad salutem eorum, quibus illud contingit. Est enim *illud*, ut annotat Calvinus, *contra naturam*; *hoc naturæ ordine fit*.

Atqui

Atqui lapſus *Judæorum* profuit *Gentibus*, utì dictum.

Ergo multò magìs *Judæorum* reſtitutio. adeóque cùm Deus Gentium ſalutem intendat, non eſt dubitandum, Judæos eſſe reſtituendos.

Obſervatio. Heic probè notandum, Apoſtolum non loqui de ſingularibus perſonis in Gente Judaica, ſed de toto corpore. Et nolo nunc diſputare: An, quemadmodum maximo numero Gens Judaiça fuit à Deo rejecta, & Gentium è contrario multitudo, quam Apoſtolus heic vocat πλοῦτος κόσμου καὶ ἐθνῶν; ſic quoque olim Judæi catervatim reſtituendi & convertendi ſint? Id Deus novit, & fieri, ſi Deus volet, æquè facilè poterit, ac quum Deus Gentium plenitudinem in evacuatam Judæorum ſedem introduxit. *Scopus* tantùm *Apoſtoli* heic intuendus eſt, Judæos non eſſe rejectos penitùs, ſed reſtitutos quoque & reſtituendos ſuis temporibus & locis, ne Dei cum illa Gente pactum prorſus videatur intercidiſſe. Quo modo, progreſſu, numero iſta reſtitutio futura ſit, id commendemus Deo, nec ſapiamus ultra Scripturam. Sed de his fortè plura in ſeqq. Id nunc ſufficiat, quòd Apoſtolus in conſolationem Judæorum expreſsè τῷ παραπτώματι, *lapſui*, & ἡττήματι *diminutioni*; opponat eorum πλήρωμα, *plenitudinem*.

Argumentum II. Apoſtolus deſumit à *Vocatione* & *Miniſterio ſuo proprio.* *Verſ. 13. & 14.*

Verſ. 13. *Nam (quod vobis dico Gentibus, quatenus ego quidem ſum Apoſtolus Gentium) miniſterium meum illuſtro:*

Verſ. 14. *Ut* (experiar) *ſi quo modo ad æmulationem provocem conſanguineos meos, & ſervem aliquos ex ipſis.*

Videtur mihi Apoſtolus ſic velle ratiocinari:

Si ego, qui Judæus ſum, propterea ſum conſtitutus Apoſtolus, ut Gentes, omni adhibito ſtudio, convertendo, poſſim fratres meos Judæos provocare ad æmulationem, de qua jam ſuprà egerat *verſ. 11.* & hac ratione eos lucrifacere & promovere ſalutem ipſorum: tùm dubitandum non eſt de Judæorum quoq; reſtitutione, converſione, ſalute. *Rat.* Quia ſecùs fruſtrà curreret & vocatus eſſet, & fine ſui Miniſterii & Apoſtolatus fruſtraretur. *Propoſitio.*

Atqui verum eſt *Antecedens.* Ego Paulus propterea & in hunc *Aſſumpt.*

Aaa 2

finē ſum ordinatus Apoſtolus,&c. Potuiſſet Deus aliquem ſuſcitare ex Gentilitate. Me autem Judæum,& olim Phariſæum,voluit eſſe *σκεῦος ἐκλογῆς, vas electum, ut Nomen ejus portarem in conſpectum Gentium & Regum*, *Act.9.15.* nempe ut Fratres mei, Judæi, qui noverant me priùs æſtuâſſe atque ferbuiſſe odio Diſcipulorum Domini; æmulatione erga Gentes,tanquam in fœdus Dei & regnum Chriſti aſſcitas,ducti, occaſione hac lucrifierent,& ipſimet converterentur.

Hinc mirari non debetis, quòd me inter vos aliásve Gentes tàm ſtudioſum atq; ferventem exhibeam,docendo & prædicando Evangelium, *λόγῳ τε καὶ ἔργῳ, διὰ γόματ© καὶ μέλαν©*. Hoc facio propter vos & fratres. Propter *Vos* quidem, dum videtis, me miniſterium meum inter vos & alias Gentes illuſtrare & magnificum reddere,non absque inſigni fructu, de quo vobis & mihi gratulor. Propter *Fratres* verò Judæos, ut æmulatione veſtrî & exemplo veſtro cōmoti, in unam Regni Chriſti ſocietatem,quod ſpero,coaleſcant.

Concluſio. Ergo verum eſt quoque *Conſequens*, non eſſe dubitandum de Judæorum reſtitutione,converſione,ſalute.

Argumentum III. deſumit Apoſtolus à fine Reſtitutionis Judæorum, videlicet Gloriâ, non ſolùm miſericordiæ,ſed & potentiæ ac ſapientiæ Dei.

verſ.15. Verſ.15. *Nam ſi abjectio eorum eſt reconciliatio Mundi, quæ* (erit) *aſſumptio, niſi vita ex mortuis?*

Sanè in hac Judæorum reſtitutione præclarè eminent

1. *Potentia* Dei, quia *πρόσληψις ipſorum eſt ζωὴ ἐκ νεκρῶν*, adeóque ſimilis Reſuſcitationi mortuorum. Sicuti enim Gentium adoptio fuit veluti exſuſcitatio ex mortuis, *Epheſ.2.v.1.&c.* imò omnium irregenitorum converſio eſt ſpiritualis ex mortuis ſuſcitatio, *Joh.5.25.* ita quoque Judæorum in tenebris, incredulitate,& impœnitentiâ verſantium illuminatio,converſio,nihil fuit aliud,quàm ſpiritualis aliqua ex morte tenebrarum & peccatorum in vitam novæ lucis & ſanctitatis traductio. Quod,quàm non fieri potuerit ullâ virtute Humanâ, ſed ſolummodò Divinâ, adeóque omnipotente; Apoſtolus alibi docet *Epheſ.1.19,20.* quando oſtendit,ejusdem omnipotētiæ Divinæ virtute factam eſſe Gen-

tium

tium illuminationem & conversionem: quâ facta est resuscitatio Christi ex mortuis.

2. *Sapientia* Dei, quâ Deus novit τὴν ἀποβολὴν, *abjectionem*, in πρόσληψιν, *assumptionem*; τὸ ἥττημα, *diminutionem*, in τὸ πλήρωμα, *plenitudinem* Judæorum convertere, *vers.12,15.* adeóque malum ad bonum, peccatum ad justitiam, per ignoscentiam & veniam; deploratam miseriam Hominum ad eorundem summam felicitatem redigere & convertere. Hinc enim postea emersit *vers.33 &c.* admiratio, exclamatio & concelebratio admirabilis Dei sapientiæ & cognitionis, utì videbitur deinceps.

3. *Bonitas* & *Misericordia* Dei, cujus hoc est argumentum evidentissimum, quòd Deus Judæos, propriâ suâ culpâ & merito abjectos, iterum sit in gratiam recepturus, & in integrum restituturus.

Argumentum IV. & ultimum est desumptum ab *Exemplo Patriarcharum*, verbis seqq. *Vers.16.*

Vers.16. *Quòd si primitiæ sanctæ*, (sancta) *etiam massa: & si radix sancta* (et) *etiam rami.*

Quorum radix sancta, illi ipsi quoque sancti, & per consequens non totaliter & finaliter rejecti, sed restituendi sunt. *Propositio.*

Illustratur similitudine geminâ, desumptâ 1. A primitiis *frugum*, quarum oblatione olim in Veteri Testamento tota frugum massa sanctificabatur, quâ frui poterant toto reliquo anno bonâ cum conscientiâ. 2. Ab *arboris* alicujus radice & ramis. Hæc similitudo optimè quadrat. Radice enim vivâ & sanâ, quanquam rami computruerunt, & truncus usque ad radicem abscissus sit, sicuti de familia Davidis, *Jes.11.1.* fuit prænunciatum; tamen speranda adhuc alia repullulatio, & nova instauratio.

Atqui Judæorum radix, sive origo, sancta, videlicet Patres, à Deo adoptati, in fœdus assumpti, promissionibus præclaris donati, &c. *Assumpt.*

Ergo quoque ipsorum posteri. adeóque non est existimandum, omnes Judæos prorsus à Deo fuisse rejectos, sed locum adhuc esse electis in Gente illa, partim restitutis jam; partim restituendis, sive convertendis in posterum. *Conclusio.*

Aaa 3

QVÆSTIONES,
ex *Cap.XI.verf.1---16.*

Quæst. I. Ex *verf.1,2.* Num fieri possit, ut electi à Deo reprobentur? *Rat. dubit.* Quia Apostolus non videtur negare, Deum aliquo modo *populum Judaicum abjecisse,* de quo tamen dicit, *quòd eum præcognoverit, verf.2.* Excipit quidem semet-ipsum, & nonnullos alios; sed tamen præsupponit, maximam multitudinem Judæorum fuisse à Deo repudiatam.

Resp. 1. Electos & præcognitos à Deo non posse reprobari, indubium est ex aliis locis, *Rom.cap.8.29,&c. Matth.24.24. 2.Tim.2.19.* Omne Dei consilium stat & stabit in seculum, *Psal.33.11. Jes.14.27.*

2. Distinguendum inter electum populum Judaicum, quo nomine venit totum corpus illius Gentis; & inter electas singulares personas in illo populo, & quidem ad salutem æternam. De electis singularibus personis verum est, quod nulla fuerit à Deo abjecta. Corpus Gentis quod attinet communiter, dico, Deum abjecisse & non abjecisse. *Abjecit,* quantum attinet ad incredulos in illa Gente: *Non abjecit,* quantum ad electos, quos Deus convertit & porrò convertere decrevit, uti patet ex *verf.7.*

3. Hinc porrò distinguendum inter Electionem æternam ad salutem, quæ non competit omnibus & singulis in populo Judaico; & inter Electionem temporalem, sive vocationem ad externam fœderis gratiam, quâ Deus populum Judaicum olim separavit à reliquis Gentibus: quale beneficium fuit commune tùm electis, tùm reprobis: in illis quidem propter ἀπιστίαν mutabile & transitorium; in his verò propter collatum fidei & perseverantiæ donum, immutabile, constans, perpetuum.

4. Hinc πρόγνωσις, præcognitio illa populi Judaici, cujus Apostolus facit mentionem *verf.2.* intelligitur quidem de *tota Gente,* sed non de *toto Gentis,* sive singularibus omnibus personis in illa Gente: adeóque non de arcana Electorum ad salutem prædestinatione, sed de externa fœderis cum populo illo olim initi gratia, quæ etiam facta fuit secundùm Dei æternam πρόγνωσιν.

Quæst. II. Quid sentiendum sit de *Prophetis* illis, (*verf.3.*) de quorum cæde Elias apud Apostolum conqueritur, qui fuerunt in Regno Samariæ aut Israëlis; itemq; de *suffossis* & subversis *Altaribus? Rat.dub.* 1. Quia vix videantur post Apostasiam Jeroboamicam, veri Prophetæ in Regno Israëlis vel remansisse, vel à Deo excitati esse. 2. Quia Altaria nulla extra civitatem Hierosolymam, post ædificatum ibi templum, ad quem locum Deus suum cultum & sacrificia adstrinxit, locum habere potuisse.

Resp. 1. Apostaticas X. Tribus post mortem Salomonis sub Jeroboamo Deus non voluit prorsus destituere sanis *Prophetis,* idque propter 7000. sive electas in Regno illo reliquias. Exempla docent *Eliæ* hoc in loco, *Michæ,* 1.*Reg.22.* & aliorum S. Prophetarum. Et nuper recitatum, Obadiam tempore Achabi 100. Prophetas abscondisse in spelunca, & furori Jesabelis ipsorum vitam eripuisse. 2. *Altaria* quod attinet, quanquàm antiquitùs fuerint hinc inde in excelsis erecta, & demùm per restrictionem cultus Divini ad montem Sinai in Vrbe Hierosolymitana antiquata, ut hinc Sancti in Israële non potuerint bonâ conscientiâ per omnia in Altaribus illis sacrificia sua peragere: tamen non est existimandum, Eliæ conquestionem de horum Altarium subversione prorsus fuisse frustraneam. *Ratio* est: quia Idololatræ, quod egerunt, non egerunt

in honorem DEI ISRAELIS, sed potiùs in ipsius contumeliam; dum BAALIM Deo vero prætulerunt.

Quæst. III. Quid sentiendum sit de numero 7000. virorum, (*vers.* 4.) qui non flexerint genua coram Baal?

Resp. Septenarius numerus, ex primo impari, subinde pari, conflatus, in quarumvis rerum recensione est frequentissimus in S. Scriptura. *Genes.* 7.2,3. Deus voluit 7. & 7. ex speciebus animalium mundorum in arcam intromitti. *Levit.* 26.28. Deus interminatur septuplam vindictam transgressoribus suæ Legis. *Psal.* 12.7. *Verba Dei dicuntur esse clariora, quàm aurum septies purgatum.* In *Apocalypsi Johannis* mentio fit *septem Stellarum, septem Spirituum, septem Sigillorum, septem Tubarum, septem Phialarum.* Innumera occurrunt passim loca. Cœlius Rhodiginus *Lib.* 22. *Antiq. Lect. cap.* 2. pluribus de hoc numero septenario disserit. Pythagoricam superstitionem de numeri hujus, ut & aliorum quorundam, arcana virtute & efficacia meritò damnamus. Interim certum est, in Scriptura numerum hunc præ aliis quoad suam σημείωσιν, aliquid habere singulare. De quo διεξοδικῶς nunc non vacat disserere. In loco citato Apostoli 1. *Reg.* 19.18. indubium est, quod in Analysi quoque indigitavi, designari 1. multitudinem, eamque haud exiguam reliquiarum electarum in Regno Israëlis, atque præservatarum à communi Apostasia & Baalitica Idololatria: 2. numerum Deo quidem certum in ipsius consilio, præscientia & prædestinatione; nobis autem incertum.

Hinc verò, ut hoc, ὡς ἐν παρόδῳ, aspergam, colligere facile est, Ecclesiam Dei in his terris totalem eclipsin sive interitum pati non posse. quia sicut Deus Eliæ tempore in Regno Apostatico Samariæ sibi reservavit sua 7000. sicut in populo Judaico, post Christi apparitionem in carne, sibi reservavit suas electas reliquias: ita semper & omnibus temporibus Deum & habuisse, & habere, & habiturum esse suorum electorum uti rationem, ita numerum.

Quærunt Pontificii: Ubi fuerit nostra Ecclesia ante Lutherum, Zuinglium, & reliquos? An tot seculis ante ipsos Ecclesia Catholica exspiraverit?

Resp. Ubi fuit Ecclesia in Regno Apostatico Israëlis X. Tribuum, quum Elias putâsset, se unum residuum mansisse? Si potuit Deus in speluncis, in desertis, &c. sibi reservare 7000. Sanctorum: potuit quoque in Apostatica longo tempore Ecclesia Romana sibi reservare 7000. imò, ut habetur *Apocal.* 14.1. 144000. Sanctorum, qui Bestiam non adorârunt, sed Agnum fuerunt sequuti, & sese à Meretricis Babylonicæ contagione, impuritate & spurcitia immunes præstiterunt. Ostendant nobis Gnathones Pontificii, an minùs hoc fieri potuerit in defectione Ecclesiæ Romanæ, atque id factum fuit olim in defectione Ecclesiæ Israëliticæ?

Si dicant, imparem esse conditionem Ecclesiæ Novi & Veteris Testamenti; demonstrent nobis hoc contrarium hactenus, quòd Ecclesia Novi Testamenti non potuerit, possit aut poterit Eclipsin aliquam alicujus Apostasias perinde pati, inprimis in Gentilitate, quæ tàm ingratam se erga Evangelium exhibet: atq; Ecclesia, populus, inquam, Judaicus in Veteri Testamento, ut lucem acceptam possit amittere, in tenebras abscondi, & veluti præda fieri hæreticorum & tyrannorum hujus seculi?

Scio, hoc esse ἀναμφισβήτητον scitum in Ecclesia Romana, quæ, Babylonis instar, gaudet & dicit, se sedere semper absque ulla viduitatis suæ cura, metu, sollicitudine: interim verum est, quod dico paucis: Sicut defecit Regnum Samariæ, Israëlis, atque in eo Ecclesia à vero Dei cultu; ita defecit hactenus Ecclesia Romana à vero Dei cultu. Sicut Deus in Regno Apostatico Israëlis habuit suum Eliam, Prophetas, imò 7000. verorum cultorum; ita Deum in Regno Antichristi sibi reservâsse suos duos testes, *Apoc.* 11.3,4. & innumera agmina verorum Evangelii confessorum, qui non solùm corde veritatem cognoverunt, sed & ore fuerunt professi, & sanguine suo passim locorum in Gallia, Anglia, Belgio, Germania, Hispania, Italia, aliisve in locis, obsignârunt.

Quæst.

Quæst. IV. Recténe *gratia & opera* à Paulo sibi invicem opponantur. (*vers.6.*) hincque Pontificii possint valide refelli, qui gratiam commiscent cum meritis operum? *Rat. dub.* Quia 1. Paulus videtur loqui non de omni gratia, sed de gratia primæ conversionis. 2. Quia opera post conversionem sint effecta gratiæ, Ergo non opposita.

Resp. Pontificiorum distinctiones sunt nullius momenti. *Ration.*

1. Paulus loquitur de reservatione electorum inter Judæos tali, quâ ipsi non solùm respectu *primæ conversionis*, sed & illius *progressus & complementi* sint salvandi, & à communi reliquorum exitio eximendi. Atqui hanc reservationem attribuit soli DEI gratiæ secundum electionem, *vers.5.* Non ergo est dicendum, gratiam hanc electivam tantum respexisse primum actum conversionis ipsorum; sed λῆμμα pertinet ad totum opus & beneficium salutis eorum, quoad *principium, medium, & finem.*

2. Pontificii ne quidem gratiæ soli locum concedunt in prima Hominis conversione, sed partiuntur hoc opus inter Deum & Hominis convertendi liberum Arbitrium: imò majores partes huic tribuunt, quàm gratiæ Divinæ, quia ultimam & postremam causalitatem, ut sic dicam, adeóque virtutem & efficaciam conversionis Hominis, relinquunt voluntati Hominis, ad amplectendam vel respuendam gratiam.

3. Si opera bona post conversionem sunt effecta gratiæ, non possunt ergo, quà merita, cum gratia Dei conciliari. Scimus, gratiam & opera per se non pugnare, quia opera sunt gratiæ effecta. Quòd si vero *Opera* considerentur ut *merita*, (uti quidem volunt & jactant Pontificii) hactenus & hoc respectu è diametro pugnant cum gratia. *Gratia* enim nomen nihil relinquit Homini, de quo gloriari possit, sed omne καύχημα tribuit Deo. *Meritum*, quod affingitur operibus, quantum arrogat Homini, tantum derogat Deo, & ipsius gratiæ. *Ration.* 1. Quia opera sunt debita. 2. Quia quicquid *meriti* nomine jactari posset est donum Dei immeritum. 3. Quia sunt imperfecta & maculis polluta, uti antehàc sæpe dictum.

Quæst. V. Nunquid possit ex *vers.7,8.* concludi, Deum esse peccati authorem? *Rat. dubit.* Quia 1. (*vers.7.*) dicuntur reprobi ex Judæis esse indurati. 2. Postea *vers.8.* ex Propheta Jesaja demonstratur, *spiritum soporis, cæcitatis & surditatis eis inditum.*

Resp. Quando Lutherus, Calvinus, Beza & alii nostrorum Theologorum ita cum Paulo & Scriptura S. loquuntur, commoventur contra eos omnia tonitrua calumniarum & blasphemiarum, quasi scilicet Deum constituant authorem peccati, qui prædestinaverit majorem Hominum partem ad peccatum & hinc ad damnationem: hacque de causa & fine ipsos excœcet atque induret. Existimo, jam suprà consimiles calumnias fuisse profligatas. Nunc tamen porrò ad innocentiam nostram, quæ est PAULI ipsius, tuendam, sequentia propono.

1. *Reprobationem* & eligentis gratiæ denegationem non posse esse ullam causam peccati in Reprobis, nisi velis dicere, esse causam *deficientem*, non *efficientem*. *Ratio* est: quia ista non electio, sed reprobatio, cadit nequaquam in Homines suà naturâ eligibiles; sed propter congenitam pravitatem & peccatum reprobabiles, adeò ut ne infantibus quidem, tanquàm in peccato conceptis, (quales fuerunt gemelli in utero Matris, Jacob & Esau, *Rom.9.11,13.*) possit dici aliqua facta injuria.

2. Induratio, immissio spiritus soporis, excœcatio, &c. Deo non adscribuntur tanquam authori peccati, seu mali culpæ, sed tanquam justo Judici & vindici eorum, qui gratiam oblatam petulanter respuunt: quales fuêre & etiamnum sunt Judæi, de quibus Apostolus in prædicto loco disserit. Sic legimus, v.g. 1.*Reg.22.21,22.* quòd Deus immiserit Achabo Spiritum malum, ut per os Prophetarum mendacium Tyrannum impelleret, ex justo nimirum judicio, ad bellum contra Regem Syriæ, quod ipsi fuerat

fatale

fatale & funestum. Hæc ergo fuerat pœna justa contempti Verbi Dei. Saul Rex,& alii consimiles idem sunt experti.

3. Hinc porro ista excœcatio & induratio Reproborum non est intelligenda sic; quasi Deus ipsorum vel mentes à luce ad tenebras, vel corda à bono ad malum, præter ipsorum cogitationes,motus, multò minùs meritum,flecteret; vel etiam mali alicujus infusione ad peccatum sollicitaret. Scimus, contrarium dicere S.Scripturam, inter alia Jobum *cap.*34.11,12.*&c.* *Jac.cap.*1.13. Sed quod agit heic Deus,id agit α. defectivè,denegando, vel etiam subtrahendo, quod contulit gratiæ, reprobis. β. Eos sibimet-ipsis & cupiditatibus suis relinquendo, *Rom.*1.24. γ. In Diaboli,ejusque Ministrorum, à quibus magis,quàm à Verbo suo pendere volunt, potestatem tradendo, quod quidem Christus disertè Judæis significavit,*Joh.*8.42,43,44.

Quæst. VI. An liceat nobis imprecari mala, (ex *vers.*9,10.) exemplo Davidis?

Resp. 1. Exemplum Davidis non est regulare, sive ad communem regulam trahendum. quia ipse Spiritu Prophetico actus fuit, cujus donum non est commune & ordinarium, sed extraordinarium & singulare. Hinc quoque ipsius verba non tàm fuerunt *imprecativa*,quàm *prophetica* & denunciativa judicii Dei superventuri improbis; & quidem iis,de quorum resipiscentia nullam poterat concipere spem. 2. Alia est nostri ratio. De quibusvis benè sperandum, pro omnibus orandum, media omnia ipsorum conversionis & salutis tentanda,quantum in nobis est. 3. Licet tamē in genere omnes, quos Deus reprobavit, in suo, quantumvis nobis abscondito consilio, ejus judicio devovere. 4. Imò si quis reprobæ suæ mentis signa aut indicia nobis præbeat, contemptis petulanter,malitiosè & perseveranter omnibus remediis, quibus possit lucrifieri, atque in viam tùm fidei,tùm vitæ Christianæ perduci: dico, nos talem tanquam desperatum Hominem posse,cum Davide,judicio Dei commendare.*Tit.*3.10. 5. Semper tamen debet heic abesse affectus aliquis sinister iræ,odii,vindictæ,& zeli alicujus sinistri aut præposteri.

Quæst. VII. Quid hoc sibi velit, quòd Paulus *vers.*11.dicat,hunc in Judæorum abjectione non fuisse scopum, ut Judæi prorsus exciderent, scilicet ex fœdere; sed ut per hoc medium (excisionis scilicet quorundam) Gentibus janua aperiretur ad vacuum locum Judæorum occupandum? *Rat.quærendi* hæc extat. 1. Quia videtur Deus longè benigniore & propinquiore affectu *Judæis*,quàm *Gentibus* addictus esse, & veluti meritoriam aliquam dignitatem Judæis præ Gentibus adscripsisse; cùm tamen Paulus hoc ipsum *vers.*5,6.*&c.* negâsse videatur. 2. Quia alibi Judæis,quoad ipsorum adoptionem præ Gentibus, ne minimum quidem conceditur. *Deut.*7.*v.*6,7,8.

Resp. 1. In tanto hoc mysterio nihil indulgendum rationi nostræ Humanæ, sed cogitandum, Deum omnia egisse,& agere etiamnum,& acturum esse pro suo beneplacito sapientissimo & justissimo. 2. Quòd Abrahamum cum sua sobole elegit olim & adoptavit in fœdus, fuit liberi ipsius & gratiosi beneplaciti. Abraham nihil commeritus fuit,tanquam ex cœno & colluvie Idololatrarum extractus.*Jos.*24.3. Ipsius posteri nihil commeruerunt præ aliis Gentibus. *Deuter.*7.7. Pura,puta,indebita,immerita gratia in istius populi vocatione, conservatione, propagatione, defensione usque ad Christi adventum in Carnem,eluxit. 3. Jam ergo,quòd post Christi patefactionem in Carne, qui ex ipsis natus,inter ipsos educatus,vixit,docuit,& mortuus est, ipsi propter suam incredulitatem fuerunt excisi: hoc quoque non nisi justo Dei judicio est acceptum ferendum. 4. Itaque quòd eorum excisio postmodùm occasio fuit adoptionis Gentium,

quasi videlicet, si Judæi Christum acceptâssent, ipsi mansissent in fœdere, & Gentes in perpetuum exclusæ fuissent, non est cogitandum. Deus Opt. Max. pro sua incomprehensibili sapientia, solet quævis mala vertere in bona, ad gloriam Nominis sui. 5. Hæc nunc sequentia ex Pauli sublimi Doctrina sufficiant.

α. Quòd DEUS factus sit Abrahami & omnium ipsius posterorum DEUS per fœdus prorsus gratuitum: cùm potuisset æquè cum alio aliquo nequissimo Homine fœdus inire, quàm cum ipso: quippe qui potuisset Ismaelem præferre Isaaco, imò Isaacum nunquam concipere aut nasci permittere, præcipue ex matre effœta & sterili: qui etiam potuisset Esavum primogenitum anteferre Jacobo fratri gemello, &c.

β. Quod Deus ita Abrahami & Israelis semen elegerit & adoptaverit, ut tamen, etiam durante Veteri Testamento, satis testatum fecerit, gratiam suam non esse ita ad ipsius familiam adstrictam, quin possit pro sua libera voluntate & beneplacito accersere, quos velit, ex omnibus Mundi partibus, sicut Christus etiam vaticinatus, *Matth.* 8.11.

Quæst. VIII. Cur dicat Apostolus *vers.* 14. sibi in suo Apostolatu propositum esse, *aliquos ex Judæis servare*? *Rat. dub.* Quia *salvatio* videtur esse opus solius Dei, & Christi, ceu Servatoris.

Resp. Apostolus non loquitur de salutis ἐνεργείᾳ, seu principali effectione, quæ est solius Dei & Christi; sed ὑπουργίᾳ, seu διακονίᾳ, sive ministerio, per annunciationẽ Evangelii: quo sensu etiam alibi dicit, se Corinthios genuisse in Christo, quia illi, Dei interim solius virtute, per Evangelium, quod Paulus ipsis annunciaverat, fuerãt ad Christum conversi. Sic porrò dicit 1. *Corinth.* 9.22. *se omnibus omnia factum, ut servaret aliquos.* Hinc autem non sequitur, externæ Verbi prædicationi vim aliquam salvificam esse infusam, quæ hæreat in sono, vocibus, syllabis, quod volunt hodierni carnales Matæologi. Sic enim gratia salvifica per aures penetraret in omnium Auditorum corda, quorum tamen major pars frustraneam audiendo Verbo impendit operam. Nempe *Spiritus vadit, quò vult. Joh.* 3.8. nec *Fides est omnium*, 2. *Thessal.* 3.2. sed eorum tantùm, *quibus datum est nôsse mysteria Regni cœlorum*, *Matth.* 13.11. videlicet *electorum*, *Rom.* 11.7. *Tit.* 1.1. *Act.* 13.48. Eâdem phantasiâ solent signatam gratiam signis externis sacramentalibus sic alligare, ut, quotquot signa percipiunt, fide licet destituti, simul signatorum fiant participes. Qui hoc ipsorum ψευδολόγημα non admittit, is Ministerii authoritatem convellere & efficaciam evacuare dicitur. quasi vero Ministerii dignitas & virtus debeat committi cum Dei authoritate & gloria: & quasi ipsi non meliore dicâ possent argui sacrilegii, quando, quod Dei & Domini solius est, transscribunt in Homines & servos. Longe secius Apostolus hac de re sensit & pronunciavit 1. *Cor.* 3. *v.* 5, 6, 7.

Quæst. IX. An Parentum sanctitas sit hæreditaria & transitiva in liberos, eosque omnes? *Rat. quær.* Quia Apostolus dicit *vers.* 16. *Si radix sit sancta, etiam rami*: & alibi, 1. *Cor.* 7. *v.* 14. *Liberos fidelium* dicit *esse sanctos*. *Rat. dubit.* Quia sic videtur negari peccatum originale, contra loca, *Psal.* 51. *v.* 7, 8. *Job.* 14. *v.* 17. *Joh.* 3. *v.* 6.

Resp. Distinguendum inter *sanctitatem inhæsivam* & *relativam*, quam vocant *fœderalem*. *Illa* non est hæreditaria & transitiva in liberos, sed tantùm *peccatum*, quod etiã à Parentibus fidelibus derivatur per generationẽ carnalem in liberos. *Ratio* est, quia generatio hæc est *natura*, & conjunctam habet concupiscentiam inquinatam & inquinantem. *Sanctitas* autem *inhæsiva* est solius *gratiæ*. *Alteram* quod attinet, scil. *relativam*, quæ ab externa fœderis gratia dependet, quâ videl. liberi fidelium Parentũ propter promissionem fœderis, & ipsi censentur esse in familia Dei & gremio Ecclesiæ, est utique hæreditaria.

ditaria & transitiva. *Genes.17.v.7. Act.2.v.39*. Et de hac loquitur Apostolus *vers.16.*

Object. Quomodo autem promiscue hoc de omnibus Judæis dici potest, cùm Apostolus paulò ante Judæorum majorem partem non in fœderatorũ, sed rejectaneorum catalogum retulerit, *vers.7--10.*

Resp. Distinguendum iterum inter *totam Gentem*, seu Corpus populi Judaici, quod prædicto modo dicitur sanctum, aut fœderatum, tanquam olim separatum à Gentibus non fœderatis, & *totum Gentis*, sive omnia & singula individua atque personas in Gente illa. Apostolus *vers.10.* loquitur de *tota Gente*, non de *toto Gentis*, in quo toto major pars propter incredulitatem fuit rejectanea, atque excisa e fœdere: electis interim, ut habetur *vers.7.* servatis & suo quoque tempore proporrò servandis.

PARS II. CAPITIS XI.

TRANSITIO. *Hactenus* tractata fuit ex Capitis hujus *Parte prima* CONSOLATIO, in gratiam IUDÆORUM, ne putaretur tota ipsorum Natio, propter adoptionem Gentium, prorsus fuisse à Deo abjecta, & sic Fœdus Dei, cum ipsorum Patribus olim initum, penitùs exspirâsse & sepultum fuisse. *Nunc* sequitur *altera* Capitis *Pars*, EXHORTATIO, propter GENTES, quales fuerant Romani, huc tendens, ne suæ adoptionis ac vocationis, & Judæorum rejectionis intuitu, cristas sibi sumerent, & vel superbirent, vel securitati sese manciparent.

Occurrit heic tùm

ℵ. PROPOSITIO in verbis seqq.

Vers.18.a. *Ne gloriare adversùs ramos.* *Vers.18. & 20.*

Vers.20.b. *Ne effertor animo, sed metue.*

Summa est: ne Gentes, adoptionis & vocationis suæ, è contrario verò rejectionis Judæorum respectu, sese efferant, & non solùm miseris Judæis insultent, sed etiam in posterum omnem sibi securitatem, &, licèt gratiâ acceptâ abusi fuerint, impunitatem polliceantur.

Necessitas hujus *Admonitionis* colligi potest ex consideratione tùm *Judæorum*, tùm *Gentilium*. 1. *Illorum*, quia quotidie cœcitas & infidelitas eorum, cum persequutione aliorum fidelium, crescebat. 2. *Horum* vero, quia è contrario Evangelii doctrina & prædicatio, cum magno pœnitentiæ & fidei fructu, de die in diem apud eos in toto Mundo suum quoque incrementum acceperat, ut patet ex locis *Rom. 1.8. & 15.19. Col.1.6.* Hinc non dubium, fuisse tunc multos (uti hodiè quoque fieri solet) inter Romanos aliosque, qui gratiâ vocationis, doctrinâ Evangelii, & judicii Dei in Gente Judaica animadversione; abusi fuerint ad superbiam, securitatem & totius Gentis Judaicæ contemptum & detestationem.

3. CONFIRMATIO, quæ continet varias *Rationes* & *Argumenta*, desumpta à consideratione tùm *Gentium*, tùm *Judæorum*.

A. *A consideratione* GENTIVM.

Apostolus demonstrare vult, GENTES nullam habere justam causam, vel suæ vocationis & adoptionis, vel Judæorum rejectionis intuitu, superbiendi. Hanc *Confirmationis* partem Apostolus

I. *Incipit* κατασκευαστικῶς, per probationes verbis seqq.

Vers. 17. & 18. Vers. 17. *Quòd si nonnulli rami defracti sunt, tu verò, quum esses oleaster, insitus es pro ipsis: & particeps radicis ac pinguedinis oleæ factus es:*

Vers. 18. *Ne gloriare adversùs ramos. quòd si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te.*

Observetur, Apostolum his verbis suas rationes proferre involutas similitudine, desumptâ ab Arbore aliqua, ac nominatim *Olea*, ex qua rami quidam, tanquam infrugiferi evellantur, ut alii magis frugiferi ei inserantur. *Occasio* fuit Apostolo ex proximo *v.16.* quando dixerat: *si radix sancta est, etiam rami.*

Εἰσαγωγῆς loco pensitandum, quid Apostolo significet

1. *Olea*. Intelligitur Ecclesia vetus, quam Deus collegit olim ex Gente & familia Abrahæ, per fœdus cum Abrahamo ejusque semine initum, cujus fundamentum fuit CHRISTVS, ut patet ex collatione locorum, *Genes. 12.3. & 22.18. & Gal. 3.16.*

2. *Rami*. Tales heic occurrunt dupliciter,

α. *Naturales*. Hi sunt *Judæi*, quos primùm Deus assumpsit in fœdus, neglectis aliis Gentibus. *Deut. 4.7.8. & 7.6.7.8. Psal. 76.2,3. & 147.19,20. &c.* sed postea majore ex parte propter eorum ἀπιστίαν repudiavit, & stolonum instar putridorum atq; inutilium, utì fieri solet in Arboribus, ex fœderis societate extrusit.

β. *Peregrini*, adscititii, quales fuerunt *Gentiles*, quos Deus in locum excisorum implantavit.

Ἐργασία jam hujus *Confirmationis* Paulinæ sequitur, quâ demonstrat argumentis & rationibus sequentibus: Gentiles vocatione & adoptione suâ non debere abuti ad ullam arrogantiam.

Rat. 1. Quia non omnibus Judæis rejectis sint assumpti. Ideò dicit: *Quòd si nonnulli rami defracti sunt, &c.* indicans, non solos

Gen-

Gentiles conversos stare in arbore aut olea, fœdere, inquam, Ecclesiæ, Christo; sed simul cum ipsis reliquias Judæorum, de quibus antea loquutus fuerat, inprimis *v.5.* imò tales adhuc suam præ Gentibus tenere prærogativam, tanquam tempore, fœdere & gratiâ ipsis in olea priores.

Rat. 2. Quia sint insiti præter meritum. Comparat enim eos *Oleastris, v.17. Tu, cùm esses oleaster, insitus es pro eis.* Sic *α.* vult metaphoricè adumbrare miseram Gentilium conditionem ante ipsorum conversionem & adoptionem, quippe qui Oleastris similes ex maledictis Majoribus oriundi, toti erant sylvestres ingenio, vitâ, moribus, *Ephes.2.v.1.& seqq.v.12.&c.* ut de suo pristino statu cogitantes nihil possint invenire, nisi humiliationis materiam. *β.* Apostolus videtur, ad eos magis deprimendos, voluisse insinuare, quòd, cùm ad Arbores maritandas Arboris sylvestri trunco vulgò solent inseri & implantari frondes, & ramusculus aliquis bonus, decerptus ex Arbore aliqua frugifera; in hac Gentium adoptione contrarium factum sit: quia, cùm fuerint prorsus sylvestres, infrugiferæ, maledictæ, Deus eas implantaverit, præter omne meritum, Oleæ & Arbori ab antiquis temporibus benedictæ, frugiferæ. Quam ergo ipsi possint ex hac sua vocatione gloriationem venari?

Rat. 3. Quia quicquid in Gentilibus resideat boni, id non sit ipsis *οἰκεῖον*, aut ab ipsis, sed ab *Olea*, in quam insiti fuerunt, adeóq; ex gratuito Dei fœdere, fundato in CHRISTO. Hinc pergit Apostolus *v.18. Si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te.* Scimus autem, quid Apostolus alibi dicat, *1.Cor.4.7. Quis te ab aliis discernit? Quid habes, quod non receperis? Quòd si accepisti, quid gloriaris, quasi non receperis?*

Simul autem heic mutabilitas conditionis & gratiæ præsentis Gentilibus proponitur, quæ debeat esse humilitatis incitamentum, & superbiæ repagulum. quia cùm sint tantùm insititii, facilè possint iterum à radice exscindi. Sed de hoc mox postea.

II. *Continuat ἀνασκευαστικῶς*, per *Confutationem* aliquam *Objectionis* tacitæ.

Vers.19. *Dices igitur: Defracti sunt rami, ut ego insererer?* *Vers.19.*

Verſ.20. Verſ.20. *Benè.per incredulitatem defracti ſunt; tu verò per fidem ſtas.*

Objicere potuiſſet aliquis Gentilium: Quicquid demùm ſit, ego fui Judæorum loco adoptatus, & placuit Deo, me fœderi, olim cum ipſis & Majoribus eorum inito, inſerere. Ergo prærogativâ hâc jam gaudere poſſum præ Judæis, & Deus majus habet nunc in me beneplacitum. *v.19.*

Reſpondet Apoſtolus dupliciter:

1. Per *συγχώρησιν*, *Conceſſionem*. Concedit enim, *α. Judæos*, tanquam ſtolones, fuiſſe defractos, dicens *v.20. Καλῶς, benè.* Q.D. Omninò ita ſe res habet. *β. Gentes* in ſtationem Judæorum accitas: *Tu verò ſtas, v.20.* id eſt, tu nunc æquè verſaris in fœdere, atque olim Judæi.
2. Per *αἰτιολογίαν*, ſeu redditionem cauſæ utriusque, tùm
   - *α. Effractionis Judæorum*, quam dicit fuiſſe *τὴν ἀπιστίαν*, *v.20. a. Per incredulitatem*, inquit, *defracti ſunt.*
   - *β. Inſitionis Gentium*, quam dicit eſſe *Fidem*, (intellige non *effectivè* aut *meritoriè*, ſed *organicè*, *verſ.20.b. Tu verò per fidem ſtas*)

Apoſtolus ſic inſinuat, utì cauſa Rejectionis Judæorum fuerit juſta & meritoria, videlicet infidelitas & contemptus Evangelii; ſic vocationem & adoptionem Gentium merè gratuitam eſſe, ut propter illam nequaquam debeant ſibi-ipſis arroganter placere, inſoleſcere & miſeris Judæis inſultare. *Rat.* Quia per fidem ſint oleæ inſiti. quæ fides, uti ſupra pluribus diſcuſſum, excludit prorſus omnem præſumptionem & jactantiam dignitatis & meriti, tanquam indicium tùm miſeriæ totius Generis Humani; & organum apprehenſivum ſolius indebitæ & immeritæ gratiæ Dei in ſolo CHRISTO IESV.

III. *Finit & conſummat παραινετικῶς*, per modum *dehortationis*,

Verſ.20.b. & 21. Verſ.20.b. *Ne effertur animo, ſed time.*

Verſ.21. *Nam ſi Deus naturalibus ramis non pepercit*, (vide) *ne tibi quoq; non parcat.*

Q.D. Noli, ô Gentilis, quiscunque ſis, propter tuam adoptionem & vocationem ſuperbire. Involvit autem ſimul *Rationem*, & argumenta numero IV. in collatione cum præcedentibus à periculo abje-

abjectionis Gentium, *v.21.* per comparationem Minoris, in hanc sententiam:

Si Deus naturalibus ramis (*Judæis*, ab Abrahamo & Israële, quibuscum primitùs fœdus fuit initum, descendentibus per generationem naturalem,) non pepercit (eos ex fœdere suo extrudendo): poterit tibi quoque (Gentili) ex indebita gratia in rejectorum locum insito non parcere, sed te extrudere.

Atqui Antecedens est verum. Deus enim Judæis, naturalibus licèt ramis, non pepercit, sed ex fœdere eos ejecit.

Ergo verum quoq; est Consequens: idem scilicet tibi Gentili, in casu tuæ arrogantiæ, præsumptionis, securitatis, exspectandum venit.

3. CONCLVSIO sequitur hujus primæ *Αἰτιολογίας*, quâ reprimitur *Gentium* insolentia atque arrogantia contra *Judæos*, petita à consideratione gratuitæ ipsorum vocationis & adoptionis, in locum rejectorum Judæorum.

Vers. 22. *Vide igitur benignitatem ac præcisam sententiam Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem; in te verò benignitatem, si permanseris in benignitate: alioquin & tu exscinderis.* *Vers. 22.*

PAVLVS in his verbis

1. *Revocat* Gentes ad meditationem tùm *Justitiæ* Dei erga Judæos infideles, quando meminit *τῆς ἀποτομίας, severitatis in eos, qui ceciderunt*: tùm *χρηστότητος, benignitatis erga fideles.*
2. *Admonet* ad perseverantiam, cum interminatione pœnæ. *Si permanseritis in benignitate: alioquin & tu exscinderis.*

B. *A consideratione* IVDAEORVM.

Vnam jam rationem Apostolus pertractavit, quâ Gentes in Regnum Christi assumptas revocaret ab arrogantia, & incitaret ad humilitatem, quæ desumpta fuerat à gratuita ipsorum vocatione & adoptione. Sequitur nunc *altera*, desumpta a *consideratione Judæorum.* Docet enim Apostolus: quanquam Judæi sint à Deo majori ex parte rejecti, tamen Rejectionem eorum nec totalem, nec finalem esse, ut hinc Gentes non habeant causam ipsis superbè insultandi. quem scopum apertè Paulus postea indicat *vers. 25.* dicens: *ut ne sitis* (scilicet vos Gentes) *apud vosmet-ipsos sapientes.* Itaque Argumentum hoc desumptum est à *Judæorum Restitutione* in integrum. Apostolus id.

I. *Proponit* in verbis

Verſ.23.a. Verſ.23.a. *Sed & illi, ſi non permanſerint in infidelitate, inſerentur.*

Indicare vult, Judæorum Gentem non eſſe præcisè citra omnem ſpem reſtitutionis abjectam, ſed ſperandum eſſe, eam in Oleam iterum implantandam, è qua fuerat per incredulitatem exciſa. Addit tamen conditionem, *ſi non permanſerit in infidelitate.* quod non fruſtrà dicit, aut in incertum aliquem eventum; ſed ſubinnuere vult, Judæos iterum ab infidelitate liberandos & convertendos eſſe.

II. *Probat* hoc ipſum Apoſtolus argumentis, petitis à conſideratione tùm *Potentiæ*, tùm *Voluntatis* Dei.

א. *Potentiæ* meminit, quando dicit,

Verſ.23.b. & v.24.a. Verſ.23.b. *Potens enim eſt Deus eos rurſum inſerere:* nimirum tanquam omnipotens, *qui vocat ea, quæ non ſunt, ut ſint, Rom.4.v.17.* & qui novit *vitam aſſumere ex mortuis*, ut ſuprà *verſ.15.* dixerat.

Confirmat idem ex *Comparatis* à minoribus.

Verſ.24. *Etenim ſi tu ex naturali exertus es oleaſtro: & præter naturam inſitus es in veram oleam: quantò magis ii, qui naturales ſunt, inſerentur propriæ oleæ.*

Senſus eſt: Si Deus vos Gentes potuit inſerere, cur non Judæos. *Ratio.* Quia

1. *Vos (Gentiles)* fuiſtis *oleaſtri* ſylveſtris rami, & præter naturam in oleam inſiti, cùm verſaremini in horrendis tenebris, cœcitate, & deteſtandis abominationibus, de quibus ſuprà egerat Apoſtolus *Cap.1.* quod etiam alibi docet exemplo Corinthiorum, *1.Cor.6.v.9,10,11.*
2. *Ipſi* autem (*Judæi* ſcilicet) ſunt rami & palmites naturales, quia in *Olea*, id eſt, Eccleſia, quam olim ſibi Deus plantaverat & collegerat, nati & educati.

Jam autem minùs eſt credibile, & minùs videtur poſſibile, ſylveſtres frondes inſeri, quàm naturales. Cur enim non citiùs fructificaret per inſitionem frons ex arbore frugifera decerptus, quàm frons ex arbore aliqua ſylveſtri?

ב. *Voluntatem* dehinc quoque exponit. Potuiſſet enim quis regerere. Poteſt id quidem Deus, quod dicis: ſed unde conſtat de ejus voluntate? *Voluntatem* ergo nunc quoque porrò Apoſtolus

a. Pro-

α. *Proponit*, dicens

Vers.25. *Nolim enim vos ignorare, Fratres, mysterium hoc, (ut ne sitis apud vosmet-ipsos sapientes) obdurationem ex parte Israëli evenisse, quoad usque plenitudo Gentium introierit.* *Vers.25.& v.26.a.*

Vers.26.a. *Et ita totus Israël servabitur.*

Sensus est: Non debetis existimare, quasi rem aliquam, videlicet de restitutione Judæorum, vobis proponam, tanquam veritati minùs consentaneam. Ipsissimam scribo veritatem, quòd Deus Gentem Judaicam non omnimodè, id est, vel totaliter, vel finaliter abjecerit, sed quòd ea iterum sit restituenda. Heic autem Apostolus indicat,

1. Hoc esse *Mysterium* quod nunc nec ratio, nec sensus possit comprehendere. Tunc enim res Judæorum passim ruebant in deterius, ut salus eorum videretur desperata. Itaque nomine *Mysterii* scandalo voluit occurrere, & indicare, id fide esse apprehendendum.

2. Quod *Mysterium? Obdurationem*, adeóque rejectionem *ἀπὸ μέρους, ex parte Israëli evenisse. Ex parte*, inquam, id est, neque totaliter, neque finaliter. *Quousque* ergo? *ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰσέλθῃ.* Per *πλήρωμα, plenitudinem*, intelligit multitudinem sive catervam innumeram Gentium vocandarum, illuminandarum & convertendarum.

Addit: *Et sic totus Israël servetur.* Non id vult esse hoc *mysterium*: quòd, sicut Gentes cum plenitudine in Ecclesiam & Regnum Christi introierunt; sic post hunc ingressum Judæi pari plenitudinis mensurâ sint ingressuri: sed per *totum Israëlem* intelligit totum Ecclesiæ corpus compositum & coadunatum tùm ex Judæis, tùm ex Gentibus, utì alibi quoque *Gal.4.26. Hierosolymam, quæ sursum est*, vocat *Matrem omnium nostrûm.*

Summa est: *Πώρωσιν* contigisse Genti Judaicæ, ut in locum Judæorum effractorum succederent Gentiles, & sic *totus Israël*, id est, Regnum Christi consummaretur, quod non debuit terminari & coarctari in Gente Judaica, sed effundi & dilatari in totum Orbem. Hinc autem sequitur, Gentium plenitudine factâ Judæos iterum restitutum iri: quia Deus Judæos ex Olea exscin-

dendo, non tàm quæsivit eorum exitium, quàm Gentium implantationem.

Vers.26. & 27. β. *Confirmat*, quod dixit de Judæorum restitutione,

1. *Testimonio* Scripturæ.

Jesa.59.20. Vers.26.b. *Sicut scriptum est: Veniet ex Sion ille vindex, & avertet impietates à Jacob.*

Jerem.31. 33.34. Vers.27. *Et hoc est illis à me pactum: quum abstulero peccata ipsorum.*

Respicit Apostolus duo Oracula.

Primum habetur *Jesa.59.v.20. Adveniet Zijoni vindex, & conversis à defectione in Jacobo, dictum Jehova.* Vbi promittitur Redemptor Zijoni, qui sit aversurus impietates à Jacobo, adeóque etiam infidelitatem, quæ radix est impietatis. Insinuatur ergo, Judæos non semper in infidelitate perseveraturos, sed convertendos.

Alterum occurrit *Jer.31.v.33. Hoc est illud fœdus, quod pangam cum domo Israëlis post dies hos, dictum Jehova: Indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inscribam eam, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Vers.24. Et non docebunt ampliùs quisq; amicum suum, & quisq; fratrem suum, dicendo; Cognoscite Jehovam: nam quotquot erunt, cognoscent me à minimo eorum usq; ad maximum eorum, dictum Jehova: condonabo iniquitatem ipsorum, & peccati ipsorum non recordabor ampliùs.* Apostolus noluit totum locum citare, sed mentionem tantùm faciens *ablationis peccatorum*, summam totius Oraculi voluit comprehendere. Quanquam sint, qui putent, Apostolum allusisse ad alium locum, qui extat *Jes.cap.27.v.9. Hoc pacto removebitur iniquitas Jacob, & iste erit universus fructus, ut removeat peccatum ejus, &c.*

2. *Ratione* desumptâ ab electione & vocatione Gentis Judaicæ.

Vers.28.& 29. Vers.28. *Itaq; quod ad Evangelium* (attinet, sunt) *inimici propter vos; quod ad electionem autem, dilecti propter Patres.*

Vers.29. *Nam dona illa & illa vocatio Dei ejusmodi sunt, ut eorum ipsum pœnitere non possit.*

Apostolus ad hoc Argumentum transit prolepticè.

Objicere quis potuisset: Atqui Judæi sunt inimici & exosi Deo.

Respon-

Respondet Apostolus per distinctionem.

α. Sunt, inquam, inimici & exosi Deo, sed uno tantùm respectu: videlicet, 1. *quoad Evangelium*, id est, quia Evangelium non acceptant per fidem, sed repudiant: 2. & quidem certo fine, *propter vos*, ut per suam infidelitatem & rejectionem vobis Gentibus in Olea & fœdere vacuas sedes relinquant.

β. Sed tamen non prorsus, totaliter scilicet & finaliter exosi, sed alio respectu *dilecti*. Quo respectu? *Electionis*, quia populus sunt, electus à Deo. Vnde verò id constat? Ex fœdere cum Patribus ipsorum olim inito, in quo non solùm Patres, sed & semen eorum fuerat comprehensum. Ideò dicit: *dilecti propter Patres*. Vnde Apostolus sic vult ratiocinari.

Minor. Scimus, Deum Judaicam Gentem elegisse & vocâsse, juxta fœdus & promissionem Patribus factam.

Major. Atqui electio & vocatio sunt ἀμεταμέλητα, id est, immutabilia, adeò quidem, ut ἀπιστία *Hominum non possit fidem Dei cassam reddere*, ut suprà dixerat, *Cap. 3. v. 3.*

Conclusio. Sequitur ergo, Deum fœdus suum non prorsus perditum velle in Gente Judæorum, sed exspectandam eorum restitutionem.

3. *Exemplo simili* Gentium in gratiam assumptarum, vocatarum & conversarum.

Vers. 30. *Sicut enim & vos quondam non obedivistis Deo, nunc autem estis misericordiam consequuti per istorum contumaciam.* *Vers. 30. & 31.*

Vers. 31. *Sic & isti nunc non obedierunt, ut per vestrî misericordiam & ipsi misericordiâ donentur.*

Apostolus sic vult argumentari.

Quæ ratio fuit vestri, Gentilium: eadem nunc est quoque ratio rejectorum Judæorum.

Atqui hæc fuit ratio vestri, ut, quum olim fuissetis quoq; inobedientes, fueritis Deo reconciliati, & quidem 1. sine ullo vestro merito per solam Dei misericordiam: 2. per ἀπειθείαν Judæorum, id est, occasione infidelitatis ipsorum: quia Deo placuit pro sua admirabili sapientia & bonitate

Judæorum contumaciâ & incredulitate abuti ad Evangelium vobis revelandum, & ad vos convertendos, & in fœdus suum recipiendos.

Ergo eadem nunc est, eritque deinceps ratio Judæorum rejectorum, ut, licèt nunc non obediant, sed resistant Evangelio, tamen & ipsi iterum reconcilientur, convertantur, serventur.

Ratio. Si enim Deus per Judæorum contumaciam potuit vestrî misereri; quantò magis per vestrî miserationem poterit ipsorum misereri? Nam cur contumacia ipsorum vobis plus deberet prodesse, quàm gratia vobis facta ipsis deberet prodesse?

Argumenti propositi firmitatem & consequentiam Apostolus postea probat,

Vers.32. Vers.32. *Conclusit enim Deus omnes illos in contumacia, ut omnium illorum misereretur.*

Quibus verbis Disputationem istam concludit à *causa finali ἀπειθείας* utrorumque Gentilium & Judæorum in hunc sensum: Quòd Deus vos Gentes multis seculis sivit in tenebris ambulare, & Judæos quoque cadere, atque Evangelio repugnare, sicque eos reatu constrinxerit ad æternam eorum condemnationem; id factum est eum in finem, ut postea utrosque misericordiâ suâ dignaretur, sicq; in utrisq; vobis gloria immensæ ejus gratiæ & misericordiæ eluceret.

Ex his omnibus jam Apostolus finaliter vult concludere, neque Judæos, neque Gentiles ullam habere superbiendi causam, sive spectent 1. *Se-ipsos,* quia utrique fuerint sub reatu inobedientiæ & jugo condemnationis: 2. sive *beneficium Dei,* videlicet reconciliationem. α. Quia in eo reluceat pura puta Dei gratia & misericordia. β. Quia hæc non uni tantùm, sed alteri quoque Genti contigerit.

QVÆSTIONES,
ex Cap. XI. vers. 17---32.

Quæst. I. Quid intelligatur *vers.*17. per *Oleam?*

Resp. Videtur Apostolus allusisse ad locum *Jerem.*11.*v.*17. *Olivam virentem pulcram fructus specie vocaverat te Jehova nomine tuo: ad sonum consultus procellarum maximi incendet ignem præterea, & frangent propagines ejus. v.*18. *Nam Jehova exercituum, qui plantaverat te, eloquutus est contra te malum, propter malitiam domus Israelis & domus Juda, quam exercuerunt inter se, ad provocandum me adolendo Baali.* Ubi *Olivæ* nomine intelligitur populus seu Ecclesia vetus Israëlitica. Hinc quoque in Analysi vocem *Olea*

de ea

de ea sui interpretatus. cujus radix, de qua mentio facta *vers.16. praced.* fuit Abrahamus. *Rami* hujus *Olea* sunt tum *naturales*, quales sunt Israelitæ *κατὰ σάρκα* ab Abrahamo descendentes, quorum alii sancti, videlicet *electi, fideles*, de quibus *vers.16.* alii excisi, videlicet *reprobi* & infideles: tum *adventitii* seu insititii ex *Oleastro*; & hi sunt fideles ex Gentibus, qui in locum excisorum successerunt. Qui *Oleam* CHRISTVM interpretantur, intelligunt *Christum mysticum*, Caput videl. cum corpore, quod est Ecclesia.

Quæst. II. An possit quis excindi à Christo & penitùs perire? *Rat. dubit.* Quia *vers.19. & seqq. rami* complures dicuntur *defracti ab Olea.*

Resp. Distinguendum inter eos, qui Christo & Ecclesiæ tanquam spirituali Oleæ insiti esse dicuntur per vocationem externam, & professionem externam fidei; & inter eos, qui ei insiti sunt per vocationem internam & efficacem, & per veram ac justificantem fidem. *Posteriores* hos quod attinet, hi non possunt ab Olea penitùs excindi, quod Apostolus postea insinuat *vers.29.* quando *vocationem Dei ejusq; χαρίσματα* dicit *esse ἀμεταμέλητα*. De *prioribus* ergo loquitur Apostolus *vers.19. & seqq.* quos dicit *esse defractos ab Olea.* quod inde patet, quia *vers.20.* dicit, *eos esse defractos per incredulitatem.* non dicit, per apostasiam seu defectionem à vera fide, quam nunquam habuerunt, sed per *ἀπιστίαν*, infidelitatem; quia Evangelium, per quod vocati fuerunt, fide non receperunt, sed repudiârunt. quanquam etiam illi, qui prius fide historicâ aut *πρόσκαιρον* Evangelio fuerunt addicti, dici possunt per apostasiam excindi, de quibus sermo habetur *Hebr.6. v.4,5,6.* Hoc sensu Johannes dicit *1. Epist.2. v.19. E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum: sed hoc factum est, ut patefieret, non omnes esse ex nobis.*

Quæst. III. An Judæorum incredula Natio ullâ misericordiâ digna sit? *Rat. dubit.* Quia Apostolus hoc loco id agit, ne fideles ex Gentibus miseris Judæis insultent. & tamen alibi eos pronunciat *Deo exosos & omnibus adversantes, 1. Thess.2. v.15.*

Resp. 1. Sicut nemo non fidelium incredulitatem Judæorum pro maledicta habere; ita vicissim infidelium personarũ ex humano affectu misereſcere tenetur, exemplo Apostoli ipsius suprà *Cap.9. v.2.* inprimis eorum, qui non tàm ex malitia, quàm cæcitate & ignorantia Christum ejusque Evangelium impugnant. Talibus miseratio non deneganda, imò exemplo iterum Apostoli suprà *Cap.10. v.1.* Deus pro ipsis invocandus, ut glaucoma velit abstergere ab ipsorum oculis, eosque luce veritatis suæ Evangelicæ illustrare. Contumaces interim, & petulanter Christo suis blasphemiis maledicentes, neque agnitam tolerandi, sed debitis modis coërcendi sunt. 2. Interim nihil hic agendum per arrogantiam, cui soli Apostolus hoc loco voluit intercedere, ne videlicet Gentes insolenter & arroganter miseros Judæos contemnant & condemnent.

Rat. α. Quia Judæorum effractio locum Gentibus fecerit in Olea, ex pura & indebita Dei dignatione, non Gentium dignitate. β. Quia non omnes Judæi excisi, sed complures adhuc insiti maneant, & suo quoq; tempore iterum inserendi ac restituendi sint. γ. Quia Gentes quoq; excisionem metuere debeant, si gratiâ suæ vocationis ad securitatem & arrogantiam abutantur.

Quæst. IV. An fides Electionis, & incredulitas Reprobationis causa sit? *Rat. dubit.* 1. Quia *vers.20.* Judæi dicuntur *per incredulitatem defracti*, sive reprobati. 2. Quia *ibid.* de Gentibus dicitur *quòd stent per fidem.* 3. Quia *vers.23.* de Judæis indicatur, eos per fidem abjectâ incredulitate iterum inserendos.

Resp. Apostolus in citatis locis non loquitur de Decreto Electionis & Reproba-

tionis, quod factum est ab æterno, cujus nulla alia prævia causa dari potest, præter Dei εὐδοκίαν, quod suprà *Cap.9.* fusiùs docuerat, sed 1. quando *vers.20.a.* loquitur de *effractione Judæorum per incredulitatem*, intelligit id de temporali ejectione & exclusione Judæorum ab Ecclesia, cujus utique causa fuit ipsorum ἀπιστία. quæ interim eorum, qui inter ipsos reprobi sunt, æternæ reprobationi non est præordinata, sed subordinata, tanquam medium serviens exequutioni reprobationis ipsorum, & causa damnationis, juxta dictum Christi, *Joh.8.47. Propterea non auditis* (Verbum Dei) *quia ex Deo non estis.* & *cap.10.26. Vos non creditis: non enim estis ex ovibus meis, sicut dixi vobis.*

2. *Per fidem stare, ibid. v.20.b.* non significat, per fidem esse electum, sed per fidem esse & manere in Ecclesiæ communione. Atqui perseverantia Sanctorum, tanquam medium, non est cum Electione, tanquam causa & principio, confundenda.

Quæst. V. An nulla possit fideli esse πληροφορία salutis? *Rat. dubit.* 1. Quia *vers.20.c.* admonentur fideles ex Gentibus ad *metum*, & quidem amissionis gratiæ & effractionis ex Olea, *vers.21.* exemplo effractorum Judæorum.

Resp. 1. *Metus* iste non est dubitationis, hincque non opponitur τῇ πληροφορίᾳ, fiduciæ gratiæ & salutis; sed tantum arroganti propriæ virtutis præfidentiæ, & securitati carnali, quæ adversatur humilitati & reverentiæ Dei. 2. Admonitio pertinet non tantum ad fideles, sed & hypocritas, quia dirigitur ad totum corpus Gentium, in quo multi hypocritæ sunt & ventosi: sicut e contrario in corpore Judæorum nonnulli fideles & electi. 3. Etsi de fidelibus accipiatur, non prohibetur tamen fiducia ut dictum, salutis, quæ *Spiritus* est; sed vana confidentia & temeritas, quæ est ex *Carnis* reliquiis. 4. Hinc tandem metus iste alibi conjungitur cum πληροφορίᾳ gratiæ. *Phil.2.12,13.*

Quæst. VI. An quidam Homines nascantur cum sanctitate, adeóque absque peccato originali? *Rat. dubit.* Quia Apostolus *vers.21.* meminit *naturalium ramorum*, qui nascantur in *Olea*: & demùm *vers.23.* meminit aliorum, videlicet Gentilium, quos comparat ramis Oleastri, qui παρὰ φύσιν, præter naturam, Oleæ implantati sint. Quantum autem rami Oleastri distant à ramis Oleæ; tantum peccantes videntur distare à Sanctis.

Resp. Jam suprà aliquid ad *vers.16.* de dubio hoc annotatum est, per distinctionem Sanctitatis *habitualis* seu *inhærentis*; & *relativæ*, externæ, seu *fœderalis*. Nullus Hominum nascitur cum sanctitate *habituali*, sed omnis cum peccato originali, quod suprà Apostolus Capitibus primis hujus Epistolæ satis evicerat. Hinc omnis Homo, si in naturali suo & nativitatis suæ statu consideretur, *Oleastro* ἀγριέλαιῳ & sylvestri prorsus similis est. Quod si Sanctitatem spectes *relativam & fœderalem*, per quam dicuntur quidam nasci in *Olea*, adeóque fœdere & Ecclesia, & per quam distinguuntur ab aliis extra fœdus consideratis: Paulus Judæos tales vocat *ramos naturales*, quia videlicet à sanctis Patribus descenderunt, cum quibus Deus primùm fœdus pepigerat: & hactenus discreti fuerunt à Gentibus, tanquam extra fœdus natis. quo eodem sensu Apostolus alibi quoque dicit, *Gal.2.15. Nos sumus naturâ Judæi, & non ex Gentibus peccatores.* Vbi *Gentes* vocat ἁμαρτωλούς. Hebr. *Chattaim, peccatores*, opposite ad *Judæos*, non hoc sensu, quasi Judæi naturâ essent sancti, & non peccatores. Vocat enim Apostolus postea *vers.16.* omnes Homines Σάρκα, *Carnem*, ad insinuandam naturæ eorum corruptionem; hincq; indicat, neq; Judæos, neq; Gentes posse justificari ex operibus Legis, quia & David, licet natus Judæus, fatetur, *se in peccato conceptum, Psal 51.7.* Sed *peccatores* vocat Apostolus *Gentes*, tanquam profanas, extra fœdus & gratiam Dei constitutas. Hinc *Judæi* eis opponuntur tanquam populus Dei fœderatus, quos Deus non propter ipsorum dignitatem

tem aut congenitam aliquam inhærentem sanctitatem; sed per dignationem suæ gratiæ adoptaverat, juxta promissionem fœderis, Majoribus eorum factam. Atque hoc sensu etiam alibi Apostolus, 1.*Cor*.7.14. uti suprà monui, Christianorum liberos *Sanctos nasci* asseverat, quia nascuntur in fœdere & Ecclesia, ex Parentibus fœderatis; & hactenus distinguuntur ab infidelium liberis: qua ipsa de causa etiam Baptismum accipiunt, non demùm ut collativum, & præsertim ex opere operato operativum hujus gratiæ, uti nugantur Adversarii; sed ut σημαντικὸν & σφραγιστικὸν testimonium & signaculum ejus.

Quæst. VII. An electi aliqui possint finaliter deficere & perire? *Rat. dubit.* Quia Apostolus *vers.*22. dicit: *Si Gentes non permanserint in benignitate, exscindendas.* Comminatio videtur esse de excidio possibili: secùs frustranea foret.

Resp. 1. Apostolus loquitur non de electis inter Gentes, quales Christus negat penitùs seduci posse, *Matth.*24.24. cùm eorum *vocatio & gratia sit ἀμεταμέλητος*, infrà *vers.*29. sed loquitur de toto corpore Gentium, cui excidium denunciatur in casu apostasiæ aut defectionis, quale excidium obtigit Genti Judaicæ; salvis interim semper permanentibus electis in utraque Gente, quia tales Deus conservat ab apostasia, & gratiam eis perseverantiæ largitur. 2.*Tim*.2.26.

2. Nec tamen comminatio excidii etiam electorum respectu potest dici frustranea. Quia est repagulum & remedium defectionis; & medium, quo Deus electos & fideles in statu gratiæ retinet, vel ex infirmitate lapsos ante finem restituit.

3. Electorum lapsus & excidium potest diverso respectu dici *possibile & impossibile*. *Possibile*, si spectes electos ipsos, & infirmitatem eorum congenitam, per quam facilè in extremum præcipitium ruere possent. *Impossibile*, si spectes virtutem & gratiam Dei, quâ à lapsu totali & finali conservantur. 1.*Pet*.1.5. *Philipp*.1.6.

Quæst. VIII. An Resipiscentia stet penes Hominis liberum Arbitrium? *Rat. dubit.* Quia Apostolus *vers.*23. de Judæis pronunciat: *Si non permanserint in infidelitate, iterum inserendos esse in Oleam.*

Resp. 1. Apostolus verò nequaquam in his verbis præsupponit, Judæos conversum iri per suum liberum Arbitrium; quasi nimirum in ipsorum potestate futurum esset, ab infidelitate sua transire ad fidem, ut veteres & novi Pelagiani somniant. 2. Quin imò hoc ipsum confestim solius Dei virtuti asscribit, dicens: *Potens enim est Deus eos rursus inserere*, adeóq; ex non-credentibus credentes reddere. sicut alibi dicit, *Eph*.1.19,20. *nos credere pro efficacitate roboris virium ipsius, quam exeruit in Christo per resuscitationem ejus ex mortuis.* Pari enim virtute Dei nos per fidem & conversionem suscitandi sumus ex morte peccatorum, in qua omnes hæremus per naturam. *Eph*.2.1.

Quæst. IX. Quid intelligat Paulus (*vers.*25.) per *Mysterium*? per *obdurationem Israëlis ἀπὸ μέρους, ex parte*? per τὸ ἄχρις οὗ, sive *usque ad πλήρωμα τῶν ἐθνῶν, ingressum plenitudinis Gentium*? item *vers.*26. per *totum Israëlem*? *vers.*26. *a.*

Resp. Conjunxi πολυζήτητα, ast propter nexum rerum & verborum conjungenda. Scio, Interpretes heic distrahi in varias sententias, de quibus nunc brevitas mea Analytica non permittit pluribus disserere. Commentarii alii recensendis & discutiendis istis interpretationibus sunt refertissimi. Paucis, quid mihi videatur, exponam.

Quæritur in genere: An Apostolus per *Mysterium* intelligat talem adhuc sub finem Mundi exspectandam Gentis Judaicæ, quoad ipsius majorem partem, conversionem; qualis contigerat Gentibus post Judæorum rejectionem?

Existimo, *Quæstionem* esse problematicam, quam definire certò & præcisè, sub con-

conſcientiæ periculo, non teneamur. Ἐποχὴ heic facilè locum habere poteſt. Placet mihi Oecolampadii noſtri beati ſententia in *Daniel.cap.2.v.45.f.m.37.a.ſic habens*: *Hæc talia ſunt, quæ quotidiè implentur, & impleri poſſunt, dum inquit Paulus*: Excæcatio ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo Gentium ingrediatur, & ſic totus Iſraël ſalvus fiat. *Hoc enim myſterium Pauli: ſicut non vult omnes Gentiles ſalvari, ita nec omnes Judæos, ſed ex utriſq; aliquos: plenitudo tamen & amplior numerus ex Gentibus erit. Nec ſequitur tempus erit, quo Gentes iterum abjiciantur, & Judæi ſoli, ut olim, vocentur: ſed eum in modum excæcatis Judæis aliis, alii noſtris accedunt, etiamſi Judæi convertantur turmatim, nihilominus & Gentes affluent, ut ſic totus Iſraël, id eſt, quotquot ad promiſſiones Iſraël pertinent, ſalvus fiat. Et, quod idem Apoſtolus dicit*: Quæ erit aſſumptio nonniſi vita ex mortuis? *hoc vult, ut magnitudo gratiæ videatur, quòd ſi aſſumantur, ut ſunt, qui aſſumuntur, tanto miraculo hoc fit, ac ſi mortui ſuſcitarentur. Vult enim omnibus modis non eſſe impoſſibile, ut iterum oleæ inſerantur, tanquam naturales rami. Addit enim Paulus*: Illi rurſum, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur. *Sic etiam 2.Cor.3.v.16.dicit*: Si converſi fuerint ad Deum tolletur velamen. *Itaq; non auſim cum illis* (novis Chiliaſtis) *definire; Sublatis omnibus offendiculis, & extinctis ſectis, regnaturam veritatem Chriſti in hoc ſeculo: ſed multò magis pium arbitror, in timore Domini diem adventus præſtolari, & nequaquam ad impiæ Gentis converſionem reſpicere nos debere.*

Jam in ſpecie ad ἐνστάσεις propoſita reſpondeo paucis.

Ad 1. Si *Myſterii* nomine intelligatur cumulata Gentis Judaicæ cõverſio aliquando ſequutura, me non multùm repugnare, ſed in ſummis meis votis habere, & per virtutem Dei tàm facile futuram eſſe, atque facta eſt Gentium converſio. Quòd verò Paulus *Myſterii* nomine hoc ipſum notanter & ἀποτόμως voluerit indigitare, certò pronunciare non audeo. Nam & hoc in tanta Gentis Judaicæ cæcitate, contumacia & veluti deſperata reſipiſcentia non vacat myſterio, quòd Deus ſingulis temporibus atq; ſeculis ſuos proſelytos ex Judæis nunc exiguo, nunc majore numero & adduxit ad Religionem Chriſtianam, & quotidiè adducit, & procul dubio in poſterum quoque adducturus eſt: ſicut quoque olim tempore Veteris Teſtamenti hoc myſterio non caruit, quòd, licet Deus cum Gente Iſraëlitica tantùm fœdus ſuum ordinarium pepigiſſet, tamen diſtinctis temporibus etiam electos ſuos ex Gentilitate in fœderis hujus ſocietatem cooptaverit.

Ad 2. Quum Apoſtolus mentionem facit τῆς πωρώσεως Iſraëlis ἀπὸ μέρους; *obdurationem Iſraëlis ex parte* ſic accipio, quaſi dixiſſet, κατά τι, ſecundùm quid, non omnimode & ſimpliciter: quia Deus nec totam Gentem rejecerat tùm temporis, ſed λεῖμμα ſecundùm electionem gratuitam ſibi reſervaverat, uti ſuprà *verſ.5.* dixerat, nec in poſterum quoque rejecturus eſt, ſed ſuis temporibus ſuos electos ex Gente illa, modo ſibi cognito, eſt in Regnum Filii ſui congregaturus.

Ad 3. Illud ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰσέλθῃ: *donec plenitudo Gentium introierit*; nequaquam ſic accipere poſſim, quaſi Apoſtolus voluiſſet docere vel

α. Poſt Gentium innumerabilem multitudinem Judæos in conſimili multitudine in Eccleſiam introducendos. Notum eſt quippe, multitudinem Gentium jam temporibus Apoſtolorum ingreſſam, juxta Chriſti vaticinium, *Matth.24.14.* & Pauli præconia, *Rom.1.v.8. Col.1.v.6.* à quo tempore Judæi in longe majorem cæcitatem & contumaciam obduruerunt, & minima Gentium converſarum & vere fidelium portio nunc conſpicitur in minimo Orbis angulo, videlicet Europa; tenebris interim in Aſia, Africa & novo Orbe Americano, plerorumque incolarum atq; IVDÆORVM quoque mentes occupantibus.

Excip.

Excip. Hoc Gentium πλήρωμα accipiendum de electis in Gentilitate residuis, post quorum conversionem Judæorum illa solennis restitutio sit exspectanda.

Resp. Ego verò non credere possum, exiguum adhuc numerum electorum ex Gentibus convertendorum in hac effœta, & ad finem inclinante Mundi senecta, in Dei consilio remoraturum aut impediturum esse conversionem illam, quæ ex hoc Pauli loco urgeri solet, mirabilem, splendidam, numerosam Populi Judaici. Imò Paulus suprà expresè dixerat *vers.* 14. per æmulationem Gentium provocandos esse Judæos ad fidem.

8. Judæos, post Gentium πλήρωμα, his extrusis veluti ex suis sedibus in pristinas reversuros. Nequaquam, sed potiùs utrisque in eadem OLEA, id est, Regno & Ecclesia Christi conjunctas esse & futuras esse sedes. Atq; id porrò Apostolus mihi docere videtur, dicens *vers.* 26. *a. & ita totus Israël servabitur.* Itaque nunc quoque

Ad 4. Respondeo & dico, quod etiam in Analysi monui, me per TOTUM ISRAELEM non intelligere tantùm corpus Ecclesiæ Judaicæ, juxta videlicet majorem sui partem: sed malo (absque tamen præjudicio) intelligere totum corpus Ecclesiæ Catholicæ ex Judæis & Gentibus conflatum. Atque id mihi cum CALVINO scopo Apostoli videtur convenientissimũ, quippe, *qui Regni Christi consummationem designare voluit, quæ in Judæis minimè terminatur, sed totum Orbem comprehendit: quo eodem modo ad Galat. cap. 6. 16. Israëlem Dei nuncupat Ecclesiam, ex Judæis & Gentibus pariter compositam, populum ita ex dissipatione collectum, opponens carnalibus Abrahæ filiis, qui ab ejus fide desciverant.*

Concludo tandem, me in hujus *Quæstionis* discussione nulli dissentienti frænum injicere posse aut velle. Fieri potest, ut ante Mundi συντέλειαν Gens Judaica pari plenitudine, atque olim Gentes, congregentur in Christi ovile aut Regnum. Si Dei hæc sit voluntas, conjungo meas preces cum *Theodori Bezæ* precibus, quas annotavit in hunc locum. An præcisè hoc Deus velit, nondum possum comprehendere. Equidem ingratitudo nostra, & contemptus Evangelii, utique Ecclesiæ μετοικεσίαν ad Judæos aliosque populos ἀχαρίστως meritò & plus satìs videtur postulare. Perpendo interim IUDÆORUM, etiam in media Evangelii luce inter Christianos versantium, obstinatam cœcitatem, pervicaciam, maledicentiam, blasphemias, & Diabolicas, quibus Christianis insidiantur, imposturas, (nolo interim scandala Christianorum ipsis data excusare): signa concatenata instantis Mundi finis, Oracula quin-etiam de novissimorum temporum, quoad infidelitatem & horrenda scelera, miserabili facie, de qua *Matth.* 24. *v.* 37, 38, 39. *Luc.* 17. *v.* 26. *&c.* 2. *Tim.* 3. *v.* 1. *&c.* Hinc ambigo, quid mihi de prædicta Judæorũ totali conversione sentiendum veniat: quanquam me à *Chiliastarum* tùm veterum, tùm recentiorum aureo, sancto, pacifico *Millenario* procul abesse non diffitear. Malo heic cum Scriptura tacere, quàm absque evidente Scriptura loqui, & certi quidpiam definire. Mecum sentit Philippus Melanchthon, ita scribens in hunc locum: *Addit* (Apostolus) *Vaticinium de conversione Judæorum, quod fortasse ita intelligendum est, futurum ut subinde usq; ad finem Mundi aliqui ex Judæis convertantur. Nescio enim, an hoc velit, restare adhuc aliquam conversionem magnæ multitudinis circa finem Mundi. Id cùm sit mysterium, Deo committamus. Esajæ vaticinium concionatur de liberatione populi, videlicet illâ, de qua propriè loquitur Evangelium, hoc est, de Remissione peccatorum, & est dulcis sententia, quia clarè docet, in Novo Testamento prædicandam esse Remissionem peccatorum. Hæc liberatio populi intelligenda est inde usq; à principio prædicationis Evangelii ad finem.*

Quæst. X. An perseverantia Sanctorum possit evinci ex *vers.29. Rat. dubit.* Quia ibi sit sermo de gratia & vocatione Dei, quæ communiter contigit Genti Judaicæ; in qua tamen multi, imo major pars fuit rejectanea, quæ gratiâ & vocatione exciderat.

Resp. Paulus loquitur quidem de Gente Judaica, tanquam in fœdus Dei olim assumptâ, quam Deus gratiâ & vocatione suâ præ aliis populis dignatus fuit: sed observandum est, ipsum hoc agere atque pertendere, quòd Deus hoc suum fœdus, gratiam & vocationem noluerit prorsus exinanire. Quia videlicet in electis & fidelibus Gentis illius gratia Dei persliterit. Itaque firmum argumentum hinc ducitur pro Sanctorum, videlicet electorum atque fidelium perseverantia contra eos, qui pugnant pro eorum totali & finali apostasia. Nam si, majore licèt parte extrinsecùs vocatorum deficiente, tamen Dei fœdus & gratia respectu electorum & intrinsecùs ac efficaciter vocatorum sint ἀμεταμέλητα, sequitur necessariò, tales non posse totaliter & finaliter deficere.

Quæst. XI. An gratia Dei salvifica sit universalis, & extensive intelligenda de omnibus Hominibus? *Rat. dub.* ex *vers.32.* Quia dicit Paulus, Deum omnes Homines *conclusisse in contumacia, ut omnium misereretur.* Quam late ergo patet contumacia, sive peccatum; tàm late videtur patere quoque Dei misericordia.

Resp. 1. Vulgata est in Scholis distinctio inter *singula generum, & genera singulorum.* De postremis his loquitur Paulus. Ideò non simpliciter vocat πάντας, sed τοὺς πάντας, de quibus videlicet egerat in verbis præcedentibus: ac vult docere, Deum tùm Judæos, tùm Gentes *in contumaciam conclusisse, ut omnium pariter misereretur,* hincque neque de Judæis, neque de Gentibus dici posse, quòd aliter ex communi miseria serventur, nisi per Dei gratuitam & indebitam misericordiam. 2. Itaque latitudo ista gratiæ & misericordiæ Dei extendit quidem sese ad *totam* utramque *Gentem,* Judæorum & Græcorum; non verò ad *totum* utriusque *Gentis,* id est, ad omnes & singulos Homines & individua in utraque Gente. 3. Universalitas miseriæ atq; peccati, saltem ex isto loco, non potest arguere universalitatem misericordiæ, quoad singulos Homines, secùs frustrà disputâsset hactenus Apostolus de rejectione majoris partis Judæorum; & immemor prorsus suimet-ipsius fuisset, quando suprà dixerat *Cap.9.v.18.* Deum suâ voluntate *quorundam misereri, alios autem indurare.*

Quæst. XII. An Deus sit author peccati? *Rat. dubit.* ex *eodem vers.32.* Quia Deus dicitur *conclusisse τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν, omnes in contumaciam, inobedientiam.*

Resp. 1. Ista σύγκλεισις *in contumacia*, de qua loquitur Apostolus, non designat efficientiam peccati aut contumaciæ in Hominibus, quæ è diametro pugnat cum Dei sanctitate, passim in Verbo Dei commendata: sed omnium Hominum, tùm Judæorum, tum Gentilium, constitutionem sub peccati, ipsis omnibus communis, reatum & condemnationem, uti suprà quoque Apostolus dixerat, *Cap.3.v.19. Scimus, quæcunq; Lex dicit, iis, qui in Lege sunt, dicere, ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus Mundus condemnationi Dei.* Itaq; hæc σύγκλεισις non arguit Deum authorem, sed potius justum vindicem peccati.

2. Συγκλείσεως autem voce Apostolus usus est, ut ostenderet paritatem utrorumque, tum Judæorum, tùm Gentium, in statu peccati & miseriæ, utrisque adimeret gloriandi de semet-ipsis occasionem, eosque ad unicum misericordiæ Divinæ asylum invitaret.

PARS

PARS III. CAPITIS XI.

TRANSITIO. Superiùs fuit dictum, Apostolum postquàm pertractâsset Doctrinâ de IUSTIFICATIONE ejusq; effectis, *Capitibus primis octo*; posteà *Capitibus tribus IX. X. & XI.* ascendisse ad primam scaturiginem hujus beneficii, videl. PRÆDESTINATIONEM, *ex qua*, ut Lutherus loquitur, *originaliter fluit, quis crediturus, vel non crediturus sit.*

Cujus quidem sublimis MYSTERII specimen Apostolus exhibuit in *Hypothesi*, videlicet *Repulsione Gentis Judaicæ*, & *Adoptione Gentium* extranearum. ostendês, exemplo *Gentium* electarum & fidelium, Fidem & Justificationem manare ex *Electione* Dei gratuita: è contrario, exemplo *Judæorum* à Deo rejectorum, Indurationem & Infidelitatem sequi *Reprobationem.*

Dictum verò etiam suprà in resolutione *Capitis IX. pag. 254. &c.* Doctrinam istam ab Apostolo tractari primùm per πρόλογον, *Exordium, Capite IX. vers. 1--5.* subindè per λόγον, Ἐργασίαν, sive principalem Tractationem, quæ se extenderat à *Capitis IX. vers. 6. usq; ad Capitis XI. versum 32. inclusivè.* Tandem per Ἐπίλογον, sive *Conclusionem* plenam totius hujus Tractationis. Quia ergo duæ priores partes jam sunt discussæ, superest ultima, in quam desinit hoc CAPUT XI. in tertia sua parte, atque ita finis imponitur *primæ Parti* principali hujus Epistolæ, tanquam Διδακτικῇ agenti de τοῖς ΠΙΣΤΟΙΣ, sive Rebus & Mysteriis, pertinentibus ad *FIDEM Christianam.*

EPILOGUS iste sive CONCLUSIO hujus Tractationis, uti est *epiphonematica*, ita admodùm *pathetica*, comprehensa verbis seqq.

Vers. 33. *O profundas divitias tùm sapientiæ, tùm cognitionis Dei! quàm imperscrutabilia sunt ejus judicia, & ejus viæ impervestigabiles!*

Vers. 34. *Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis ei fuit à consilio?* Jes. 40. 13.

Vers. 35. *Aut quis prior dedit ei, & retribuetur ei?* Job. 41. 2.

Vers. 36. *Nam ex eo, & per eum, & in ipsum* (sunt) *omnia. Ipsi* (sit) *gloria in secula. Amen.*

EPILOGUS hic constat tùm Θαυμασμῷ, *Admiratione*; tùm Δοξολογίᾳ, *Celebratione Dei.*

A. *De* Θαυμασμῷ, *Admiratione.*

Occasio, ex *vers. 32. & præcedentibus*, in quibus Apostolus egit tùm de

Rejectione Judæorum, tùm hanc insequutâ *Gentium Adoptione*; deniq; de *Judæorum* quoque *Restitutione*, aut novâ cum Deo Reconciliatione. Quia verò hæc Doctrina magnum est *Mysterium*, in quo elucet imperverstigabilis Dei *Sapientia*, juxtaque etiam *Justitia*, quæ à nulla Creatura arrodi potest absque magna temeritate: ideò Apostolo consideratio tanti Mysterii peperit quoque prædictam *Admirationem*, quam patefecit per Ἐκφώνησιν, *Exclamationem*, in verbis propositis.

Duo autem sunt hujus *Admirationis* & *Exclamationis* Capita.

Vers. 33. I. De SAPIENTIA DEI, *vers. 33.* Vbi Apostolus extollit cum summa admiratione

1. *Sapientiam* ipsam DEI, & *Cognitionem*: ubi *Sapientiæ* nomine in cōceptu nostro venire potest Dei omniscientia & proprietas; *Cognitionis* nomine, illius exercitium. *Amplificatur* verò ab adjuncta magnitudine, imò infinitate, quum vocat *profunditatem* & *divitias*. metaphoricè insinuans, Sapientiæ Dei atq; omnis ipsius Cognitionis immensitatem, & quidem talem, quæ non possit ab ullo Homine mortali, aut aliâ Creaturâ pervestigari. Sicut enim tanta est Maris profunditas, ut navigantibus non rarò sit imperscrutabilis; ita Divinæ Sapientiæ & Consiliorum, uti posteà *vers. 34.* sequitur. Si Solis splendorem nullus Hominū possit oculis irretortis comprehendere; quantò minùs immensum illum splendorem Sapientiæ & Gloriæ DEI, coram qua non solùm Sol & Luna erubescunt, *Jesa. 24. vers. ult.* sed etiam Angeli ipsi in sua gloria facies suas obvelare tenentur. *Jesa. 6.*
2. *Judicia Dei*, sive *Consilia* & *Decreta*, quæ à Sapientia Dei promanant, *vers. 33. Quàm imperscrutabilia sunt ejus judicia!*
3. *Vias Dei*, id est, actiones Dei ipsas, addens *ibid. vers. 33. Quàm impervestigabiles sunt viæ ipsius!* Indicat Apostolus analogicè: α. Sicut Hominis sapientia sese patefaciat in ipsius consiliis & actionibus, quæ consilia sequi assolent; ita Dei Sapientiam ἀνεξερεύνητον, sese (quantum videlicet id nobis miseris mortalibus utile est ad nostrā salutem, vel etiā per nostram infirmitatem possibile) patefacere per suas sapientes actiones & operationes. β. Interim Apostolus & hoc significare vult, nomine Ὁδοῦ, *Via*, etiam modum ἀνεπίληπτον, quo videlicet suam Sapientiam in omnibus Operibus suis patefecit & quotidiè patefacit: inprimis in tota ipsius Providentia actuali, sive Gubernatione

natione totius *Mundi*; inprimis verò Gubernatione *Ecclesiæ*; &, quod heic principale est, *Mysterio Repudiationis Judæorum*, & *Adoptionis Gentium*: unde necessariò consequatur Mysterium *Prædestinationis* sive discretionis Electorum & Reproborum in eadem Generis Humani corrupta massa. Videtur Apostolus allusisse ad locum *Jesa. cap. 55. v. 8. Cogitationes meæ non sunt ut cogitationes vestræ; neq; ut viæ vestræ, viæ meæ, dictum Jehovæ, &c.*

Veritas istius *Exclamationis* Apostolicæ patet, si consideremus Mysteria illa, de quibus hactenus disseruit. Admirabilis enim Dei sapientia elucet

α. In *Adoptione* & *conversione Gentium*. Mysterium hoc fuit à seculis incognitum, & ab ipsis Apostolis aliquandiù post Resurrectionem Domini, etiam post effusionem Spiritus S. difficulter creditum: exemplo Petri, *Act. 10.*

β. In *Rejectione Judæorum*: quia per eam Deus mirabiliter operatus est 1. Gentium salutem, portam eis hac ratione aperiendo in Regnum suum. 2. Subinde Judæos ad æmulationem erga Gentes provocando. 3. Per hoc ipsum medium Judæos iterum convertendo & restituendo. 4. Et tandem in utrorumque Gentilium & Judæorum salute gloriam suæ gratiæ & misericordiæ patefaciendo.

γ. In *Restitutione Judæorum*, quæ visa fuit, atque etiamnum videtur incredibilis, in tanta cœcitate atq; πωρώσει hujus Gentis. cujus tamen ab Apostolo hoc in Capite prædicatur partim jam facta, partim futura illuminatio, conversio, restitutio, per media veluti contraria, jam dicta, tanquam lucis excitatio ex tenebris, & assumptio vitæ ex mortuis, *v. 15.*

δ. In *Prædestinatione Hominum*, cujus specimen Deus in Judæorum rejectione, & Gentium adoptione exhibuit. Quis heic non admiretur τὸ βάθος πλούτου σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ? sive spectet

a. *Decretum* ipsum *Prædestinationis* Hominum. Quis dicet mihi: Cur, cùm Esau & Jacob, gemelli, nondum fuissent nati, in eodem materno utero conclusi, in pari reprobabili conditione; Deus tamen illum (*Esavum*, præsertim futurum primogenitum,) oderit; *Jacobum* autem dilexerit? Nam respectum causalem discriminis consequuturæ alicujus dignitatis alterius præ altero, quoad merita aut conditiones alias quascunq;, quas Humana

ratio comminisci solet; Apostolus voluit præcedere atque amputare, quando indicavit; discrimen hoc factum à Deo, inter *pueros nondum natos, antequàm quicquam fecissent boni vel mali*, uti suprà fusiùs fuit expositum, *Rom.9.11.*

Hinc porrò & consequenter quæro: Quis non solùm Hominum, sed & Angelorum in toto Mundo mihi dicet causam discriminis, quod Deus ab æterno fecit electorum & reproborum? Quare, inquam, cùm omnes Homines in pari communi exitio, in quod per peccatum unius Hominis involuti erant, jacuerint: Deus suâ Prædestinatione ita eos discriminaverit, ut quosdam voluerit ex hoc exitio esse ereptos, reliquis in eo relictis? Scio, intercedere heic Pelagianorum eorum sapientiam, qui hoc discrimen referre solent ad prævisionem fidei electorum, & infidelitatis reproborum. Sed hæc sapientia est coram Deo stultitia. *Ratio* est: Quia 1. vel mendaciter fidem assignat libero Hominis arbitrio: atque sic Hominis conversionem non soli gratiæ Dei, adeóq; gloriæ Divinæ misericordiæ, in Hominis conversione elucescentis; sed & Hominis viribus acceptam fert: 2. vel, si sapientia ista liberum Arbitrium agnoscere & profiteri non ausit, cogitur correpere in dumeta variarum distinctiuncularum, ut possit cum Dei absoluta & independente gratia conciliari.

Confugit nunc ad promissiones gratiæ, in Verbo Dei communiter omnibus vocatis propositas; quas cõfundit cum Dei decreto de gratia vocatis conferenda, & distinctionẽ omnem tollit, uti Lutherus loquitur in Libr. de servo Arbitrio, inter *DEVM absconditum & revelatum*, intellige inter Dei Decretum, & præcepta aut vetita cum annexis promissionibus & minis.

Confugit mox, quando de causa discriminis inter externè per Verbum vocatos & non vocatos agitur, ad usum vel abusum donorum naturalium, qui discriminet vocandos à non vocandis. quasi vel donorum naturalium ullus usus posset esse Homini salutaris, ad percipiendam Dei gratiam salvificam, in Evangelio patefactam: aut quasi usus talis versaretur in Hominis potestate: & non esset donum Dei gratuitum, quo Deus benè utentem discernit ab altero: *1.Cor 4.7.* aut quasi Deus, etiam citra hujus usus respectum, non soleret suo Verbo & vocatione dignari omnium perditissimos; atque è contra-

rio

rio dedignari eos, qui *κατ' ἄνθρωπον* viderentur longè paratiores ad Vocationem amplectendam, exemplo Tyriorum, Sidoniorum, imò ipsorum Sodomæorum, *Matth.11.v.21.& seqq.*

Confugit tandem prædicta sapientia Pelagiana ad novum commẽtum obedientiæ externæ Vocationi præstitæ, ut sensus sit: Si Templum adeas, Conciones frequentes, Sacramentis te sistas, &c. aderit tibi gratia fidei & conversionis. Bellè ista dicuntur ad populum. Sed hoc nequaquam controvertitur: An mediorum salutis usus vel neglectus arguat discrimen inter Electos & Reprobos? Hoc controvertitur: An *usus salutaris*, dico iterum, *salutaris*, externorum istorum mediorum stet penes Hominem, id est, penes ipsius potestatem, vires, voluntatem? Si dicatur ITA, triumphabit Pelagius, & transeant Adversarii nostri in ipsius castra. Si dicatur NON, extruitur hinc, Deum ita discriminare vocatos suâ gratiâ, ut per hanc alii mediis utantur salutariter; alii media vel prorsus negligant & contemnant, vel iis abutantur ad proprium suum exitium, juxta dictum Apostoli, *2.Cor.2.v.16.* Nunquid ergo hinc evidenter cõcludi potest, Humanam sapientiam, nullam posse indagare causam discriminis, quod Deus in consilio suo æterno statuit inter Electos & Reprobos, adeòque (NB) non tantùm inter salvandos & damnandos; sed etiam inter *illos* fide donandos, & *hos* in peccati communi miseria relinquendos, imò justo ipsius judicio indurandos, quod suprà Apostolus *Cap.IX.* plus satis evicerat?

b. *Exequutionem Decreti*, si spectes, *Prædestinationis*, jam aliquid attigi. Quis dicet mihi causam, cur Deus Gentem unam præ alia suâ Vocatione & Verbo dignetur, præteritâ aliâ? Cur Gentem aliquam pessimam, v.g. Galilæos in Corazin, Bethsaida, &c. vocet, lucem suam in eam diffundat, & signis variis se ei patefaciat? Cur item quosdam externè quidem, ast inefficaciter, imò cum graviore ipsorum condemnatione; alios verò internè & efficaciter per Spiritum nõ solùm illuminationis, sed & sanctificationis, vocet? Certè omnis heic Humana sapientia necesse habet conticescere, & cum Paulo dicere: *O profundas divitias sapientiæ & cognitionis Dei!*

c. Tandem prædicta Dei admirabilis Sapientia elucet in omnibus ipsius Operibus, tùm

Crea-

Creationis. Psal.8.& 104. Job.38.v.4.& seqq.
Providentiæ & *gubernationis.*
Redemptionis inprimis, in qua πολυποίκιλ☉ Dei Sapientia, & Mysterium magnum pietatis, *1.Timoth.3.16.* fuit revelatum, quando Filius Dei ex intemerata Virgine carnem nostram, atque in ea servi formam assumpsit, sicque humiliatus fuit usque ad mortem Crucis, & dehinc per Resurrectionem & Ascensionem suam exaltatus ad Gloriam cœlestem: donec rediturus est è Cœlis ad nos secum in communionem illius evehendos. Heic iterum nobis admirandum venit τὸ βάθ☉ καὶ πλοῦτ☉ non solùm Sapientiæ, sed & Misericordiæ Dei. *Ephes.3.18.*

Vers.34. II. De *IUSTITIA Consiliorum* & *Judiciorum* DEI. Hanc Apostolus quasi injectâ manu vindicat contra audaciam & temeritatem Hominum, qui judiciis Dei obstrepere solent, rationibus duabus.

α. *Prima* desumpta est à *Cæcitate*, quæ omnibus mortalibus adhæret: quando proprio sensu judicia & consilia Dei volunt rimari & excutere. Ideò dicit *vers.34. Quis cognovit mentem Domini,&c.* Verba desumpta sunt ex *Jesa. cap.XL.v.13. Quis expendit Spiritum Jehovæ? ut vir a consiliis ei, docuit eum?* quo etiam porrò tendunt verba seqq. *ibid.v.14. Cum quo communicavit consilium, ut instrueret se, doceretq; se iter judicii; doceret, inquam, se scientiam, & viam summæ prudentiæ notam faceret sibi.* Apostolus ex his verbis sic vult ratiocinari:

Major. Nemo Dei consilia & judicia vellicare debet, qui consilia illa non cognovit; neque à Deo in consilium fuit adhibitus, ad decreta ejus statuenda. Quis enim v.g. ausit consilium, judicium aut decretum magni alicujus Principis allatrare; qui nec noscit aut intelligit illud, nec Principis agit consiliarium?

Minor. Atqui nullus mortalium, imò ne Angelorum quidem,

1. Novit Dei consilium. Voluntatem quidem in Verbo patefactam quadantenùs & ex parte tantùm comprehendimus: *1.Cor.13.12.* arcana autem ejus consilia & judicia, quæ in abysso sapientiæ ejus abscondita sunt, nulla creatura potest cognoscere. Nam si, Regum sapientissimo teste, *cor*, mortalis *Regis sit imperscrutabile, Prov.25.3.* imò si nullus Hominum sit alterius καρδιογνώστης: quantò minùs ulli Homi-

Hominum cor Dei ſive voluntas arcana erit perveſtigabilis?

2. Nec quisquam unquam Dei fuit conſiliarius, quem ipſe in conſilium adhibuerit ad ſtatuenda ſua decreta & judicia.

Concluſio. Itaque ſummæ eſt temeritatis & audaciæ, Dei conſilia & judicia carpere aut vellicare velle.

β. *Secunda* ratio deſumpta eſt à *Vacuitate* omnis meriti Humani, per quod Deum quis poſſet ſibi conſtituere debitorem. Hæc *Verſ.35.*

1. *Proponitur, verſ.35 Quis prior dedit ei, & retribuetur ei?* Alludere omninò videtur ad locum *Jobi cap.XLI.v.2. Quis prævenit me, & rependam?* Nimirum inde fit, ut audaculi Homines allatrent Dei judicia, quia ſibi Deum veluti debitorem fingunt, qui ipſos non tractet pro merito. Hanc arrogantiam Apoſtolus vult reprimere, dicendo: *Quis prior dedit ei, &c.* Q.D. Quis Deum aliquo beneficio ſibi demeruit, ut poſſit quicquam ſibi debitum ab eo exigere, aut judiciis ejus dicam aliquam ſcribere?

Hac ratione Apoſtolus quoque voluit compeſcere & obſtruere ora illorum, qui ad calculum ſui temerarii judicii Decretum *Prædeſtinationis Divinæ* volunt revocare & examinare, quiritando: Cur Deus dicatur quorundam tantùm Hominum miſertus, maximâ reliquorũ Hominum turbâ reprobatâ? quale Decretum iſti Homines dicunt eſſe iniquiſſimum. Sed regerendũ cum Paulo: *Quis Deo fuit a conſilio? Quis prior dedit ei, ut retribuatur ei?* Electi nullum poſſunt jactare meritum, quibus ſola Dei miſeratio contigit. Quis reproborum litem Deo intendet & Deo crimẽ aliquod improbrabit ullius iniquitatis: cum omnes pariter jacuerint in peccato, ſub ira Dei? Quis exprobrabit Deo diſcrimen, quod fecit inter electos & reprobos, nec omnes pariter vel elegerit, vel reprobaverit: vel majorem noluerit eſſe electorum quàm reproborum numerum? Quis Deum propterea in jus vocabit? Quis ei modum atque menſuram judiciorum ejus præſcribet? An Deus, cum ſuis conſiliis & judiciis, alligatus eſt miſerorum & cœcorum Hominum arbitrio, ut quam juſtitiam & æquitatem Dei in ipſius decretis & judiciis, ipſi cœcâ & ſimul ſuperbâ ſuâ ratione cõprehen-

dere non possunt, ausint alicujus iniquitatis, injustitiæ, imò crudelitatis atque tyrannidis damnare? An Deus non potest facere de suo, quod vult? An ulli Creaturæ in Cœlo & in Terra jus aliquod est in Deum?

Vers. 36. 2. *Confirmatur*, quòd scilicet Deus nullius Creaturæ sit debitor, nec aliquod possit esse ullius Creaturæ (nedum Hominis peccatoris) meritum coram Deo, ex eo, quòd DEVS sit omnium rerum *Causa efficiens, conservans, finalis: prima, media, ultima. Vers. 36. Nam ex eo, per eum, &c.*

Observ. α. Apostolum loqui de omnibus Creaturis indiscriminatim, & indicare 1. τὸ εἶναι, existentiæ ipsorum, sive *quòd sint*, principium esse à solo Deo. Hinc dicit, ἐξ αὐτοῦ (nō *materialiter*, sed *efficienter*, pro ἀπ' αὐτοῦ) τὰ πάντα. 2. Quòd in sua existentia permaneant, itidem virtuti Dei conservatrici & gubernatrici asscribendum. Ideò addit, καὶ δι' αὐτοῦ, *per ipsum* (τὰ πάντα). 3. Quòd ad Deum, videlicet Gloriam ejus tanquam Creatoris & Conservatoris unius dirigantur. Ideò dicit tandem: καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, juxta vulgare illud & sanctum veriverbium: OMNIA AB VNO, OMNIA AD VNVM. Argumentum jam Apostoli huc redit:

A quo, per quem, & propter quē sunt prorsus *Omnia*, ille nullius Creaturæ est Debitor, sed Creaturæ omnes sunt Debitores Dei: quia, quicquid sunt, habent & pollent, non ex se-ipsis habent, sed à sola Dei virtute & munificentia, ut hinc nihil laudis ad ipsas, sed tantùm ad Deum sit referendum.

Atqui prædicto modo *Omnia* sunt *à Deo, per ipsum, & in ipsum, &c.*

Ergo nihil heic laudis, gloriæ, meriti, Homini aut alteri Creaturæ relinquendū: & per consequens nihil juris ipsis relinquitur ad carpenda & arrodenda Dei consilia & judicia.

Observ. β. Apostolum, quæ heic dicit de Deo, tanquam omnium rerum creatarum Causa prima, media, & ultima; velle à cordato Lectore applicari ad Doctrinam hactenus in hac Epistola, inprimis Capp. IX. X. & XI. disceptatam.

ptatam, de *Justificatione* Hominum omnium, tàm Judæorum, quàm Gentilium, per solam Fidem in solum Christum, damnatis omnibus operibus & meritis Humanis; nec non de *Prædestinatione*, in exhibito specimine *Rejectionis Judæorum*, & *Adoptionis Gentium*. Itaque vult ad summam Apostolus docere:

a. Salutis Humanæ initium, medium & complemẽtum pendere à sola Dei gratia, virtute; nec quicquam heic electorum prævisæ alicui conditioni, qualitati, dignitati, merito, acceptum esse ferendum; sed solius Dei indebitæ miserationi. *Contra* veteres & novos Pelagianos & Semipelagianos, qui eò omnes petulantis ingenii sui nervos intendunt, ut, per elevationem virium Humanarum in salutis negotio, possint deprimere & extenuare sublimitatem & magnitudinem gratiæ Divinæ. cùm PAVLO Apostolo nobiscum hactenus nihil aliud fuerit propositum, quàm ut enervatâ, imò prorsus damnatâ & extinctâ Hominis prætensâ virtute, solius DEI GRATIA, & MISERICORDIA indebita, posset contra Diabolum, ejusq; organa, tanquam Gratiæ Dei, sub prætextu ὑπόλῳ universalitatis illius, id est, subintellecto directorio ultimo voluntatis Humanæ, triumphare.

b. *Reprobationis*, & eam cõsequentis *damnationis* Reproborum, ęquitatem à nullo Hominum posse atq; debere impugnari. Quis impugnare eam *posset*; considerando Dei αὐτεξουσίαν & liberrimã potestatẽ in omnes suas Creaturas, de qua Apostolus s. *Cap. IX. vers. 19 & seqq.*? Quis impugnare *deberet*? An *Electi*, qui nihil habent, quàm quòd immensam Dei erga se misericordiam celebrare debeant, tanto in ipsis illustriorem, quanto major ipsis præ reliquis, in quorum communi exitio hæserant, facta est misericordia? An *Reprobi*, qui naturâ propter peccatum sunt reprobabiles, quos Deus magnâ lenitate tolerat, *suprà Cap. IX.* & non solùm beneficiis variis corporalibus & temporalibus quotidiè accumulat, quibus ipsi turpiter per ingratitudinem, intemperantiam & impœnitentiam abutuntur; sed qui etiam ex professo contemptores se exhibent Gratiæ, in se salutaris, ipsis in Verbo Dei & Sacramentis per vocationem extrinsecam oblatæ; ut malint in sua infidelitate & peccatis perire,

quàm per fidem & obedientiam erga Deum ipſos vocantis ſalvari? Quis ergo miretur, multò minùs murmuret, Deum, ſicuti in Electorum ſalute Gloriam ſuæ miſericordiæ; ita in Reproborum damnatione Gloriam ſuæ juſtitiæ velle patefacere? Talia ſi perpenderent Prædeſtinationis Adverſarii jurati, nequaquam in hunc uſque diem adeò tumultuarentur, & propter Doctrinam, non dico noſtram, ſed B. APOSTOLI PAVLI, tantas turbas in Eccleſia moverent.

B. *De Δοξολογίᾳ ſive Celebratione* *DEI.*

Aſſertâ Dei *Sapientiâ*, & vindicatâ *Juſtitiâ conſiliorum* atque *judiciorum* ejus, Apoſtolus tandem, epiphonematis loco, concludit totam præcedentem Diſputationem, *v.36.b.* hac *δοξολογίᾳ*: Αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν. Hanc Δοξολογίαν elicit ex ſuperiore admiratione & exclamatione. Q.D. Quia prædicto modo ſe res habet, ideò nihil aliud reliquum eſt, quàm ut ſoli Deo, omnia potenter, ſapienter, miſericorditer & juſtè in toto Mundo, inprimis in Genere Humano & Eccleſiæ ſuæ gubernatione, agenti & adminiſtranti, laus, honor & gloria ab omnibus tribuatur in omnem æternitatem. Vtique gloria omnis & laus Deo debetur.

Gloria debetur incomprehenſibili ejus *naturæ, eminentiæ* & *majeſtati*, quæ apud ipſum fuit & reſplenduit ab æterno.

Gloria debetur ejus *Prædeſtinationi*, quâ ab æterno ſuâ imperveſtigabili ſapientiâ, immutabili & juſtiſſimâ voluntate diſpoſuit, præfinivit, præordinavit, quæcunq; pertinerent ad omnes ſuas Creaturas.

Gloria debetur ei propter *Creationem* omnium rerum, per quam bonitatis ſuæ communicationem voluit teſtificari: inprimis verò GENERIS HVMANI, in cujus Creatione admiranda lucet imago Divinæ potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, quæ concelebratur inter alia à Davide, *Pſal.8.*

Gloria ei debetur propter *Electionem* eorum, quorum in genere Humano voluit præ aliis miſereri, videlicet gratuitæ, indebitæ miſericordiæ. Hinc quoq; gloria ei debetur propter horum per CHRISTVM, FILIVM SVVM VNIGENITVM *Redemptionem*; eorundem efficacem *Vocationem*, *Juſtificationem*, *Sanctificationem*, *Glorificationem*.

Glo-

Gloria verò etiam ei debetur, propter aliorum Hominum, quorum, pro libera sua & indebita voluntate misereri noluit, *Reprobationem*, eamque sequentem *Condemnationem*: Gloria inquam potentiæ ipsius, iræ atque justi judicii. ut heic obmutescere, in pulverem se abdere debeant omnium Hominum ora & dicere:

DEO SIT GLORIA IN SECVLA.
AMEN.

QVÆSTIONES,
ex Cap. XI. vers. 33. usq. ad fin. Cap.

Quæst. I. An & quomodo de Mysterio *Prædestinationis Divinæ* sit in Ecclesiis & Scholis disserendum? *Occasio* ex verbis Apostoli *Cap. XI. v. 33. usq. ad fin. Cap.*

Resp. Ad *Quæstionis* hujus resolutionem deprehendo ab Ecliptica sanæ Doctrinæ declinantes quosdam

I. In DEFECTV, qui existimant, prorsus esse silendum in Ecclesiis & Scholis de hoc Mysterio. Quorum quidem opinioni ego litare non possum, propter sequentes rationes.

1. Quia Apostolus quoque silere debuisset, hincque nostro silentio Paulus, imò Verbum Dei, quod ipse θεόπνευστως de hoc Mysterio patefecit, nobis esset silentio prætereundum & negligendum. Quòd si quis dicat, multa in Scriptura contineri, quæ in Ecclesia non sint propalanda: ille, sicuti prodit summam suam temeritatem, arrogantiam, & dictatoriam sibi sumptam authoritatem, cui debeat Ecclesia Dei sese subdere; ita accusabit PAVLVM APOSTOLVM magnæ insipientiæ, quòd ausus fuerit hoc Mysterium publice propalare, non solùm Romanis, sed & toti Ecclesiæ Catholicæ. Certè nequaquam hoc fine, ut Doctrina ista streperet tantùm in pulpitis Sophistarum, qui eam vexarent pro suo more & lubitu, cum Ecclesiarum horribili perturbatione, uti hoc jam Augustini tempore, & consequentibus seculis in hunc usque diem, fuit factitatum: sed ut ex ore Apostoli, & aliorum locorum S. Scripturæ, sobriè, sincerè, absque omni cæcæ Rationis Humanæ fermento, Ecclesiæ proponeretur, idque proptereà ex *Rationibus* seqq.

2. Quia hæc Doctrina de *Prædestinatione* est unica vera Doctrina omnis in Christiana nostra Vita tùm *Pietatis*, tùm *Consolationis*. Quod verissimum effatum ego oppositum volo omnibus veteribus & novis Prædestinationis Adversariis.

α. Doctrina est *Pietatis*. Quia est Doctrina 1. *Humilitatis*, à qua omnis pietas nostra & cultus Dei debet exordium sumere. 2. *Gratiæ Dei*, independentis ab ulla Creatura, & strictura aliqua prævisionis D[illegible] in prædestinatorum dignitatem, dispositionem, merita. 3. Hinc quoque *Gratitudinis*. 4. *Obedientiæ* & cultus Dei non servilis, meticulosi inviti; sed, ex gratiæ perceptæ cogitatione & gustu, summè voluntarii: qualis est filiorum erga Parentes, & subditorum erga Principem, de cujus gratia, favore, amore, certo sunt persuasi.

β. Doctrina est *Consolationis*. Certum est, cadente Doctrinâ de æterna nostra *Electione*, cadere omnem veram & salutarem consolationem; stante autem hac Doctrinâ stare & consistere omnem nostram fiduciam & consolationem in Vita & Morte. *Ratio* est: Quia Doctrina hæc

a. Nos collocat in firma salutis nostræ statione, quæ nititur 1. Æternitate & immutabilitate amoris, gratiæ & misericordiæ Dei erga nos: 2. Merito Filii Dei ac Redemptione ab ipso peracta, pro omnibus electis, cujus fine ipse nunquam frustrabitur: 3. Beneficiis inde manantibus, Vocationis efficacis, Justificationis, Sanctificationis, &c. quæ Apostolus expresse vocaverat suprà *ἀμεταμέλητα*, *vers.* 29.

b. Hinc eadem Doctrina nos confirmat atque sustentat contra omnis generis tentationes, quibus Caro, Mundus, Diabolus possent salutis nostræ *πληροφορίαν* convellere & quatefacere, quod supra quoq; *Cap. VIII.* ab Apostolo fusius fuit demonstratum. Stante enim Doctrinâ nostrâ orthodoxâ de Prædestinatione & Electione prorsus gratuita, atque independente ab ullo electorum dignitatis aut conditionis alicujus causalis respectu; præciditur Homini omnis inanis fiducia in semet-ipso, è contrario verò augetur fiducia, in Dei immobili gratia atq; virtute fundata, contra terrores peccati, miseriarum Humanarum procellas, Hostium omnium saluti ipsius insidiantium machinationes, metum mortis, & omnem potestatem tenebrarum, juxta Pauli testimonium, *Rom. Cap. VIII. prædicto, vers.* 28. *usq; ad fin. Cap.*

3. Hinc proporrò concludere facile est, eos, qui Doctrinam hanc volunt sopitam atque sepultam, remoram haud minimam, sed maximam, & pietati & consolationi Christianæ injicere. *Rat.* Quia veræ Fidei, quæ sola radix est omnis veræ pietatis & salutaris consolationis, Doctrinæ hujus suppressione suum necessarium, ut sic dicam, pabulum subducunt, videlicet *πληροφορίαν* gratiæ & amoris Dei ab æterno in æternum erga nos Homines durantis: qua fiduciâ & *πληροφορίᾳ* sublatâ vel ignoratâ, nulla futura est pietatis delectatio, nullum *ἀντιφιλήσεως* erga Deum studium & seria cura, nulla conscientiarum & cordium inter tot seculi istius tempestates tranquillitas.

4. Quantò verò minùs ad pietatem & solidam consolationem conducere poterit eorum Pelagianus pestilentissimus error, qui Doctrinam de Prædestinatione arcessunt (sub prætextu interim Verbi Dei & Voluntatis ejus in eo patefactæ) vel à libero Hominis arbitrio expresse; vel tacite à præcognitis à Deo in Hominibus dispositionibus præparatoriis, qualitatibus, conditionibus; per quas & propter quas Deus discreverit eligendos à reprobandis, & quidem eò usque, ut, quantum ad *Electos* attinet, isti non tantùm tanquam fideles, sed tanquam (propter metuendam ipsorum totalem & finalem defectionem) in fide perseveraturi, hincque in ipso demùm puncto & articulo Mortis constituti, à Deo eligi debeant. Atque hinc porrò Electionem talium non posse vocari atque censeri absolutam, sed conditionalem tantùm ante mortem, adeóq; revocabilem & retractabilem. Et tamen heic alii quidam moderni Novatores eò usque insanire non erubescunt, ut, quod *Electos* attinet, doceant, conditionem, sub qua electi sint, v. g. Fidem, esse ipsis prorsus impossibilem non solùm per naturam; sed etiam per reprobationem Divinam, quâ gratiam fidei ipsis donare non decreverit.

An hæc & similia dogmata de *Prædestinatione* sint Divinæ potentiæ, sapientiæ, bonitati & misericordiæ consentanea: An hæc sint quoque veræ pietatis & salutaris consolationis firmamenta; æquus Lector judicabit, qui novit discernere inter lucem & tenebras, inter sophismata falsitatis & simplicitatem veritatis; inter sapientiam Dei, quam Apostolus hoc loco tanta cum admiratione & *εὐλογίᾳ* deprædicat; & inter stultitiam atque proterviam ingenii Humani, sibi nimis indulgentis: imò tandem inter CŒLVM & TERRAM.

II. Jam in EXCESSV peccare quosdam animadvertimus, qui modum in ista *Διδασκαλίᾳ* de *Prædestinatione* tenere vel nesciunt, vel nolunt. Inter hos refero, 1. Eos, qui extra orbitam S. Scripturæ & patefactionis Dei in ea de hoc Mysterio nimis exilientes atque vagantes, variis curiosis, spinosis, inutilibus, non necessariis Quæstionibus & controversiis, Doctrinam hanc non explicant, sed implicant; non evolvunt, sed involvunt,

vunt,& Icariis rationis suæ cœcæ alis in sublime sese extra septa Verbi Dei extollentes, in ipsa adyta Voluntatis Dei arcanæ sese immittere haud verentur; à priori, ut ajunt, quasi in Cancellariam Dei fuissent conducti, aut, ut Apostolus loquitur *vers.34. Dei Consiliarii* fuissent, ex Dei imperscrutabili mente, tanquam tonantes e Cœlo, Mysterium hoc Prædestinationis nobis volunt promulgare & edisserere. Hinc, quas ipsi concamerationes Decretorum Dei fabricârunt in cerebro suo, has affingunt Deo, & easdem omnibus credendas atque amplectendas magno cum supercilio obtrudunt. Post Pelagianos veteres, ab Augustino domitos, *Arminius* nostro seculo in hac structura fuit laboriosus Architectus, sed cujus papyraceam molem Veneranda Synodus Dordracena, Deo clementer juvante, feliciter destruxit, & quidem non absque gemitu & fremitu hodiernorum Pseudo-Lutheranorum, (quos sic appello, tanquam in hac Doctrina prorsus degeneres & apostaticos Lutheri Discipulos) qui in hunc usque diem procacibus & petulantibus suis calumniis, sarcasmis & anathematis Synodi illius & authoritatem convellere, & Canones arrodere atque paratragœdiare non desinunt.

2. Refero verò etiam inter Hyberbolicos Prædestinationis Doctores, eos, qui non tàm per ignorantiam, aut ingenii luxuriam, vel etiam arrogantiam, adyta hujus Mysterii de Prædestinatione conantur perrumpere: sed & eos, qui per imprudentiam inprimis, quando pro suggestu in Ecclesia est docendum, nesciunt observare τὸ πρέπον, τὸ μέτρον, inquam, τὸ παιδείας. quod quidem ab ipsis fieri animadverto non uno modo. Vt paucis comprehendam. α. Sunt, qui cùm hujus Doctrinæ sint Hospites, & vix illius lacticinium hauserint, velint pro suggestu & cathedra ejusdem esse Magistri. β. Sunt, qui suam Doctrinam ordiuntur e Cœlo, & innumera non necessaria ad populum garriunt de Dei Decretis, quæ ipsi non nôrunt & intelligunt, & cùm suas proprias cogitationes vel in minimis aliis, etiam secularibus, non possint digerere & ordinare, nimis heic indulgent suæ garrulitati. γ. Sunt, qui nimis anxiè ἀπὸ χειρῶν inquirunt in Prædestinationis causam impulsivam, & Dei Voluntati, quæ est causa causarum, in qua omnibus citra curiosam ejusdem examinationem acquiescendum esset; suis cogitationibus & ratiociniis sepes aliquas ponere volunt, extra quas nemo quicquam de ea cogitare debeat. δ. Sunt porrò, qui nescio quo intempestivo zelo & fervore Doctrinam hanc de Prædestinatione, quæ sufficienter quidem & evidenter, sed satis parcè in S. Scriptura nobis descripta est, nimis frequenter efferant in suggestum, cùm hoc non nisi occasione aliquâ, quam necessitas veluti efflagitat, fieri præstaret. Non heic tantùm Adversarios designo, quibus hoc solenne est, ut declamitent subinde contra nostram Doctrinam apud populum, ejusque aures obtundant, fatigent, & dehinc per aures animos atq; corda instigent & inflamment in odium nostri: sed & iis hoc dictum volo ex grege nostrorum, qui, si non insci..., attamen neque tempestivè, neque φρονίμως nonnunquam de hoc Mysterio disserere solent: inprimis, quando non tantùm de Electione dicendum est, sed &, quando aliquid occurrit occasionis disserendi de Reprobatione, ubi tunc longâ aliquâ declamatione, præter necessitatem, Doctrinam nostram, licèt veram, tamen Auditoribus, si non ad minimum suspectam, saltem fastidiosam reddunt.

III. Itaque tandem in mediam me verto sententiam, & dico: Neque silendum prorsus pro suggestu, vel in scriptis, quæ ad oculos populi & simplicium deveniunt, ob causas prædictas: neque interim fræenum nimium laxandum curiositati Hominum, sed Doctrinam hanc modicè, parcè, sobriè, modestè ita tractandam, ut serviat Auditorum consolationi, & incitationi ad pœnitentiam & studium pietatis.

1. Puto ergo, de nostra ad salutem *Electione* esse potiùs, quàm de *Reprobatione* disserendum, & caput hoc posterius, non nisi necessariâ & commodâ occasione efflagitante, attingendum.

2. Existimo, Doctrinam hanc populo proponendam non esse ordine *synthetico*, incipiendo à *priori*, ut ajunt, sed *analytico*, à *posteriori*, secundùm vestigia B. Apostoli Pauli in hac

in hac Epistola. Neque enim ille Doctrinam fidei Romanis tradendo, incepit à *Prædestinatione*, sed à *posteriori*, incipiendo à *Justificatione per fidem in Christum*; & hanc Justificationem posteà illustrando per ejus effecta, imprimis *Sanctificationem*, ex qua quilibet verè fidelium de sua Justificatione potest certus esse; hincque etiam porrò πληροφορίαν concipere suæ salutis, patienter dehinc, fortiter & constanter superare omnes tentationes, & seculi hujus afflictiones. Hoc primum fuit, quod egit Apostolus. Demum tandem occasione infidelitatis Judæorum, ob quam fuêre à Deo rejecti, & adoptionis Gentilium, qui Doctrinam Evangelii fide receperant; sese in sublime extulit ad docendum quoque æterna *Prædestinationis* Mysterium, ex qua, si de *Electis* sit sermo, originaliter fides Justificatorum descendit: si de *Reprobis* sermo sit, Infidelitas eorum non quidem tanquam effectum ex decreto Reprobationis, ut causâ, sequitur; sed tanquam consequens ex antecedente: quanquam *Induratio* eorum, quatenus est opus Dei, & justum eius judicium, sit quoque Prædestinationis eorum ad exitium effectus. Huic Ariadnæo filo Apostol. si insistamus, extricabimus nos & alios faciIe ex labyrintho hujus Mysterii.

α. Nam ut Homines ad Electionis suæ cognitionem perducantur, non ita sunt informandi, ut alas Icarias variorum cogitationum expandant in Cœlum & Archivum Dei cœleste, & in eo curiose scrutentur, an nomina ipsorum sint inscripta in Libro Vitæ. *Scrutator enim Majestatis opprimetur à gloria.* Sicut cùm Arbor aliqua exploranda, frugifera sit, nec ne, item hujus vel illius speciei; non fodienda, tentanda aut sulcanda est ejus radix, sed exspectandi flores & fructus: ita si quis de sua Electione velit esse certus, non arcanum Dei consilium ei scrutandum erit, sed patefacto Dei Verbo utendum, in quo docetur, Vocatos efficaciter, per fidem justificatos, sanctificatos habere communionem cum CHRISTO, tanquam Libro vero Vitæ. Itaque si fructus veræ resipiscentiæ ediderit, pietati & sanctimoniæ operam dederit, colliget hinc suam Sanctificationem, ex Sanctificatione veram Fidem, ex Fide Justificationem & Vocationem efficacem. Hinc tandem colliget, se esse electum, adeóque per prædicta media ad finem Electionis, sive æternam salutem & glorificationem perducendum.

Neque obstat, quòd Electi quidam nondum senserunt in se prædicta Electionis signa & media, ut hinc vellent arguere, se pertinere ad gregem Reproborum: sed ductum Verbi Dei sequantur, & exspectent suam hinc quoque illuminationem, cum *hora diei sint duodecim*, *Matth.* 20. hincque non se-ipsos, nec alios temere pro Reprobis habere debeant.

Nec illud obstat, quòd non rarò apud jam fideles & conversos ipsorum fides, pœnitentia & sanctitas eclipsin aliquam patiatur. Cogitent, hoc fieri ipsorum bono ad ipsorum δοκιμασίαν, humiliationem, inflammationem ad preces, studium subinde redintegrandæ resipiscentiæ: hincque, quia Spiritus S. testimonium est ἀμεταμέλητον, animum non despondeant, sed suæ restitutionis, adeóque salutis fiduciam concipiant.

β. Jam quod *Reprobos* attinet, nemo à priori suæ Reprobationis convinci debet, imò ne quidem temerè & præcipitanter à posteriori, defectu scilicet, ut dixi, fidei & resipiscentiæ, quia de omnibus per charitatem in posterum melius quid sperari debet, cum fieri possit, ut demum sub vitæ finem quis gratiam fidei & conversionis accipiat. Itaque tales facili negotio vel à Scylla desperationis, vel à Charybdi securitatis & impietatis revocari poterunt; si videlicet doceantur de sua electione, hincq; salute non desperare, modo mediis

ejus

ejus studiosè utantur, Verbo, Sacramentis, pœnitentiâ, precibus, fide. Hinc ab impietate non revocabuntur ad decretum ἀνεξιχνίαστον Reprobationis, quod Lutherus vocat DEUM ABSCONDITUM, sed ad DEUM PATEFACTUM & loquentem in Verbo suo, ac docentem, quòd quoscunque ad salutem perducere vult, eos perducere velit per media prædicta, adeoq; resipiscentiam & novæ vitæ studium. Itaque si salus ipsis cordi sit, media ista esse persequenda, animum & vitam ab impietate ad pietatem, à pollutione peccatorum ad studium sanctitatis & justitiæ flectendum.

Neque jam talibus residua futura erit excusatio, quòd, si reprobi sint, conatus omnis eorum futurus sit frustraneus & impossibilis. Quia enim scire nequeunt, quòd sint in Reproborum catalogo, non inhiandum ipsis huic arcano, sed mediis, quæ Deus ipsis porrigit. quæ si contumaciter usque ad finem respuant & contemnant, judicio Dei sunt relinquendi. Quòd si postmodùm ruant in desperationem, culpam sibi habeant: aut si in impietate ἀμετανοήτως pergant, non decreto Dei, sed suæ Diabolicæ nequitiæ ejus culpam & pœnam asscribant.

Quæst. II. An nulla prorsus retributio pro meritis nostris possit locum habere apud Deum? ex *vers.* 35. *Rat. dubit.* Quia Adam, si integer permansisset, videtur Deum suâ obedientiâ demeriturus fuisse.

Resp. cum Calvino, *Paulum non tantùm corrupta & vitiosa natura respectu Deum nihil nobis debere, colligere velle: sed si integer esset Homo, negat tamè quicquam afferre coram Deo posse, quo sibi gratiam conciliet: quia simul atq; esse incipit, jam ipso creationis jure ita est opifici suo addictus, ut nihil proprium habeat. Frustrà ergo jus ei suum eripere tentabimus, ne liberè, prout visum fuerit, de suis figmentis statuat, ac si mutua esset accepti & expensi ratio.* Hinc nec Adam, si in statu innocentiæ permansisset, Deum suum debitorem constituisset per meritum suæ obedientiæ. *Rat.* 1. Quia obedientiam ipse Deo debuit ex jure creationis. 2. Quia obedientiam, ejusque perseverantiam non habuit, nec habuisset à se, sed ex dono Dei. 3. Quia retributio immortalitatis ei contigisset, non ex debito aliquo Divino, sed ex dignatione, libero & benevolo Dei cum ipso inito pacto & fœdere. qualiter Pater aliquis obedientiam Filii sui, sibi licèt debitam, remunerare solet variis præmiis, propter promissionem ei factam.

CAPUT XII.

TRANSITIO. Hactenus *prima Pars* ΈΡΓΑΣΙΑΣ hujus Epistolæ Paulinæ ad Romanos fuit expedita, quæ comprehendit in se τὰ ΠΙΣΤΑ, *Doctrinam* videlicet de nostra IUSTIFICATIONE per *Fidem* in CHRISTUM, *Capp.I.v.16,&c.*--XI. uti suprà quoque monitum *pag.*7.

Succedit nunc *Pars altera*, quæ complectitur τὰ ΠΡΑΚΤΑ, varia videlicet *Monita* ad *Vitam Christianam* rectè atq; decenter instituendam, à Cap.X, usque ad *Capitis XV.vers.*13.

Dictum autem suprà, *pag.7,8.* Monita Apostolica occupari partim circa τὰ Ἀναγκαῖα, *Necessaria* & à Deo præcepta, Cap.XII.& XIII. partim circa τὰ Ἀδιάφορα, & res medias, Cap.XIV.& XV.v.1--13.

Monita, occupata circa res necessarias GENERALIA occurrunt hoc Cap.XII. quo Apostolus pertractat varia *Officia*, ad Vitam Christianam pertinentia, quæ exiguntur partim *primâ*, partim *secundâ* Tabulâ LEGIS. adeò ut secundùm ea Caput hoc in duas possit partes dispesci.

PARS I. CAPITIS.

MONITA ET OFFICIA PRIMAE TABVLAE.

In *prima* LEGIS *tabula* exigitur à nobis *Cultus Dei.* Hinc Apostolus v.1--8. ostendit, quâ ratione nos totos Deo in sacrificium per cultum rationalem consecrare debeamus. Consideranda autem heic venit

א. ΕἸΣΑΓΩΓΗ', *Exordium.* Introitum facit Apostolus

Vers.1.a. Vers.1.a. *Adhortor igitur vos, Fratres, per miserationes illas Dei.*

Vbi satìs indicat, quòd à Didascalia superiori nunc velit transitum facere ad varias Νουθεσίας. *Observ.* heic,

I. Συζυγία, seu nexus hujus Capitis cum superioribus. Indigitatur particulâ illativâ *οὖν, igitur:* quâ innuitur, Admonitiones has ex superiore doctrina emergere & concludi.

II. *Modus,* quo Apostolus in exhortando utitur. Dicit, παρακαλῶ, quod verbum significat tùm *hortationem*, tùm *rogationem.* Addit, ἀδελφοί, *Fratres*; ut ostendat, quàm non solùm seriò, sed humaniter ac benignè cum eis agat, sicque non solùm attentionem, sed & benevolentiam sibi apud Romanos conciliet.

III. *Causa,* quam fundamenti loco substruit: *Διὰ τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ Θεοῦ, per miserationes illas Dei.* Videtur Apostolus respicere ad magnum beneficium miserationis Dei, quâ non solùm electos ex Judæis, sed & Gentes, quales Romani fuerant, dignatus & complexus est, cujus *Cap. præced.* fusè, inprimis *vers.32.* fecerat mentionem: *Conclusit Deus omnes in contumaciam, ut omnium misereretur.* Ex hac Dei miseratione nunc Apostolus νουθετήματα sua concludit. *Observetur* autem,

1. Quòd non *miserationis*, sed *miserationum* in plurali faciat mentionem,

tionem, ſicut apud Hebræos dicuntur *Rachamim*, E.G. *Pſal.51.2.* ad magnitudinem miſericordiæ Dei inſinuandã. Nam quòd Apoſtolus *Cap. præced. verſ.33. de profundis divitiis ſapientiæ Dei* docuerat; id nunc voluit quoque intellectum de profundis divitiis miſericordiæ ejus.

2. Quòd ſpeciatim *Miſerationis* meminit, non *debiti noſtri*, non *juſtitiæ Dei*, non *mandati ipſius*, aut aliorum argumentorum, quæ potuiſſet afferre: ut innueret, hanc præcipuam eſſe cauſam, quæ nos ad ſtudium pietatis & ſanctimoniæ permovere debeat. Nam

α. Si *debitum noſtrum*, & cum eo *mandatum Dei* urgeatur, ſumus inutiles ſervi, quorum aures obſurdeſcunt ad mandata Domini, neq; penſi habent, quid Domino debeant.

β. Si urgeatur *juſtitia Dei* vel *remuneratrix*. vel *vindicatrix*; ea quidem compellit ad obedientiam, ſed vel mercenariam ex intuitu præmii; vel invitam aut coactam ex metu pœnæ.

γ. *Miſericordia* autem Dei, gratia & bonitas eſt omnium optimum incitamentũ ad ſtudium pietatis. *Rat.* 1. Quia ejus meditatio gignit in Homine ἀντιφίλησιν erga Deum: quemadmodum gratia magni Principis conciliat ei amorem ſubditorum. 2. Hinc æquitas quoque Homini perſuadet, ut tanto miſeratori ſeſe prono cordis ſui affectu ſubjiciat. 3. Atque hinc porrò ei ſeſe non ſervili, ſed filiali timore & obedientiâ totum addicat.

3. ΕΡΓΑΣΙΑ dehinc ſequitur *Admonitionũ*, quibus Apoſtolus ſummatim exhortatur ad ſtudium Pietatis & Sanctimoniæ. Admonitiones heic occurrunt tùm *generales*, tùm *ſpeciales*.

A. *Monitum* GENERALE,
ex prima Legis Tabula.

Generalis Admonitio

I. *Proponitur*

Verſ.1.b. *Vt ſiſtatis corpora veſtra hoſtiam vivam, ſanctam, placentem Deo, rationalem illum cultum veſtrum.* *Verſ.1.b.*

Verba continent alluſionem ad Sacrificia Veteris Teſtamenti, quæ Deo ſiſtebantur: & indicat Apoſtolus, ſimile nobis Chriſtianis incumbere officiũ, quod olim ſacrificantibus incumbebat, qui victimas

Deo in Templo offerebant. Heic verò seqq. diligenter observanda.

α. *Quibus* nunc in Novo Testamento hoc *Officium* incumbat. Omnibus nimirum fidelibus, quos Apostolus heic delineat, tanquam spirituales Sacerdotes. Olim in Veteri Testamento hoc officium incumbebat tantùm Levitis: nunc pertinet ad omnes fideles. *1. Pet. 2. 9. Apoc. 5. 10.* ut non sine sacrilegio *Sacerdotes Missatici* hoc nomen ex usurpatione aliqua proprietaria ad se rapiant, quibus ne quidem nomen proprietarium *Clericorum* ullo jure Divino competit, ut patet ex *1. Pet. 5. 3.*

β. *Quod & quale* sit hoc *Officium*. Positum illud est in sacrificando. In Veteri Testamento fuêre duûm generum sacrificia, ἱλαστικὰ seu *propitiatoria*; & *eucharistica*: quæ tamen omnia typica tantùm fuêre, respicientia CHRISTUM. In Novo Testamento nunc occurrunt quoque utriusque generis sacrificia. Ἱλαστικὸν est solus Christus, quo ipse perfunctus est in ara Crucis per propriam suam oblationem, & quidem semel tantùm factam, *Hebr. 9. 25, 26, 27, 28. & 10. 14.* ad expiationem & obsignationem nostrorum peccatorum, & consummationem eorum, qui sanctificantur, ut novo sacrificio Missatico, quod Antichristus in Ecclesiam invexit, opus ampliùs non sit. *Eucharistica* sacrificia etiam nostra sunt, & nobis ex officio incumbunt. *Hebr. 13. 15.* Heic ergo Paulus indicat,

1. *Quæ sint ista sacrificia. Τὰ σώματα ἡμῶν, corpora nostra.* In Veteri Testamento Sacerdotes offerebant alias à se victimas. Heic autem jubemur offerre *Corpora nostra* propria. Synecdochicè, id est, nos ipsos totos. *Corporis* autem fit métio, quia immolatio spiritualis potissimùm sese exerit in Corpore, videlicet mortificatio veteris Hominis, cujus vis maxima in Corpore, Carne videlicet ejusque concupiscentiis.

2. *Qualia?* Apostolus vult nos offerre *Hostiam*

Vivam, non, ut olim, mortuam, videlicet pecudem mactandam primùm, dehinc offerendam: sed *vivam*. Accipiatur hoc non de vita naturali, fidelibus cum infidelibus communi; sed spirituali.

Sanctam, videlicet sanctimoniâ spirituali præditam: sicut olim sacrificia integra, munda & immaculata offerri debebant. *Lev. 22, 21.*

Εὐά-

Εὐάρεστον τῷ Θεῷ, placentem Deo, id quod sequitur ex præcedentibus.

3. *Cui?* Deo soli. sicut olim sacrificia & hostiæ Deo offerebantur, sic nos Deo offerri & consecrari debemus. Sic innuitur, Deo soli, non nobis, non carni nostræ, non Mundo, non Satanæ, vivendum.

4. *Quomodo?* Per *λογικὴν λατρείαν*, per *cultum rationalem*. quando videlicet nos totos Deo sistimus ad obsequium, non solùm corpore, per externam obedientiam & *σωματικὴν γυμνασίαν*, *1.Tim.4.8.* sed & mente ac voluntate, omnibus cogitationibus, concupiscentiis, internis motibus, affectibus, inclinationibus: adeóque operam damus, ut *sanctificemur toti, & integer noster spiritus & anima & corpus inculpatè serventur in adventum Domini nostri Jesu Christi, 1.Thess.5.23.*

Vocat autem *rationalem cultum* duplici de causa. 1. Oppositè ad cultum ceremonialem & Leviticum, quando animalia bruta olim Deo fuerunt oblata, qui cultus jam exolevit: quasi diceret, cultum spiritualem. 2. Oppositè ad cultum merè externum & corporalem, quo etiam hypocritæ defunguntur, quo Deus satiari non potest. *Psal.50.8, &c. Jes.1.11. & seqq.*

Cæterùm, ut meliùs mens Apostoli percipiatur, sciendum, id in nostrî immolatione faciendum nobis *spiritualiter*, quod olim in sacrificiorum oblatione factum *corporaliter*.

1. Sacrificia fuerunt olim Deo immolata super altari. Nostrum altare est CHRISTVS. *Heb.13.10.* In ipso & per ipsum nos totos Deo offerre debemus: quia omnis Dei *εὐδοκία* conquiescit in ipso. *Matth.3.17. & 17.5.*
2. Sacrificia munda offerri debuerunt. Sic nos munditiei & sanctitati spirituali studere oportet.
3. Sacrificia offerri debuerunt voluntaria: sic nos promptâ voluntate Deo servire oportet.
4. Sacrificia Deo offerri debuerunt per mactationem & incensionem: sic nos Deo offerri debemus per abnegationem nostri ipsius, per mortificationem carnis, vivificationem spiritus, & tolerantiam crucis.
5. Sacrificia olim Deo oblata fuerunt, ad impetrandam peccatorum veniam, & testificandam gratitudinem pro acceptis beneficiis. Nostrûm est, Deo offerre vitulos labio-

rum nostrorum per preces & gratiarum actionem. *Hebr.13.v.15. Hos.14.v.3.*

II. *Admonitio* Apostoli proposita jam porrò *explicatur* verbis seqq.

Vers.2. Vers.2. *Et ne vos configurate seculo isti, sed transformate vos per renovationem mentis vestræ, ad hoc, ut probetis, quæ sit voluntas Dei, bona illa, placens ac perfecta.* Apostolus his verbis docet,

I. Quid *fugiendum & vitandum* sit: *ne configuremur huic seculo. Configurari seculo,* Apostolo significat, vitam instituere secundùm placitū, mores & consuetudinem Mundi, sive mundanorum Hominum. Hoc damnat Apostolus.

Ration. 1. Quia totus Mundus jacet in malo, *1.Joh.5.19.* 2. Quia ἀδύνατον est, Deo simul & Mundo, tanquam contrariis Dominis, servire. *Matth.6.24. Jac.4.4.* 3. Quia configuratio Mundi, est configuratio vanitatis. Ideò Apostolus utitur verbo συσχηματίζειν, ut indicet, Mundana omnia nihil aliud esse, quàm σχῆμα aliquod, id est, speciem & imaginem vanam, cui nihil subsit soliditatis. quo sensu etiam alibi à Paulo vox σχῆμα usurpatur, *1.Cor.7.31.* 4. Quia Mundus hic non semper est duraturus, sed tandem exspiraturus. Ideò Apostolus mentionem facit τοῦ αἰῶνος τούτου, *seculi hujus* aut præsentis, insinuans, hoc seculum non semper duraturum, sed finem habiturum: & seculum aliud sempiternum sequuturum. 5. Quia qui configurantur Mundo in vita ejus & moribus, illi tandem eidem configurabuntur quoque in exitio. *1.Cor.11.32.*

II. Quid è contrario sit *agendum.* Studendum *renovationi mentis,* id est, regenerationi & sanctificationi. Apostolus

1. Id indicat verbo μεταμορφοῦσθε, *transformamini.* quod non de substantiæ, sed de qualitatis mutatione accipiendum. Substantia enim non mutatur, nisi in nihilum redigatur, aut in aliam substantiam per abolitionem prioris formæ mutetur. & substantia per se bona est, tanquam creatura Dei. Mutari ergo oportet per depositionem corruptionis naturæ adhærentis.

2. Ideò addit Apostolus, τῇ ἀνακαινώσει, *per renovationem,* significans, ita renovari nos debere, non ut retineamus quod vetus est,

eſt, videlicet veterem corruptionem; multò minùs labamur in deterius, more Mundanorum Hominum, quorum *τὰ ἔσχατα χείρονα τῶν πρώτων*, *2. Pet. 2. 20.* ſed ut, quemadmodum domus aliqua aut veſtis renovatur, per mutationem in melius; ſic nos renovemur, deponendo & abjiciendo veteres ſordes & impuritates, & induendo novam ſanctitatem & juſtitiam.

3. *Subjectum* indicat hujus *ἀνακαινώσεως*, quum mentionem facit *τοῦ νοὸς*, *mentis*. Nuper *corporis*, nunc *mentis* meminit. Quare? ut indicet, corruptionem adhærere toti Homini, huncque adeò, ſi debeat hoſtia fieri Deo placens, non ſolùm extùs, ſed & intùs in tota Anima, ejusque non ſolùm parte, quam vocant, *ἀλόγῳ*, *animali*, ſed & *λογικῇ*, *rationali*, mente, inquam, & voluntate eſſe renovandum; per illuminationem mentis, & diſcuſſionem tenebrarum atque errorum ejus: per converſionem voluntatis, & transformationem ejus ad obſequium voluntatis Dei: ſanctificationem denique & coërcitionem impurorum & rebellium affectuum & concupiſcentiarum.

4. *Finem* denique indicat hujus mutationis, videlicet *Vitæ* quoque *novitatem*: *ad hoc, ut probetis, quæ ſit voluntas Dei, &c.* Sicut enim Arbor aliqua ſylveſtris immutatur & maritatur, ut fructus gratos & ſalutares proferat: ſic nos immutari & renovari oportet, ut fructus Deo placentes totâ vitâ noſtrâ proferamus. Hoc Apoſtolus indigitare vult, quum loquitur de *probatione voluntatis Dei*. Hæc enim non ſolùm *theoricè*, de otioſa exploratione & cognitione; ſed & *practicè*, de impletione voluntatis Dei eſt intelligenda. Atque heic Apoſtolus ſecundùm *τὸ*

α. *Ὅτι* indicat, quæ nobis Vitæ in melius informandæ & reſtaurandæ unica *Regula* eſſe debeat: videlicet, non noſtra voluntas & placitum; non ea, quam Papa dictat extra Verbum Dei, mandando cum obligatione & captivatione conſcientiæ, quæ Deus non mandavit; prohibendo, quæ Deus libera eſſe voluit, imò non rarò contra Dei inviolabilem Legem diſpenſando, & permittendo, quæ Deus voluit eſſe prohibita. ſed ſolam *voluntatem Dei*, non, inquam, *arcanam* illam & abſconditam in Dei conſilio, quæ demùm ex eventu pateſcit; ſed revelatam in Verbo, non *ἀγράφῳ*, quod Papa jactat mendaciter, ſed *ἐγγράφῳ*, ſeu Scripturâ Sacrâ, tùm Legis, tùm

Evan-

Evangelii: quippe *quæ Hominem poteſt reddere perfectum, ad omne opus bonum perfectè instructum, 2.Tim.3.17.*

β. Διότι, Rationes attexit, ob quas Vitam noſtram ſecundùm Dei voluntatem conformare debeamus, quia ſit Voluntas

a. *Bona.* Nam ſi Deus bonus, utique quoque ejus voluntas.

b. *Sancta,* expers omnis impuritatis, qualis adhæret & cõgenita eſt voluntati noſtræ.

c. Εὐάρεστος, *placens*, ſcilicet Deo, tanquam ab ipſo in Verbo ejus præcepta, extra quod omnis Humana ἐθελοθρησκεία coram Deo fœtet ac ſordet.

d. *Perfecta.* quia Deus, quicquid à nobis exigit, quod ad ejus gloriam pertinet, quodque nobis ad ſalutem neceſſarium eſt & expedit, perfectè nobis in Verbo ſuo patefecit.

B. *Monita* SPECIALIA,
ex ſecunda Legis Tabula.

Apoſtolus *generaliter* initio hujus Capitis admonuerat ad ſtudium pietatis & ſanctimoniæ, per quod fideles, tanquam ſpirituales Sacerdotes, ſeſe debeant DEO ad unicum ipſius ſervitium conſecrare. Nunc *ſpecialiùs* hanc ſuam *Admonitionem* exequitur monendo de VSV DECENTI DONORVM DEI, inprimis in *Officiis Eccleſiaſticis.*

ΕΙΣΑΓΩΓΗ' habetur

Verſ.3.a. Verſ.3.a. *Enimverò per gratiam, quæ mihi data eſt, edico cuivis verſanti inter vos.*

Ab authoritate ſui officii vult Auditores reddere attentos & morigeros: quia loquatur non ex inſtinctu proprio, ſed ex authoritate & poteſtate ſui officii, videlicet Apoſtolatus ſibi demandati. Χάριτος autem ſive *gratiæ* meminit, ut indigitaret ejus fontem & cauſam primariam, non ſuam dignitatem & merita, ſed ſolam Dei indebitam & gratuitam miſericordiam, uti alibi quoque *Galat.1.v.15,16. 1.Tim.1. verſ.11--14.*

ΕΡΓΑΣΙ'Α dehinc ſequitur, quâ Apoſtolus pertractat *Admonitionis* ſuæ

ℵ. Τὸ ὅτι.

I. *Communiter* Apoſtolus eam inſtituit

Verſ.3.b. Verſ.3.b. *Ne (quis) ſapiat ſuprà quàm oportet ſapere: ſed ſapiat ad ſobrietatem.* Quibus verbis

א. De-

α. *Dehortatur* ab abusu donorum & gratiarum Dei: μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ne sapiamus supra modum, ultra id quod decet. Apparet, Apostolo occasionem præbitam à vitio, ad quod Romanos noverat esse proclives; quippe qui sapientiæ opinione turgebant præ aliis, inprimis etiam fidei præ Judæis: quò etiam respiciebat suprà *Cap.11.20.25.* Puto ergo, Apostolum voluisse insinuare seqq.

1. Ne quis superbiat & efferatur τῇ δοξοσοφίᾳ, nimis sibi tribuendo, & alios præ se contemnendo: sed cogitet, quod habeat, id non à se habere, sed à Deo accepisse, & quidem tanquam donum gratuitum: ut alibi, *1.Cor.4.7.* Hoc sapere accipitur de *Personis* τοῖς ὑπερφρονοῦσιν. Sic prohibetur *arrogantia*.
2. Ne quis sapiat, ultra gratiam acceptam, ea quæ ipsius captum & vocationem superant. Hoc *sapere* intelligitur de *Rebus*. Sic prohibetur *curiositas*.
3. Ne quis limites suæ vocationis & officii transiliat, involando in vocationem & munia aliena, sed quilibet intra cancellos suæ vocationis se contineat. Sic damnatur ἡ πολυπραγμοσύνη & ἀλλοτριοεπισκοπή. *1.Pet.4.15.*

β. *Adhortatur* ad usum rectum atque decentem, præcipiendo τὴν σωφροσύνην, *sobrietatem* & *modestiam*, quæ, ut ex antithesi præcedenti patet consistit in eo: 1. Vt quisq; de se sentiat moderatè & humiliter: 2. Vt in sapiendo, v.gr. in meditatione & scrutatione rerum sacrarum, & in rebus fidei, non excedat τὸ δυνατὸν vel τὸ πρέπον, sed maneat intra limites sui captus & Scripturæ S. 3. Vt quilibet vocationis quoque suæ habeat rationem, intra ejus septa se contineat, & ea tantùm, quæ illi sunt consentanea, sapiat. Sic alibi, *1.Cor.7.20. Eph.4.1.*

3. Τὸ Διότι.

Apostolus *Causas* suæ *Admonitionis* profert,

Vers.3.c. *prout cuiq; Deus partitus est mensuram fidei.*

Vers.4. *Quemadmodum enim in uno corpore membra multa habemus: membra verò omnia eandem non habent actionem:*

Vers.5. *Ita multi illi unum corpus sumus in Christo, singulatim autem alii aliorum membra.*

Verba hæc *causas* comprehendunt desumptas à consideratione

α. *Gratiarum* illarum ac *donorum*, quibus Homines Christiani & fideles pollent, quia hæc sint *Vers.3.c.*

1. *Dona Dei*, non humanæ, sed Divinæ originis. Ideò dicit: ὁ Θεὸς ἐμέρισε. Contra Pelagianos. Sic alibi, *Matth.16.17.Philipp.1.29.*

2. *Dona μεμερισμένα, dispertita*, adeóque non uni omnia, nec alicui nulla, sed juxta Dei liberum beneplacitum inter fideles distributa, ut hic unam, alius aliam acceperit gratiam. sicut videmus Stellas omnes quidem lucidas, sed luce atq; splendore inter se differentes.

3. *Dona mensurata*, & gradibus secundùm magis & minus distincta, ut quivis in sapiendo sui doni mensuram debeat explorare & attendere, neque ultra eam suum sapere per arrogantiam, aut curiositatem, aut πολυπραγμοσύνην, extendere.

4. *Dona fidei*, ut quicquid illis pretii & dignitatis adhæret, id non habeat ex merito proprio, sed ex fide in Christum, in quo, per quem, & propter quem Deus nobis omnia gratificatur.

β. *Communionis*, quæ fidelibus intercedit cum Christo ceu Capite, & cum semet-ipsis ceu membris. Hanc tanquam magnum mysterium, *Eph.5.32.* Apostolus illustrat similitudine communionis membrorum in corpore Humano. Vbi considerand.

Vers.4. 1. *Protasis, v.4.* ubi indicatur, 1. Multa esse membra unius corporis: 2. suis virtutibus & actionibus distincta: 3. mutuò sibi invicem servientia & succurrentia.

Vers.5. 2. *Apodosis, v.5.* ubi indicatur, 1. Multos esse fideles, sed omnes unius Corporis mystici, Ecclesiæ scil. sub uno Capite membra: 2. multis quoque & diversis inter sese distingui muniis & actionibus: 3. ita tamen, ut per πανχαρμονίαν, mutuamque concordiam & reciprocam συγχορηγίαν, collaborent singula ad singulorum & totius Corporis Christi mystici ædificationem. quod alibi ab Apostolo fusiùs digeritur, *1.Cor.12.12.& seqq. Ephes.4.15,16.*

Vsus. Hinc jam Apostolus vult fideles admonere sui officii, ut tanquam unius Corporis mystici sub uno Capite Christo membra, nihil sapiant aut agant per arrogantiam, curiositatem, πολυπραγμοσύνην: sed quilibet suorum donorum à Deo acceptorum, eorumque mensuræ & vocationis memor, in id unum incumbat, ut talento suo uti possit ad Dei gloriam & aliorum proximorum fidelium ædificationem ac salutem, juxta quoque Petri monitum, *1.Pet.4.10,11.*

Vers.6.7.8. II. *Speciatim* jam Apostolus, ad *officia* quædam *Ecclesiastica* descen-

scendens, admonet eorum Prostatas. Distinguit ea in PROPHETIAM & DIACONIAM, ut patet ex

Vers.6. *Habentes autem diversa dona, pro gratia, quæ nobis data est, sive Prophetiam* (prophetemus) *pro proportione fidei:* Vers.6. & 7.a.

Vers.7. *Sive ministerium*, (versemur) *in ministrando.*

Observand. heic Admonitionis Apostolicæ

1. *Subjectum.* Sunt
   α. *Prophetæ* quo nomine non intelliguntur heic *Vatidici* tantùm, futurarum rerum prænuncii, quales olim tùm in Veteri, tùm in Novo Testamento complures fuerunt: sed quilibet Verbi Dei Doctores, & S.Scripturæ interpretes, quod aliis quoque in locis innuitur, *1.Cor.13.19 & 14.5,32.*
   β. *Diaconi.* quo nomine intelliguntur Eleemosynæ & bonorum Ecclesiasticorum Administratores, ut patet ex aliis locis, *Act.6.1,2.1.Tim.3.8.*
2. *Attributum*, quo docetur,
   α. *Prophetarum* seu *Doctorum* officium esse, ut *prophetent*, id est, doceant populum *κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, secundùm proportionem fidei.* Sic Beza. Lutherus: so dem Glauben ähnlich seye. Intelligo ita: secundùm S.Scripturam, tanquam unicam Fidei regulam.
   β. *Diaconorum* officium esse, 1. Vt maneant in sua Diaconia, neque invadant Propheticum sive Doctorum munus. 2. Vt quoque tanquam fideles Diaconos in suo hoc munere se exhibeant.

   Intelligit autem per *Diaconos*, Doctorum & Pastorum adjunctos non quidem in doctrina, sed in regimine Ecclesiastico, inprimis curâ pauperum & administratione Eleemosynæ & bonorum Ecclesiasticorum, quo munere se Apostoli abdicârant, ut doctrinæ meliùs vacare possent. *Act.6 2,3,4.*

Hoc verò omne Apostolus jam in verbis seqq. fusiùs & particulariùs exequitur, agens

A. *De Officio* PROPHETICO.

Vers.7.b *Tùm is, qui docet, in docendo.*

Vers.8.a. *Tùm qui exhortatur, in exhortatione.*

Apostolus mentionem facit Officii

Vers.7.b. I. Διδασκαλικῆ, *Doctrinalis*, quum meminit διδάσκοντος. α. *Designat* Doctores Evangelii in Ecclesiis & Scholis, quorum officium est, Verbum Dei annunciare atque interpretari, ad Auditorum in Ecclesia & Juventutis studiosæ ædificationem. β. *Monet*, ut maneant in διδασκαλίᾳ. Præclarum monitum, quo significatur,

α. Ministrorũ fidelium Christi esse, docere publicè Verbũ Dei & Evangelium Christi, juxta ipsius Christi exemplum, *Joh.20.21.* & præceptum, *Matth.28.19.* Apostolorum item exemplum, inprimis Petri, *1.Pet.5.2,3.* & Pauli, *1.Cor.9.16,17.* Quo ergo ablegandi sunt Pontifices Romani, Christi (scilicet) vicarii, Petri in Cathedra Apostolica (scilicet) successores: Cardinales, Archiepiscopi, cum præcipuo Romanistico Clero? Non docent: docere nolunt: quippe quos pudet Evangelii Christi. Hinc nostros Pastores per contemptum vocare solent *Prædicantes.* docere nesciunt, tanquã ignorantiæ mancipia. sed dominantur Clero, contra Petri monitum, *1.Pet.5.3.* imò rerum secularium plus satagunt, quàm spiritualium, sacrilegis technis expilant Christi membra, bona Ecclesiastica, quæ usibus sacris veræ Religionis & cultûs servire deberẽt, deglutiunt & convertunt in aulicas suas luxurias. Atqui Doctores alios habent succenturiatos? An hoc Christus Petro vel ulli Apostolorum indulsit, ut debeat Romæ in Palatio sedere, totum Mundum gubernare tantùm per suos Nuncios, Legatos, Bullas; ore interim clauso, muto, absque Evãgelii prędicatione? An hoc egit Petrus vel Paulus Romæ; vel Apostoli alibi? CHRISTVM OPT. MAX. quis sibi imaginetur Romæ vel in Capitolio, vel in Castello Pontificis, qui se ejus vocat Vicarium, sedentem: Putabit'ne, se Christum ibi talem inventurum, qualem se hactenus theatrisavit Pontifex Romanus, ore, quoad Evangelii prædicationem, mutum, terrena omnia & secularia magìs, quàm spiritualia curantem, immersum opibus, delitiis, honoribus, voluptatibus & vanitatibus mundanis? Quorsum Christus deserto

κατὰ σάρκα Mundo in Cœlum aſſcendit? An ut Pontifici ſuo *διαδεχομένῳ* Vicario relinqueret omne dominium partim Eccleſiaſticum, partim Politicum & Seculare in terris; & Regnum illud Mundanum, quod Judæi ſomniant in huncuſq; diem, in ipſum poſtliminiò transferret: ipſe interim faſciis huic ſuo ementito Proregi, viſibili Capiti relictis, otioſus aut ſpeculabundus in Cœlo intueretur præclaras iſtas atque ſpecioſas Comœdias & luſus, quos Papæ Romani per aliquot ſecula exhibuerunt toti Orbi? Sed pergo.

b. Eorundem Miniſtrorum eſſe, docere *ſecundùm* *τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως*, id eſt, ſecundùm normam aut regulam *τῶν πιστῶν*, credendorum, cum *παναρμονίᾳ* revelatorum in S. Scriptura. Sed de hoc pluribus monebo in *Quæſtionibus*.

2. Νουθετικοῦ, *v.8.a. Qui exhortatur, in exhortatione.* Intelligit hoc de *Paſtoribus*, quorum eſt exhortari. Competit quidē ipſis quoque officium docendi, ſed non tantùm, nec ut terminetur in Auditorum informatione; ſed ut ſecum trahat eorundem emendationem, quæ fit per exhortationem, reprehenſionem, conſolationem, &c. *Verſ.8.a.*

B. *De Officio* DIACONICO.

De eo agit Apoſtolus *Verſ.8.b.*

Verſ.8.b. *Tùm is, qui diſtribuit, cum ſimplicitate: tùm qui præeſt, cum diligentia: tùm qui miſeretur, cum hilaritate.*

Mentionem Apoſtolus facit

1. *Diſpenſatorum*, *Μεταδιδόντων*, ſive Curatorum & Adminiſtratorum bonorum & redituum Eccleſiaſticorum. Nam in primitiva Eccleſia moris fuit, ut Chriſtiani bona ſua divenderent, & pecunias conjungerent, *Act.2.44,45.* ad ſuſtentationem communem, & pauperum conſolationem. Ærario Eccleſiaſtico præpoſiti fuerunt Curatores fideles & religioſi.

   Ab iis Paulus heic exigit *τὴν ἁπλότητα*, *ſimplicitatem*, id eſt, integritatem, fidem, quæ careat omni fallaciâ, verſurâ, injuſtitiâ, *προσωποληψίᾳ*. Sic alibi quoque *1.Tim.3.8,9,10.* Sic Petrus *1.Epiſt.4.11. Si quis miniſtrat, tanquam ex viribus, quas ſuppeditat Dominus.*

2. *Præfectorum*, *προϊσταμένων*. Intelligit *Presbyteros*, Seniores Ec-

clesiæ, quibus unà cum Pastoribus incumbit cura regiminis & custodia disciplinæ Ecclesiasticæ, quam Apostolus alibi vocat *κυβέρνησιν*, *1.Cor.12.28.*

Ab iis exigit *σπουδὴν*, *diligentiam*, quam scilicet adhibere debeant in solicita Ecclesiæ inspectione, *ἀτάκτως* viventium observatione, correctione & emendatione, & scandalorum ex Ecclesia averruncatione.

3. *Miserentium*, *ἐλεούντων*. Non intelligo communiter opitulatores miserorum, sed, quia heic de muniis Ecclesiasticis agit, curatores pauperum & ægrotorum, quales ferè erant Viduæ. *Act.6.1.1.Tim.5.9.*

Ab iis exigit *hilaritatem*, *non modò* (verba sunt Bezæ) *ut fungantur suo munere alacriter, sed etiam, ne mœrorem addant mœrori, si tetricos & morosos in solandis miseris sese præbuerint.*

QVÆSTIONES,
ex Cap.XII.vers.1---8.

Quæst. I. An verus Dei cultus sit in potestate Liberi Hominis arbitrii? *Rat. dub.* Quia Paulus *vers.1.* Romanos hortatur, *ut sese sistant Deo sanctam hostiam per rationalem cultum?*

Resp. 1. Nullum esse Homini liberum Arbitrium ad ullum salutare bonum, hincq; ad verum & Deo placentem cultum, Scriptura passim testatur, docendo: *Omne figmentum cordis Humani esse tantummodo malum omni tempore*, *Genes.6.5.* *quicquid natum ex carne, esse carnem*, *Joh.3.6.* *quæ est inimicitia adversus Deum*, *Rom.8.7.* *Hominem animalem non esse capacem eorum, quæ sunt Spiritus Dei, sed esse ei stultitiam*, *1.Cor.2.14.* Homines irregenitos esse *servos peccati*, *Rom.6.20.* imò *mortuos in peccatis*, *Ephes.2.5.* & quæ similia passim occurrunt loca. Quanquam enim aliquid restat Hominis voluntati virium in externo Dei cultu, & obeundis ejus externis ceremoniis, tamen à *λογικῇ λατρείᾳ*, cujus heic Apostolus facit mentionem, ea est alienissima. Si Homo per naturam in peccatis sit mortuus, quomodo se poterit Deo sistere *hostiam vivam?* An mortuus suis viribus se poterit resuscitare in vitam? Si Homo per naturam ita sit peccato pollutus, ut non magis se mundare & purificare possit, *atq; Æthiops mutare suam pellem, aut Pardus suas maculas*, *Jer.13.23.* quomodo se poterit Deo sistere *Hostiam sanctam?* Si Homo per naturam sit *στυγητὸς*, *Tit.3.3.* *filius iræ*, *Ephes.2.3.* quomodo se poterit Deo sistere *hostiam placentem?*

2. Neque interim admonitiones sunt frustraneæ aut elusoriæ. Nam quando diriguntur ad *Irregenitos*, *α.* non arguunt ipsorum *τὸ posse* aut vires, quas habeant ad suam conversionem; sed *debitum*. *β.* Per easdem non raro in externa disciplina continentur, tanquam per frænum aliquod. *γ.* Impœnitentes per easdem redduntur *ἀναπολόγητοι*. Impotentia quippe eorum non est excusabilis, cum culpam ejus attraxerint in Protoplastis, in & cum quibus Imaginem Dei, ad quam primitùs conditi fuerant, hincque vires omnes ad bonum, decoxerunt. *δ.* Adde, Admonitiones apud convertendos esse efficax medium, per quod regenerantur & convertuntur, juxta dictum Christi: *Adveniet tempus, & nunc est, quum mortui* (scilicet spiritualiter in peccatis) *audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent. Joh.5.25.* *Regenitos* quod attinet, cum per Regeneratio-

nem

nem novas ad bonum vires acceperint, admonitionibus prædictis in statu gratiæ confirmantur, & ad augendam gratiam stimulantur & animantur.

3. Hinc, quum Paulus Romanos ad verum Dei cultum hortatur, eos alloquitur, non ut irregenitos in naturæ viribus consideratos; sed ut regenitos fidei gratiâ jam imbutos & conversos.

Quæst. II. An Homo possit se-ipsum renovare? *Rat. dubit.* Quia Apostolus *vers.* 2. id-ipsum exigit à Romanis.

Resp. Coincidit hæc *Quæstio* cum priore. Hinc eâdem responsione expediri potest. *Irregenitus* se-ipsum renovare nequit. Quando autem præceptum renovationis ei proponitur, trahit illud apud electos secum virtutem & efficaciam renovationis: ut quum Christus Lazarum post mortem quatriduanam jussit prodire è sepulcro & revivifcere, *Joh.* 11. 43, 44. Quis hinc arguat, mortuum habuisse vires semet-ipsum vivificandi? Vox autem Christi & mandatum conjunctam habuit virtutem vivificationis. *Regenitus*, quales Romani fuerant, actus jam à Deo agit, & per gratiam ab eo acceptam magis ac magis se-ipsum renovat, veterem Hominem exuendo & novum induendo.

Quæst. III. Quid Apostolus *vers.* 6. intelligat per ἀναλογίαν τῆς πίστεως?

Resp. 1. Sunt qui intelligant revelationis modum aut mensuram, ut scilicet quisq; prophetet, id est, sacra doceat & interpretetur pro eo dono fidei & cognitionis, quod accepit, neq; suam prophetiam extendat ultra vires datas. Sed jam Apostolus hoc ipsum suprà *vers.* 3. monuerat: *ut quisq; sapiat ad sobrietatem, prout cuiq; Deus partitus est* τὸ μέτρον πίστεως, *mensuram fidei*, & hoc ipso *vers.* 6. Apostolus jam dixerat, *nos habere* χαρίσματα *juxta gratiam nobis datam.* 2. Malo ergo inclinare in eorum sententiam, qui existimant, Apostolum plus voluisse dicere, ut scilicet quibus prophetandi aut docendi munus in Ecclesiis & Scholis incumbit, prophetiam instituant secundùm normam Fidei. Hoc sensu *analogia* significat *proportionem* sive convenientiam cum fide: & *Fides* non significat habitum fidei, qui est in credentibus, sed *regulam* fidei, qualis nimirum exhibetur in S. Scriptura, tanquam Verbo fidei: ac nominatim, ut Calvinus loquitur, *prima Religionis axiomata*, sive αὐτόπιστα capita Doctrinæ Christianæ, qualia contexta sunt in Symbolo Apostolico, *quibus quæcunq; doctrina deprehensa fuerit non respondere, falsitatis sic convincitur.* Sic Melanchthon: *Præceptum heic traditur, observandum esse, ut Doctrina habeat analogiam fidei, id est, ut sit conveniens fidei, ne fidem in Christum extinguat, ne dissentiat ab Evangelio.*

Quæst. IV. Quid sibi velit repetitio verborum, *vers.* 7, 8. εἴτε διακονίαν, ἐν διακονίᾳ, *&c.*

Resp. Indicare voluit Apostolus, quemque in Ecclesia debere esse muneris sui satagentem, ut cui contigit Diaconia, sive cura Eleemosynæ & pauperum, in eam sit studiosè intentus: sic cui contigit munus docendi & exhortandi, in illud quoque omni diligentiâ incumbat, & caveat à πολυπραγμοσύνῃ: ut similes sint istæ loquutiones vulgaribus illis: *Spartam quam nactus es, exorna.* Item: *Tractent fabrilia fabri.*

PARS II. CAPITIS XII.


MONITA ET OFFICIA

SECVNDAE LEGIS TABVLAE.

Hactenus Apostolus *Admonitiones* proposuit, haustas ex *prima Legis Tabula.* Nunc progreditur ad alias ex *secunda Tabula* depromptas: videlicet

delicet ad OFFICIA CHARITATIS, quæ debemus Proximo in communi conversatione ac vita: adeò ut Apostolus nobis heic exhibeat veluti ETHICAM aliquam CHRISTIANAM. Præmittere heic placet Tabellam.

TABELLA.



Apostolus secundâ hâc Capitis XII. parte exhortatur ad
- CHARITATEM, tanquam fontem omnium Virtutum Ethicarum & Politicarum. *vers.9.a.*
- CHARITATIS *officia* & *exercitia*, idque tùm
  - *In genere*, exigendo tum
    - *Fugam mali. v.9.b.*
    - *Studium boni. Ibid.c.*
  - *In specie*, enumeratis variis *Virtutib* quibus sit studendū erga tùm
    - *Amicos*, sive fratres fideles & sanctos, tùm in
      - *Prosperitate*, uti est
        - Φιλαδελφία. *v.10.a.*
        - Φιλοτιμία. *Ibid.b.*
        - Φιλοσπουδῇ *v.11.*
      - *Adversitate*, eáque tū
        - *Nostrâ* propriâ. Requiritur
          - *Patientia.*
          - *Spes.*
          - *Oratio.*
          - *v.12.*
        - *Alienâ* Proximi, quò pertinet
          - *Beneficentia* seu *Liberalitas.*
          - *Hospitalitas.*
          - *v.13.*
    - *Inimicos* seu Persequutores. Exigitur, quoad ipsorū tùm
      - *Malefacta* & injurias illatas,
        - *Commissio* boni, Benedictio. *v.14.a.*
        - *Omissio* mali, scilicet maledictionis. *v.14.b.*
      - *Statum* eorum, tum
        - *Prosperum*, Συγχαιρεία. *v.15.a.*
        - *Adversum*, Συμπάθεια. *v.15.b.*
    - *Quosvis alios.* Requiritur
      - *Concordia. v.16.a.*
      - *Media* ad eam ducentia. Studium
        - *Humilitatis. v.16.b.*
        - *Honestatis*, & inculpatæ ἀναστροφῆς. *v.17.b.*
        - *Mansuetudinis.* Apostolus tùm
          - *Dehortatur* à *Vindicta cupiditate. v.17.a. & 19.*
          - *Hortatur* ad contrarium studiū *Beneficētia. v.20, 21.*

Nunc

Nunc singula persequi animus est, vestigiis Apostoli Pauli insistendo.

A. *De Charitate*.

De ea agit Apostolus

Vers.9.a. Vers.9.a. *Charitas* (esto) *minimè simulata.*

I. *Incipit* à *Charitate*, tanquam fonte & origine reliquarum virtutum & officiorum, quibus studendũ est erga proximum. quâ de causâ Apostolus postea *Cap.13.10. Charitatem* vocat πλήρωμα τοῦ νόμου, *completionem Legis*, ut & *1.Tim.1.5.* τέλος τῆς ἐπαγγελίας *finem mandati*, & *Coloss.3.14.* σύνδεσμον τῆς τελειότητος, *vinculum perfectionis*. non quòd Lex aliud nihil præcipiat, quàm charitatem, sed quia charitas est totius obedientiæ Legis tùm γνώρισμα, sive indicium, tùm mensura. Nam ex ea cognoscitur Fides & pietas in Deum; & per eam demum omnia nostra officia, quæ Deo & proximo debemus, grata & accepta redduntur. Hinc alibi iterum Paulus: *Tota Lex uno verbo completur: Diliges proximum tuum, ut te-ipsum, Galat.5.14.* Cùm autem *charitas* sit gemina, una, quâ *Deum*; altera, quâ *proximum* diligimus: Apostolus nunc, de officiis secundæ Legis tabulæ agens, agit de charitate posteriore.

II. *Præcipit* autem, ut sit ἀνυπόκριτος, *minimè simulata*, id est, sincera, integra, absque dolo & fallacia, quæ non tantùm resideat in ore, sed radices agat in corde, & efficacem se ac vivam exhibeat in opere. *Admonitionis* hujus

1. *Necessitas* hinc arguitur, quòd omnis Homo per naturam sit mendax, *Psal.116.11.* Hinc simulare pleriq; & affectare solent charitatem extrinsecus verbis ac gestibus, prementes interim pravos cordis affectus; quibus mel in ore, fel in corde, os Jacobi, ut vulgo dicunt, manus Esavi. *Psal.55.22.*
2. *Æquitas* patet tùm ex naturâ Legis, quippe quæ spiritualis est, *Rom.7.14.* & requirit non solùm externam μόρφωσιν & speciem, sed & interiorem sanctitatem & obedientiam: tùm ex reciproca charitate, quam exigimus à proximo, quam volumus esse ἀνυπόκριτον. adeò ut locum heic habere debeat illud Christi *Matth.7.12.* quòd vulgò sic effertur: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.*
3. *Utilitas* arguitur inde, quia non nisi per veram & sinceram charitatem erga proximum possumus certiores reddi de Dei erga nos dilectione. Sicut enim ex eo ipso, quo quis

interdiu proximum oculis suis intuetur, potest cognosci, quòd Sol ipsi luceat: ita ex luce charitatis nostræ erga proximum dignoscitur lux charitatis Dei erga nos.

B. *De* CHARITATIS *exercitiis & operibus.*

Apostolus alibi vocat *Charitatem laboriosam*, quando meminit τῦ κόπυ τῆς ἀγάπης, *1.Thess.1.3.* Quis hic κόπος aut labor sit, nunc edisserit

Vers.9.b. I. Γενικῶς, in *genere*,

Vers.9.b. *Abhorrentes à malo, agglutinati bono.*

Possent ista verba extendi quidem ad omnia etiam *Pietatis* officia, juxta monita quoque alia similia, *Psal.34.15. Jes.1.16.* sed heic Apostolus *Charitatis* officia persequitur, ostendens communiter

1. Quid *vitandum* sit: τὸ πονηρὸν, *malum*, omnes scilicet injuriæ & offensæ, quibus læditur proximus, quæque militant contra sinceram charitatem, ut alibi quoque *1.Thess.4.6.*

2. Quid *agendum*: sectandum *bonum*, & quidem cum summo studio & contentione animi. Ideò utitur verbo κολλώμενοι, quo non quævis adhæsio, sed arctissima colligatio insinuatur, qualis deprehenditur in iis, quæ glutine intercedente cohærent, uti alibi quoque *1.Cor.6.16.*

II. Εἰδικῶς, in *specie* postea varia *Charitatis* officia recensentur, quibus studendum est erga *Amicos, Inimicos* & *quosvis alios.*

א. *De Officiis erga Amicos.*

Apostolus indicat, quomodo affecti esse debeamus erga eos

I. In *Prosperitate.*

Vers.10. *Fraterna charitate alii ad alios amandos propensi. Honore alii aliis præeuntes.*

Vers.11. *Studio minimè ignavi. Spiritu ferventes. Domino servientes.*

Requirit his verbis Apostolus seqq. *Virtutes*

Vers.10.a. 1. Φιλαδελφίαν, *v.10.* quo monito insinuare voluit

α. Amorē, quo debeamus prosequi quosvis Homines, tanquam fratres carnales ab una Adamica stirpe: quo sensu quilibet proximus dicitur esse una nobiscū caro, *Jes.58.7.*

β. Amorem & dilectionem arctiorem, quâ fideles suos συμπίστους in Christo & συναδέλφους debēt cōplecti, tanquam

συμ-

membra unius Corporis spiritualis, Ecclesiæ, sub uno Capite CHRISTO. uti alibi *Gal.6.10.*

γ. Gradum intensivum Amoris prædicti, quum additur *φιλοστοργία*: qua voce per allusionem ad *στοργὴν* naturalem, quæ intercedit Patribus cum liberis, & fratribus naturalibus inter se mutuò, designatur summa ad amandum propensio & inclinatio.

2. *Φιλοτιμίαν. vers.10.b.* Vult Apostolus, *ut alii aliis honore praeant.* *Vers.10.b.*
Quomodo? Agnoscendo in eis Dei dona, Deoq; ob ea gratias agendo, & debitum cuique honorem exhibendo. Ac notandum, Apostolum velle nos esse *προηγουμένους*: quâ voce indicat, quemque alterum honoris debita exhibitione debere prævenire & antevertere, non exspectando alterius præventionem. Sic alibi, *Phil.2.3.*

Virtus hæc pulcherrima est, cujus admonitio necessaria propter congenitam nostram *φιλαυτίαν*, quæ secum trahere solet arrogantiam, proximi & fratrum contemptum, invidiam, obtrectationem, &c.

3. *Σπουδῇ, v.11.* Indicat Apostolus *Vers.11.*

a. *Quid* agendum: ut simus studiosi sive officiosi erga proximum, omnia nostra studia & officia ei destinando, offerendo, conferendo & impendendo, secundum nostrum nosse & posse.

b. *Quomodo*: tùm *ἀοκνῶς*: *Studio minimè ignavi*: tùm *ζέοντες*: *Spiritu ferventes*, cum magno animi fervore, contentione & alacritate, ex intenso nimirum amore proximi.

c. *Qua de causa & fine*: *τῷ Κυρίῳ δουλεύοντες, Domino servientes.* Indicare vult Apostolus, studia nostra atque officia, quibus inservimus proximo, Deo ipsi in proximo impendi, & redundare ad ejus gloriam, sicut alibi Christus quoque monet, *Matth.25.40.* & Paulus, loquens de officio servorum erga Dominos, *Eph.6.5.7.*

Alii legunt *δουλεύοντες τῷ καιρῷ, servientes tempori*, ut sensus sit, omnem occasionem & oportunitatem attendendam, quâ proximo benefacere & inservire possimus, sicuti alibi quoque monet Apostolus, *Gal.6.10.* Priorem autem lectionem & interpretationem huic posteriori præferendam, docet cõsensus probatissimorum vetustissimorum exem-

plarium & Scholiorum Græcorum, nec non Syri & Latini Veteris Interpretis. Videatur Beza *in Annotationibus*.

II. In *Adversitate* tùm nostra *propria*: tùm *aliena*, proximi & fratrum.

α. *Incipit* ab *Officio* in *nostris propriis* Adversitatibus. Hæc enim est optima παρασκευὴ & præparatio ad leniendas & sublevandas proximorum afflictiones: si meminerimus quoque adversitatum nostrarum, juxta aliud Apostolicum monitum, *Heb.13.3.* & decenter quoq; versemur & ambulemus in Schola crucis propriæ. Hinc porrò sic loquitur Apostolus,

Vers.12. *Spe gaudentes. In afflictione tolerantes. In oratione perdurantes.*

Occurrunt in his verbis Virtutes sequentes quibus nobis studendum est.

Vers.12.b. 1. *Patientia*, ὑπομονὴ. *v.12.b.* Hanc Apostolus fidelibus commendat, quia noverat, eos esse candidatos crucis perpetuæ in hoc seculo, & quidem præ aliis infidelibus & Mundanis Hominibus, juxta loca, *Psal.34.20. & 44.23. Act.14.22. 2.Tim. 3.12. 1.Cor.15.19.* Αἰτία: vel ut castigentur propter delicta, & vetus Homo peccati magis ac magis in ipsis mortificetur, qui finis παιδευτικὸς: vel ut exploretur ipsorum fides, patientia, constantia, qui finis est δοκιμαστικὸς: vel ut hac ratione Deus honoretur & veritas Evangelii obsignetur, qui finis est σφραγιστικὸς; quò pertinent Sanctorum martyria.

Consistit autem hæc *Patientia* in humili, voluntaria & obsequiosa susceptione crucis è manu Domini, cum fiducia in ejus paterna misericordia, virtute, & auxilio, & exspectatione auxilii & liberationis futuræ. Virtutis hujus

a. *Necessitas* commendatur *Heb.10.v.36.*

b. *Vtilitas*, *Rom.Cap.5.3,4,5.*

c. *Aequitas* arguitur ex consideratione causarum prædictarum, ob quas afflictiones à Deo immittuntur.

Media dehinc Apostolus patientiæ hujus alendæ describit. Hinc requiritur

Vers.12.a. 2. *Spes*, ἐλπὶς, *v.12.a.* Hæc nutrix est patientiæ. *Rat.* 1. Quia respicit non tantùm præsens, sed & futurum. 2. Quia innititur immobili fundamento, verbo Dei ejusque promissionibus

nibus. Hinc 3. non poteſt pudefacere. Suprà ex *Cap.5.v.3,4,5.* pluribus de ea actum eſt. Vult autem Apoſtolus *nos ſpe gaudere,* indicans, quum afflictiones triſtitiâ nos obruunt, *Hebr.12.11.* Spem debere intercedere, triſtitiam diſſlare, & gaudio pectus imbuere propter certam exſpectationem non ſolùm liberationis ex omnibus calamitatibus; ſed & permutationem earum cum multiplici Dei benedictione, & inſequutura fruitione incomprehenſibilium æternorum cœleſtium gaudiorum & delitiarum.

3. *Oratio, v.12.c. In oratione perdurantes. Oratio* iterùm neceſſaria ad patientiam, cùm hæc non ſit virium noſtrarum, ſed opis Divinæ, à qua, propter carnis noſtræ imbecillitatem, quæ tempore afflictionum non rarò etiam in Hominibus ſanctiſſimis ſeſe exerit, exemplo Davidis, Jobi, aliorum; ea per preces eſt imploranda. *Verſ.12,c.*

Requirit autem Apoſtolus in Oratione *perſeverantiam. Rat.* Quia non rarò etiam Sancti langueſcunt & laſſeſcunt in precibus, exemplo Moſis *Exod.17.11,12.* Itaque conſtanter pergendum & inſtandum, *1.Theſſal.5.17.* exemplo Battimæi, *Marc.10.46.&c.* Syrophœniſſæ, *Matth.15.21.&c.*

B. Pergit nunc Apoſtolus ad officia noſtra Proximo debita in ipſius adverſitatibus & neceſſitatibus. *Verſ.13.*

Verſ.13. *Vſibus ſanctorum communicantes. Hoſpitalitatem ſectantes.* Commendatur nobis

1. *Κοινωνία τῶν χρείων τῶν ἁγίων, v.13.a.* Indicat, neceſſitatem ſanctorum, cum quâ non rarò ipſi hoc in ſeculo conflictantur, noſtra quoque pectora afficere debere, ut iis compatiamur, & conſilio noſtro, opere ac beneficentiâ eos pro viribus ſublevare ſtudio habeamus, cogitantes, 1. de noſtris quoque neceſſitatibus, quæ viciſſim aliorum exigunt beneficentiam. 2. de mutua noſtra in corpore Chriſti communione. 3. de futura quoque remuneratione.

2. *Hoſpitalitas, v.13.b.* τὴν φιλοξενίαν διώκοντες. Sic alibi, *Heb.13.2.* Intelligit autem hanc *Hoſpitalitatem* non tantùm de *Advenis* quibusvis recipiendis; ſed primariò & potiſſimùm de *Exulibus,* qui innocentiæ vel etiam Evangelii causâ ab Hoſtibus in exilium pelluntur; nec non *miſeris* aliis, quos dura noverca fortuna extrudit ex ſedibus ſuis. Similis admonitio occurrit *Jeſ.58.7.*

2. *De Officio nostro erga Inimicos.*

Apostolus illud comprehendit

Vers.14. *Benedicite iis, qui vos insectantur: benedicite* (inquam) *& ne imprecamini.*

Vers.15. *Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus.*

Indicantur duo.

Vers.14. I. Quomodo injurias inimicorum, qui nos persequuntur, excipere debeamus. *Vers.14.*

1. Καταλογεῖν: *ut iis benedicamus*, adeóque, ut postea dicet, *v.21. malum bono vincamus* & compensemus.
2. Κατ' ἀρᾶσθαι: *ne imprecemur*, maledictiones maledictione, injurias injuriis retaliando.

Grave hoc & naturæ nostræ inimicum monitum, interim æquissimum, ipsi quoque Christi præcepto, *Matth.5.44. Luc.6.27,28.* sed & exemplo consentaneum, *qui toleravit à peccatoribus adversùs sese contradictionem, Heb.12.3.* qui *convitiis affectus, non vicissim convitiabatur, quum pateretur, non minabatur, 1.Pet.2.23.* sed pro inimicis oravit. *Luc.23.34.*

Vers.15. II. Quomodo erga ipsos affecti esse debeamus in quocunque ipsorum statu, vel

1. *Prosperitatis, v.15.a.* ut *gaudeamus cum gaudentibus*, adeóque ipsis prosperitatem nequaquam invideamus, neque eâ offendamur, quod non rarò evenire solet. *Psal.73.2.&c. Job.21.7.&c. Jer.12.1,2,3.*
2. *Adversitatis, v.15 b.* ut *fleamus cum flentibus*, adeóque caveamus ab ἐπιχαιρεκακίᾳ: exemplo Davidis, *Psal.35.13,14.*

Generalis interim hæc potest esse Apostoli sententia, communiter de quibusvis intelligenda. Ac sanè, si inimicis charitas prædicta in prosperis & adversis non est deneganda: quantò minùs amicis?

3. *De Officio nostro erga quosvis alios.*

Apostolus nos exhortatur ad *Concordiam* & Pacem mutuam: & *Media* dehinc præscribit obtinendæ & fovendæ hujus Concordiæ.

I. Monitum ad CONCORDIAM habetur

Vers.

Verſ.16.a. Τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλους φρονοῦντες. *Itidem alii in alios affecti.*

Hoc non de *ſenſu animi* accipiendum, quaſi de rebus quibusvis eâdem omnes inter ſe ſententiâ conſpirare deberent. Scimus hoc eſſe ἀδύνατον, & difficulter etiam in Rebus ad Religionem ſpectantibus obtineri poſſe: quanquam in his potiſſimùm cura fidelium eò conniti debeat, ut, quoad fieri poteſt, diſſenſionibus poſitis, ſint ὁμοφρονοῦντες. Ergo de *affectu cordis* loquitur Apoſtolus, ut ſenſus ſit: quemquam eo cordis affectu alterum proſequi debere, quo proximum ſuum ſibi cupit eſſe addictum atque conjunctum, juxta regulam Chriſti, *Matth.7.12.* *Verſ.16.a.*

Ne verò Paulus videretur loqui tantùm de concordia & pace fraterna fidelium inter ſe, ſubdit poſteà generalius monitum, *Verſ.18.*

Verſ.18. *Si fieri poteſt, quantum in vobis eſt, cum omnibus Hominibus in pace viventes.*

Sic alibi *Heb.12.14. Pacem ſectamini cum omnibus.* Itaque ab iſta pace ne ipſi quidem Hoſtes noſtri, & infideles, ſunt excludendi, de quo aliquid poſtea monebo in *Quæſtionibus.*

Obſervanda eſt autem Apoſtoli *limitatio*, quam attexit: εἰ δυνατὸν, &, τὸ ἐξ ὑμῶν. Sic indicat, pacem non ſemper obtineri poſſe, idq; partim *Dei*, partim *Hoſtium* reſpectu.

1. *DEI* reſpectu, ſi videlicet ſint inimici Dei & Religionis. Heic pax ceſſat, ſaltèm fraterna, exemplo Davidis, *Pſal. 139.verſ.21.*
2. *Hoſtium* reſpectu, quorum inimicitia & hoſtilitas non rarò eò uſque progreditur, ut pax mutua non poſſit habere locum, de quo David conqueritur, *Pſal.120.5,6,7. Rom. 3.13.& ſeqq.*

   Interim monet Apoſtolus, ne talium Hominum veſtigiis inſiſtamus, ſed quantum in nobis eſt, & quantum fieri poteſt, paci ſtudeamus, quod τιμιώτερον eſt filiorum Dei, *Matth.5.9.*

II. Monita ad *MEDIA* Concordiæ ſequuntur, videlicet ad *Humilitatem, Honeſtatem*, & *Manſuetudinem.*

α. De *Humilitate* agitur

Verſ.16.b. *Non alta ſapientes, ſed humilibus obſecundantes. Ne eſtote prudentes apud vosmet-ipſos.*

1. Nihil magis Concordiæ obstat, quàm ὑψηλοφροσύνη & arrogantia, quum quis alta sapit, nimium sibi tribuit, & alios præ se contemnit. Hinc lites oriuntur & contentiones, quibus concutitur tranquillitas Ecclesiarum & Rerumpublicarum, & pax laceratur, quod hodierna tristis experientia docet.
2. E contrario Humilitatis studio pax & concordia alitur. Hinc Paulus eam tantoperè nobis commendat, ut scilicet in studium ejus incumbamus,
   a. Quoad *Res*: ne *alta sapiamus*, quæ videlicet excedunt nostrum captum & vocationem, uti suprà, *v.3.* adeóque caveamus ab ambitiosa & sciola curiositate. sed è contrario sapiamus & sectemur humilia. Ideò dicit: ἀλλὰ τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι. Sensus est: ut in humilitate rerum scibilium subsidamus, neque arroganter & præsumptuosè affectemus sublimem præ aliis scientiam, eum nimirum in finem, ut possimus aliis videri longè doctiores & sapientiores.

   Potest hoc quoque accommodari ad τὸ ἐπιθυμητόν, appetibile, ne videlicet alta hujus Mundi appetamus, quod Mundanis Hominibus solenne est, quos gloria vexat inanis Mundana, sublimitas & præcellentia, quam affectant in opibus, honoribus, potentiâ & delitiis Mundanis. Sed nec illam quoq; interpretationem (quippe quæ facilè cum præcedenti conciliari potest) rejicio, quâ nomine τῶν ταπεινῶν intelliguntur non tantùm in neutro genere τὰ ταπεινά, *humilia*, tanquam opposita τοῖς ὑψηλοῖς, in verbis præcedentibus sed & in genere masculino de humilibus Hominibus, qui scilicet humilitati student, animo humilia sapiendo, corde humilia appetendo, ut respondeat hoc monitum Apostoli monito Christi ad Discipulos, *Matth.18 3,4. Amen dico vobis, nisi vos converteritis & fiatis ut pueruli, nequaquam ingrediemini in Regnum Cœlorum. Quisquis igitur submiserit se-ipsum, sicut est puerulus iste is est maximus in Regno Cœlorum.*

   Quomodo verò? Attemperando se talium infirmitati, & per συγκατάβασιν aliquam ipsos in simplicitate mentis, ingenuitate & humilitate cordis, Imitando, atq; in rebus quoq; mediis eis se conformando, si ita requirat eorum

eorum ædificatio, exemplo Apoſtoli, qui *omnibus ſe ſervum fecit, ut plures lucrifaceret, & omnibus factus eſt omnia, ut omninò aliquos ſervaret. 1. Cor. 9. 19, 22.*

b. Quoad *Nos-ipſos.* quò pertinent verba : *Μὴ γίνεσθε φρόνιμοι παρ' ἑαυτοῖς· ne eſtote prudentes apud vosmet-ipſos.* Hoc monitum eſt alteri parallelum, huc tendens, ne quis prudentiæ ſuæ opinione intumeſcat, ſed humiliter de ſemet-ipſo ſentiat, hinc aliorum quoque monitis & conſiliis locum det. *Verſ. 16. a.*

β. De *Honeſtate* agit

Verſ. 17. b. *Procurantes honeſta coràm omnibus Hominibus.* *Verſ. 17. b.*

Indicare vult Apoſtolus, probitati per omnia nobis inter proximos ſtudendum, adeò ut neminem in minimo, corde, ore, aut opere lædamus, *1. Theſſ. 4. 6.* neque ulli Hominum ſcandalo ſimus; ſed tota noſtra vita & converſatio vergat ad aliorum ædificationē: ſicut alibi quoque monet. *1. Theſſ. 5. 22. Ab omni ſpecie mali abſtinete :* & *Phil. 4. 8. Honeſtati* autem huic ſtudendum eſt,

a. Propter *Nos*, ut conſcientiam ſervemus intemeratam. *1. Tim. 1. 19.*

b. Propter *Deum*; ut Nomen ejus honoretur, & vindicetur à contemptu ac blaſphemia. *Matth. 5. 16.*

c. Propter *Proximum*, ut vel lucrifaciamus alios; vel adverſarios confundamus, & os ipſis obturemus. *1. Pet. 2. 12.*

γ. De *Manſuetudine* tandem, tanquam Concordiæ vinculo & adjumento, Apoſtolus quoque præcipit, *Verſ. 17. a. 19, 20, 21.*

Verſ. 17. a. *Nemini malum pro malo viciſſim reddentes.*

Verſ. 19. *Non ipſi vosmet-ipſos ulciſcentes, dilecti, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim : Mihi eſt ultio : ego rependam, dicit Dominus.* Deut. 32. 35.

Verſ. 20. *Itaque ſi eſurit inimicus tuus, ciba eum : ſi ſitit, da ei potum. Hoc enim ſi feceris, carbones ignis coacervabis in caput ejus.* Prov. 25. 21, 22.

Verſ. 21. *Ne vincitor à malo : ſed vince bono malum.*

Occurrit in his verbis

α. ὅτι, *Monitum* ipſum, quo Apoſtolus ſignificat, quomodo affecti eſſe debeamus erga eos, qui nos offendunt. Videlicet,

1. Quid *intermittendum* : *Ultio, v. 17. a. & 19. & 21.* Non intelligit, ut pluribus dicam in *Quæſtionibus*, publicam Magi-

ſtratus, quæ Dei quoque eſt: *Rom.13.4.* neque neceſſariam & decentem juris noſtri contra adverſarios proſequutionem; ſed vindictam privatam, quam dictat immoderatus cordis affectus, ira videlicet, odium, invidia, arrogantia, &c. Sic alibi, *Philip.4.4. & 1.Pet.3.9.*

2. Quid *faciendum*. Hortatur

a. Ad *Patientiam, v.19. Date locum iræ,* id eſt, patienter exſpectate iram ſive ultionem Dei.

b. Ad *Beneficentiam, v.21.b. Vince malum bono*: & ſpecialiùs, *v.20.* ut inimico eſurienti cibus, ſitienti potus miniſtretur, ex loco *Prov.25.21.* Sic Chriſtus, *Matth.5.44.*

3. Διότι. *Confirmatio* moniti. *Rationes* petuntur ab *honeſto* & *utili.*

1. Quia non decet, ut, qui pars eſt, agat Judicem & Vindicem, *v.19.a. Non ipſi vosmet-ipſos ulciſcimini.*

2. Quia Deus ſibi ultionem reſervavit, *v.19.c.* cujus vices invadere & uſurpare, eumq; noſtrâ ultione antevertere non licet.

3. Quia Deus quoq; ultionem exequuturus eſt. *Ibid.* Vtrumque Apoſtolus confirmat ex loco, *Deut.32.35. Mea eſt ultio & retributio: tempore ſuo vacillabit pes eorum. Nam propinqua eſt dies calamitatis eorum, & feſtina dies eventurorum illis.*

4. Quia redibit ad Proximi vel emolumentum, vel detrimentum, *v.20.b. Hoc enim ſi feceris, carbones ignis* (ſive ignitos, per Hebraiſm.) *coacervabis in caput ejus.* Alluditur ad locum *Prov.25.21,22. Si eſuriat oſor tuus, ciba eum pane; & ſi ſitiat, da ei bibendam aquam. Nam velut prunas coacervabis ſuper caput ejus, & Iehova rependet tibi.* Quod de *Carbonibus ignitis* affertur, dixi, accipi poſſe partim de *emolumento*, partim de *detrimento*, ex noſtra beneficentia ad inimicum redundaturo. Sic Calvinus: *Ego ſimpliciùs accipio, quòd animus ejus frangitur in alterutram partem. Nam certè beneficiis aut emollietur hoſtis; aut ſi tantâ atrocitate erit, ut nihil manſueſiat, uretur tamen, & æſtuabit teſtimonio conſcientiæ, quæ ſe obrutam ſentiet benignitate noſtrâ.* Sed de his pluribus monebo in *Quæſtionibus.*

QUÆSTIONES,
ex *Cap. XII. verf. 9. usq. ad fin. Cap.*

Quæst. I. An nulla ratione liceat Hostibus imprecari mala? Ex *verf.14. Rat. dubit.* Exempl. Davidis, qui aliquoties Hostibus imprecatus est Dei judicia. *Psal.58.7. &* 140.10,11. & alibi passim.

Resp. 1. Distinguendum inter Hostes *privatos*, quibus nobiscum intercedit hostilitas; & *publicos*, qui Dei sunt Hostes, aut Hostes nostri propter Deum, v.g. propter Dei gloriam, quam defendimus, & Religionem, quâ Deo addicti sumus. De prioribus loquitur Apostolus *verf.14.* nec non Christus *Matth.5.44. Luc.6.27.* Talium injuriæ & maledictiones sunt vincendæ bono, *verf.21.* videlicet benedictione & oratione. Alia ratio est Dei Hostium. His mala imprecari licet, α. propter gloriam justitiæ Dei, quæ patefit in eorum exitio. β. propter pacem & tranquillitatem Ecclesiæ & fidelium, quam tales eunt oppressum. Et tales erant Hostes illi, contra quos David passim oravit, Nam in Davide, uncto Dei, Deum ipsum persequebantur, consilium Dei pessundare, & gloriam ejus opprimere studio habebant.

2. Distinguendum inter Hostes Dei *emendabiles* & *inemendabiles*. Pro *illis* orandum exemplo Christi, *Luc.23.34.* & Stephani, *Act.7.60.* *Hi* judicio Dei commendandi & relinquendi, exemplo Davidis, qui, quando imprecationibus fulminaverat contra Hostes, Prophetico actus Spiritu, videbat eorum impœnitentiam, hinc exitium.

3. Distinguendum tandem inter imprecationes ipsas. Si fluant ex animo livido & vindictæ cupido; improbandæ: si ex bono zelo promovendæ gloriæ Dei, & salutis publicæ, Ecclesiæ inprimis; approbandæ.

Quæst. II. An omnis ἐπιχαιρεκακία damnanda sit? Ex *verf.15. Rat. dubit.* Quia alibi Scriptura videtur eam in piis approbare. *Psal.52.8,9. &* 58.11. & 68.4. *Jes.14.12. & seqq.* Exemplo Mosis & Israelitarum, *Exod.15.* in excidio Pharaonis. *Apoc.18.20.* in exspectando casu Babylonis Antichristianæ.

Resp. Sicut magna differentia est inter aquam fluentem ex scaturigine turbida, & eam, quæ ex pura: ita quoque inter gaudium illud, quod captatur in alienis malis ex affectu vel *Carnis* vel *Spiritus*. Ubi dominatur *Caro*, ibi omnia fluunt turbida. Nam ἐπιχαιρεκακία fluit ex affectibus pravis, iræ, invidiæ, odii, vindictæ cupiditatis, &c. Et hæc damnabilis est, & ne quidem erga inimicos permittitur, *Prov.24.17,18.* Alia ratio gaudii illius, quod Sancti concipiunt in Impiorum pœnis ex zelo bono, qui Spiritûs est, quum lætantur

1. Propter *gloriam Dei*, quæ patefit in impiorum exitio, quo pertinet exemplum Mosis & Israelitarum, *Exod.15.* & locus *Jes.14.* de gaudio ex superbi Regis Babylonii casu.
2. Propter *liberationem aliorum piorum*, ab impiis & hostibus afflictorum & oppressorum: quò pertinent loca citata ex Psalmis.
3. Propter *ipsos impios*, quòd per Dei judicia vel impediantur in sua tyrannide & aliis sceleribus & sic refrænentur: vel etiam nonnunquam convertantur, quo sensu gaudendum est de pœna proximi, non in quantum est *pœna*, sed in quantum est *medicina*.

Quæst. III. An prorsùs non liceat alta, sed tantùm humilia sapere? Ex *v.16. Rat. dubit.* quia alibi Apostolus nos vult φρονεῖν τὰ ἄνω, μὴ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς. *Col.3.1,2.*

Resp. 1. Distinguendum est inter τὰ ὑψηλά. Apostol. hoc cap. ad Rom. per ea in-

telligit Mundanam sublimitatem, quam affectant Homines superbi. Ad Colossenses per τὰ ἄνω intelligit res spirituales ac cœlestes, quarum meditationem & curam ibi commendat.

II. Distinguendum inter *φρόνησιν moderatam*, quæ cancellis continetur cujusque captus, virium & vocationis: & *immoderatam*, quâ quis œstro percitus arrogantiæ & ὑψηλοσοφίας, sublimiora sese cupit scrutari cum contemptu proximi; Non illa, sed ista damnatur. uti quoque supra, v.3.

Quæst.IV. An & quousque Pax cum omnibus Hominibus sit tenenda, juxta monitum Apostoli, v.18.

Resp. I. Distinguendum inter *Pacem spiritualem* & Christianam, quæ intercedit tantùm Dei Filiis inter se, de qua Christus. *Ioh.*14.27. & 13.34.35. Hæc pax non potest teneri cum Mundo & infidelibus. Est enim pax fraterna, quam supra v. 10. Paulus vocavit φιλαδελφίαν. Dehinc inter *Pacem politicam*, quæ cum omnibus Hominibus, juxta Pauli monitum heic & alibi, *Heb.*12.14. colenda est.

II. Heic verò iterum gemina limitatio Apostoli ipsius attendenda, quando dicit

1. *Εἰ δυνατὸν, si fieri potest*, nempe citra imminutionem gloriæ Dei, læsionē conscientiç propriæ, damnum publicum Reip. & Ecclesiæ, & eorum cum quibus pacem colimus confirmationem in malo. Nam in casibus contrariis pax est rescindenda. v.gr. 1. Pax coli non potest cum Dei contemptoribus, blasphemis, gloriæ Dei & verbi ipsius oppressoribus, exemplo Davidis, *Psal.*139.21. *Perfecto odio odi inimicos tuos, &c.* 2. Paci nihil indulgeri potest si tentemur ab Hominibus improbis ad abnegandam veritatem & verum Dei cultum, aliaque flagitia ac scelera. 3. Pax deneganda Hostibus Reipublicæ & Ecclesiæ, quando quacunq; ratione pacem ejus turbare & labefactare conantur. Imò pax ab iis, quorum interest, in justum bellum commutanda. 4. Neque ita pax colenda cum impiis, profanis & infidelibus, ut vel assentando, vel vestigiis ipsorum pravis in Religione, aut in vita ac moribus, insistamus, hacque ratione eos in sua malitia & pravitate obfirmemus.

2. Τὸ ἐξ ὑμῶν, addit Apostolus, *quantum in vobis est*, quo ipso insinuat, nullam nos aliis dissidiorum & discordiarum occasionem debere præbere. Quod si autem per contentionis aliorum studium nobis non liceat esse quietis; pax cessabit, ast non nostrâ sed osorum pacis culpâ & petulantiâ: quod hodie usuvenire solet. Quanquam enim nos Evangelici maximus esse εἰρηνοποιοὶ, & pacem Pontificiis & eorum hactenus similibus Adversariis offeramus; tamen illi viam pacis non cognoverunt, & indesinentibus suis contumeliis, insectationibus & anathematismis omnem paci non solùm Ecclesiasticæ sed & Politicæ viam præcludere studio habeant, ut orthodoxis inter ipsos versantibus idem contingat, quod Davidi, ingemiscenti: *Heu mihi, quia peregrinor tam diu; habito, tanquam Scenitæ Kedareni: plurimùm habitasse sibi videtur anima mea apud osores pacis. Ego pacem diligo: at quum loquor, ipsi ad bellum conclamant. Psal.*120.5,6,7.

Quæst.V. An omnis vindicta prohibita sit: Ex v.17,19,21. *Rat.dubit.* quia Paulus postea *Cap.*13.4. Magistratum vocat *malorum ultorem ad iram*, & in S.Scriptura occurrunt passim exempla Sanctorum, qui vindictam exercuerunt: ut quum *Moses* Ægyptium, percutientem Israelitam, interemit, *Exo.*2.12. quum *Iael* Sisaram interemit, *Iud.*4.22. quum *Samson* vindictam sumpsit de Philistæis, &c.

Resp. I. Distinguendum est, uti monitum quoque in Analysi, inter vindictam privar-

privatam & publicam. Vindicta privata prohibetur ab Apostolo, quum Homo privatus, inprimis in causa propria & privata, ex ira, odio, impatientiâ, & consimilibus pravis affectibus, vindictam exercet. Alia ratio est *Vindictæ publicæ*, quæ competit Magistratui, tanquam Personæ publicæ, de qua Paulus loquitur *Rom.*13. Hæc nequaquam prohibita sed præcepta est, & quidem cum interminatione maledictionis Dei, si intermittatur, *Jer.*48.10. quod expertus fuit Rex Saul, 1.*Sam.*15.9,26. & Achab, 1.*Reg.*20.42. *Ratio* est, quia hæc vindicta non *Humana* est, sed *Divina*. Gestat enim Magistratus gladium, *tanquam Minister Dei*, ut ibidem *Cap.*13.4. Apostolus loquitur; & tanquam vicarius Dei & custos utriusque tabulæ Legis. Quanquam, si in vindictæ exequutione Magistratus carceres suæ potestatis transiliat, & agat aliquid ex odio, arrogantia, aut alio sinistro affectu, vel etiam modum excedat; vindicta ejus non meliore sit habenda loco, atque privata.

II. Distinguenda est vindicta *extraordinaria* ab *ordinaria*. *Ordinaria* est, quam dixi esse Magistratûs. *Extraordinaria* procedit ab instinctu ac impetu extraordinario Spiritus S. quo moti Sancti Homines olim vindictam de offensoribus sumpserunt extraordinarie. quò pertinent exempla allegata, *Mosis*, qui Ægyptium necavit, inprimis, quòd jam à Deo fuisset ordinatus vindex & liberator fratrum suorum, *Act.*7.25. *Samsonis*, qui etiam extra ordinem fuerat vocatus & designatus Vindex populi Israelitici contra Philistæos, *Jud.*13.25. *Jaclis* factum, quo Siseram peremit, defenditur non solùm eo, quòd impulsu Spiritus S. id fecerit, sed & quod debitum supplicium sumpserit de cōmuni hoste populi Israelitici, unde *benedicta vocatur inter mulieres*, *Jud.*5.24. quò pertinent alia quoque exempla *Phinehasi*, Sacerdotis, qui virum Israelitam, fornicantem cum muliere Midianitide, spiculo arrepto transfixit, *Num.*25.7,8. *Ehud*, qui Eglonem Regem Moabitarum gladio peremit, *Jud.*3.20,21,22. *Samuelis*, qui Agagum Regem Amalekitarum in conspectu Regis Saulis occidit, 1.*Sam.*15.33. *Eliæ* Prophetæ, qui Sacerdotes Baalis jugulavit, 1.*Reg.*18.40. duosque Præfectos, cum quinquagenis eorum, igne cœlitùs delapso, consumpsit, 2.*Reg.*1.10,12. *Petri*, qui Ananiam & Sapphiram propter sacrilegium verbo suo exanimavit, *Act.*5.5,10. *Pauli*, qui Elymam Magum cæcitate percussit, *Act.*13.10,11. Hæc exempla sunt extraordinaria, quibus, tanquam regulæ alicui, nunc nobis non est insistendum, cùm non debeamus ampliùs tales extraordinarios instinctus exspectare. Hinc Christus protelavit discipulos suos, quum vindictam extraordinariam in Samaritanos per ignem e cœlo postulassent, *Luc.*9.54,55.

Quæst. VI. An non JURE, sive in Judicio publico, liceat contendere cum nostris Adversariis? Ex ijsdem *vers.*17,19,21. *Rat. dub.* quia Paulus ita vindictam prohibeat, ut velit exspectari *diem iræ* aut judicii Dei: nec vult *vinci nos à malo, sed malum nos vincere bono*.

*Resp.*I. Juris beneficio se tueri contra Proximi injurias, nequaquam prohibitum est. Nam Magistratus in eum finem est à Deo ordinatus, *Rom.*13.3,4. & Lege Dei disertè olim sancitum fuit, ut in causa aut crimine falsi testimonii, Actor & Reus coram Deo, id est, Sacerdotibus & Judicibus sese sisterent, sententiam & remedium ab ipsis exspectarent. Hinc Paulus ipse in casu injuriæ provocavit ad Romanum tribunal, *Act.*25.10. Sanè sublatis judiciis societas Humana consistere non poterit, sed rapinis, cædibus, perjuriis, calumniis, libidinibus, & omnis generis nequitiis, omnia susque deque ruent.

II. Ita verò Jure nos contra injurias tueri licet, ne tamen unquam charitatis & ἐπιεικείας erga proximum obliviscamur, juxta monitum Apostoli *Phil.*4.5. τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν, *æquitas* aut *moderatio vestra innotescat omnibus Hominibus*. Atque huc pertinent

seqq. 1. Ne statim, præsertim propter leviculas injurias, prosiliamus ad judicia publica; sed parati simus eas potiùs, quantum fieri potest, devorare, quàm vindicare. 1. *Cor.* 6.7. 2. Ne etiam in gravioribus injuriis confestim tentemus tribunal publicum, sed omnia priùs leniora remedia experiamur, ad conservandam pacem, & redimendam, quam vocant, vexam; ad instar Medicorum, qui non nisi post frustra multoties adhibita remedia, tandē ad cauteria & consimilia acriora progrediuntur. 3. Ne in ipsa actione forensi indulgeamus pravis affectibus iræ, odii, vindictæ cupiditatis, &c. sed magis de lucrifaciendo adversario, quàm de jure nostro tuendo simus soliciti. 4. Ne ***ἀκριβοδίκαιον*** & ***summum jus***, de quo vulgò dicitur, quod sit ***summa injuria***, persequamur; sed illud æquitate & lenitate mitigemus & temperemus. *Matth.* 5.25. Exemp. Abrahami. *Gen.* 13.9. quò etiam respexit Dominus in Parabola. *Matth.* 18.28, &c. 5. Ut lite finita & satisfactione coram judicio acceptâ, finiamus memoriam omnium præteritarum injuriarum & offensarum proximi, & charitatis novis erga ipsum studiis & officiis incumbamus, imitantes Deum ipsum, Patrem nostrum cœlestem, qui promisit, *se peccatorum nostrorum & transgressionum non ampliùs esse recordaturum. Jer.* 31.34.

III. Apostoli verba hoc *cap.* 12. nequaquam militant contra Judicia publica, & eorum decentem ac legitimum usum. Nihil enim aliud vult indigitare, quàm, ne quidpiam adversùs proximum sive extra forum, sive in foro agamus per defectum charitatis, ex ulciscendi libidine, & nocendi studio & intentione; &, in defectu præsertim judicii ordinarii, malimus patientiâ injurias tolerare, quàm vindicare, imo beneficentiâ potiùs eas sufflaminare & compensare, cum pudore adversarii. Sed heic objiciuntur alia quoque.

Objiciuntur I. loca, *Matth.* 5.40. *Luc.* 6.29.

Resp. Hæc & similia dicta sunt Hominibus privatis, inprimis in defectu judicii & tutelæ publicæ Magistratus. Tales decet potiùs *ἀδικεῖσθαι*, quàm *ἀδικεῖν*, & injurias tolerare, quàm privatâ vindictâ retaliare.

Objic. II. Locus Pauli. 1. *Cor.* 6.7.

Resp. Paulus ibi non damnat ***Judiciorum usum***, sed ***abusum***, qualis inoleverat apud Corinthios, quando ipsi, 1. fideles, magno cum scandalo, rapiebant ad tribunalia Judicum infidelium & ethnicorum. 2. propter res minùs necessarias & leviculas, & parvas quasque contemnendas injurias. 3. quas inter sese facilè ipsimet, adhibitis prudentibus arbitris, dirimere & componere potuissent. 4. idque tandem faciebant cum magno litigandi fervore & æstu, ut maluerint omnia tentare coram judiciis, quàm aliquid, in remittendis offensis & injuriis acceptis dare paci & charitati. Hinc Apostolus ipsorum culpam vocat *ἥττημα*, quâ voce notatur affectuum infirmitas & impotentia, quâ sese occupari patiebantur, quo minùs fratres tractarent cum animi lenitate & mansuetudine.

Quæst. VII. An qui à proximo ad injuriam postulatur, non possit vi seipsum defendere? Ex *iisdem versibus* præmemoratis.

Resp. I. Non omnem defensionem, quæ fit per vim, quâ injuria ab alio illata propulsatur, illicitam esse, docet Lex naturæ & Jus Gentium, quin & ipsum Jus Divinum *Exod.* 22.2. II. Tenendum, talem defensionem locum habere non posse, nisi in extremo & inevitabili necessitatis casu, quum nec fugâ, nec deditione, nec tolerantiâ, nec ordinariâ Judicii viâ, aut consimilibus remediis, injuriam declinare possumus; sed aut certandum aut pereundum. Heic ergo valet casus inculpatæ tutelæ, eo tamen cum moderamine ulteriore, ut nihil agatur animo ulciscendi, & proximo nocendi, aut perimendi ipsum; sed animo tantùm nos defendendi, & ab injuria, quam aliter evitare non licet, tuendi.

Quæst.

Quæst. VIII. Quid intelligatur *vers.*20. per *coacervationem carbonum ignitorum in caput inimici*, quæ fiat per beneficia pro injuriis illatis in ipsum collata?

Resp. In Analysi jam aliquid à me monitum & indicatum est, verba desumpta esse ex Proverbiis Salomonis, *Cap.*25.21,22. Occurrunt autem apud Interpretes veteres & novos diversæ interpretationes, quas singulas commemorare & eventilare, non est mei præsentis instituti. Inclino in Calvini, Buceri & aliorum sententiam, qui verba Apostoli, ut & Regis Salomonis, accipiunt sensu alternativo, ita ut Apostolus voluerit indigitare effectum beneficentiæ nostræ erga inimicos, (diverso respectu) nunc *bonum*, nunc *malum*.

1. *Bonum.* Sicut carbones ardentes suprà caput tolerari non possunt, sed præ dolore excuti solent: sic beneficia in inimicum collata fiunt veluti ignita, quæ urunt cum magno dolore & punctione conscientiam ipsius, eo non raro cum successu, ut victus & pudefactus nostrâ beneficentiâ, malefacere desinat, odium suum convertat in amorem, vel saltem aliquid remittere cogatur de sua inimicitia & hostilitate. Hoc sensu Augustinus, *Libr.*3.*de Doctr.Christiana, Cap.*16. *Carbones ignis* vocat *urentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur ejus, qui dolet, se inimicum fuisse Hominis, à quo ejus miseria subvenitur.* Hoc itaque sensu gemina utilitas redundabit ex beneficentia erga inimicos. *Vna* ad *Benefactorem*, qui suis beneficiis vincit inimicum, ut eum à novis sibi metuendis injuriis absterreat & revocet: exemplo *Davidis*, qui injurias *Saulis* vindicavit contrariis beneficiis, hâcque ratione ipsum in ruborem dedit aliquoties, uti patet ex Historia *Lib.*1.*Sam. Altera* ad *Inimicum* ipsum, quatenus ipse per beneficentiam ad pœnitentiam adducitur, ut ab ulterioribus injuriis abstineat. quò etiam verba Pauli seqq. *vers.*21. videri ut collimare: *ne vincamur à malo, sed malum vincamus bono.*

2. *Malum.* Si Inimicus nostrâ beneficentiâ non possit mansuefieri, futurum est, ut æstus ipsum invadat urentis conscientiæ, quando videlicet per suam ingratitudinem, & injuriandi pervicaciam, accumulat sua delicta, & hac ratione sese obnoxium facit igni iræ Divinæ, & carbonibus Gehennæ infernalis.

BVCERI, Theologi præclari, verba in hunc locum placet asscribere: *Poscit* (Deus) *ut* (scilicet per beneficia in inimicum conferenda) *ei ad brevariam ultionem serviamus, modo, quem præscripsit ipse. Dicit itaq; Salomon:* Si ultionem petis à Deo, *justam scilicet, hac ratio erit ejus obtinenda:* benefac hosti tuo. *Sic modo, qui te decet, & quem Deus à te poscit, inservies Domino, vel ad castigationem illorum salutarem; vel inferendum ei cruciatum sempiternum, nec peribit tibi, quod benefeceris. Rependet enim tibi Dominus, utcunq; nihil in bonum apud inimicum tuum tuâ beneficentiâ profeceris.* Hoc posterius (observa) cum grano salis accipiendum: non, quasi beneficentiæ nostræ erga inimicum scopus hic esse deberet, peccatorum ipsius accumulatio, hincque iræ Dei & exitii ipsorum aggravatio. quod dissentaneum esset à Charitate, quam heic tantopere urget Apostolus: sed tantùm, eventum hunc, vindictam, inquam, Divinam, exspectandam apud inimicum ingratum & indomitum, ut illius cogitatio & exspectatio tantò magis nos debeat arcere à privatæ vindictæ studio.

❧)o(❧

CAPVT

CAPUT XIII.

POstquam Apostolus Capite præcedente magis *Generalia* monita de *Vita Christiana* instituisset, uti supra indicatum *pag. 410.* ita nunc hoc Capite progreditur ad magis *SPECIALIA*, admonens fideles de triplici *Officio*: erga *Magistratum politicum*; erga *se invicem*; & *erga seipsos*: in quas tres partes quoque hoc ipsum Caput dispesci potest.

PARS I. CAPITIS.

DE OFFICIO ERGA MAGISTRATUM Politicum.

Occurrit heic *Propositio, Confirmatio* & *Declaratio.*

A. PROPOSITIO.

PROPOSITIO habetur

Vers. 1. a. Vers. 1. a. *Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto.*

I. *Subjectum* est, πᾶσα ψυχὴ, *omnis Anima.*

1. *Anima* nomine Homo intelligitur, Synecdochicè, ut passim alibi, *Ezech. 18. 4. 1. Pet. 3. 20, &c.*

2. Particula universalis *Omnis* includit omne genus Hominum α. sive sint *infideles*, sive *fideles*, ne fideles propter libertatem Christianam exempti esse putentur. Nam Evangelium non tollit politias. *1. Pet. 2. 13, 16.* β. Adde non solùm *seculares*, sed & *Ecclesiasticos*, quod Chrysostomus inter alia observavit, scribens secundùm Musculi interpretationem: *Ostendit* (Apostolus) *quòd ista imperentur omnibus & Sacerdotibus & Monachis, non solùm secularibus, id quod statim in ipso exordio declarat, cùm dicit: omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit, etiamsi Apostolus sis, si Evangelista, si Propheta, sive quisquis tandem fueris. Neque enim pietatem evertit ista subjectio.*

II. *Attributum* est: ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω, *potestatibus supereminentibus subjecta esto.*

I. Ἐξ-

1. *Ἐξουσίαι, potestates* denotant *Magistratum* Metonymicè, ast cum emphasi. Insinuatur enim, subjectionem deberi ipsis dignitatibus, etiamsi indignis eæ contingant, modò sint legitimæ potestates, Divino vel Humano jure constitutæ, uti pluribus monebo in *Quæstionibus*. Numerus *pluralis* comprehendit omne genus Magistratûs, sive monarchici, sive aristocratici, sive democratici, sive mixti. Interim accipiendum hoc de Magistratu cuivis Homini proprio, non alieno & peregrino. Sicut enim Servus subjectionem debet suo proprio, non alieno Domino; ita subditi proprio non alieno Magistratui.
2. *Subjectionis* nomine Apostolus intelligit omne debitum Magistratui reddendum, de quo deinceps aget *v.7.* uti est timor, honor, amor, obedientia, gratitudo & beneficentia, auxilium in adversis, &c.

B. CONFIRMATIO.

CONFIRMATIO argumenta complectitur, ob quæ *Subjectio* Magistratui sit habenda, quæ desumpta sunt à Subjectionis *Aequitate, Vtilitate* & *Necessitate*.

I. *Aequitatem* Apostolus evincit

1. A' Magistratus *ὑπεροχῇ*. Ideò jam *v.1.* vocavit *ἐξουσίας ὑπερεχούσας, potestates supereminentes*. Argumentum est:

Illi statui debetur subjectio, qui supereminet in genere Humano. Propositio fundata est in æquitate naturali. Nam si ea postulat, ut liberi Parentibus, servi Dominis, Vxores Maritis, propter præeminentiam, subjectionem præstent: æquum quoque fuerit, ut subditi Magistratui tanquam supereminenti sint subjecti. Sicut discrimen est donorum & virtutum inter Homines, ita quoque honorum, dignitatis & potestatis. Vestigia istius discriminis occurrunt tùm in *Macrocosmo*, in quo Mundus sublunaris subjectus est æthereo, à quo regitur; tùm in *Microcosmo*, in quo corpus animæ directorio, & in corpore membra reliqua capitis, imò in ipsa Anima *τὸ ἐπιθυμητικὸν τῷ ἡγεμονικῷ* imperio subjicitur. Quin & in ipsis brutis non rarò ordo iste observatur, v.g. Ciconiis, Gruibus, Apibus, &c.

Atqui Magiſtratus ſtatus eſt ſupereminens in genere Humano.

Ergo debetur ei ſubj.ctio.

Verſ.1.b. & 2.a. 2. A' Magiſtratus *origine*,

Verſ.1.b *Non enim eſt poteſtas, niſi à Deo: & quæ ſunt poteſtates, ſunt à Deo ordinatæ.*

Verſ.2.a. *Itaq; quisquis* (ſe) *opponit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.*

Proleptice Apoſtolus hoc argumentum pertractat. Potuiſſet quis regerere: Vnde iſta ὑπεροχὴ & eminentia inter Homines, ut propter eam debeatur quibusdam ſubjectio? Fortè per arrogantiam, violentiam & nefas eam ſibi ſumpſerunt.

Reſpondere vult Apoſtolus: Nequaquam.

Non eſt poteſtas, niſi à Deo, &c. Argumentum eſt:

Æquum eſt, ut ſubjectio præſtetur illi poteſtati, quæ eſt à Deo & ejus eſt τάξις, ſeu ordinatio. *Rat.* Quia ſic Deo ipſi ſubjectio præſtatur, cujus ſumus debitores, tanquam ſupremi Domini & Creatoris noſtri.

Atqui poteſtas Magiſtratus *eſt à Deo, & quæ ſunt poteſtates ſunt à Deo ordinatæ, verſ.1.* Sic alibi, *Prov.8.15. 2.Chron.19.6. Dan.2.21. & 4.32.*

Ergo æquum eſt, ut ei præſtetur ſubjectio.

Πόρισμα. Concludit hinc Apoſtolus ἀντιθέτως, quanta ſit *iniquitas*, Magiſtratui ſubjectionem denegare, *v.12.a. Itaq; quisquis ſe opponit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.*

Quid iniquius, turpius, petulantius & audacius, quàm reſiſtere *τῇ Θεοῦ διαταγῇ, Dei ordinationi?* Hoc eſt DEO ipſi reſiſtere: ut quum apud Poëtas Gigantes accumulatis montibus Jovi in Cœlo bellum indixerunt.

Atqui qui poteſtate ſeu Magiſtratui reſiſtunt, Dei ordinationi & ſic Deo ipſi reſiſtunt.

Ergo deteſtabilis eſt horum iniquitas & audacia.

Obſervandum, quum Apoſtolus ἐξουσίαν, *poteſtatem*, ſive Magiſtratum, vocat *διαταγὴν τοῦ Θεοῦ, ordinationem Dei*, hac voce non ſolùm originem ſed & ſummam authoritatem & dignitatem ejus indigitari: quòd ſcilicet Magiſtratus non ſolùm ſit Ordo à Deo conſtitutus, ſed & talis Ordo, cui Deus per communi-

cationem

cationem suæ dignitatis & potestatis imaginem suam impresserit: quodque adeò Magistratus sit DEI O.M. in his terris Vicarius, quòd regnet Dei loco, in cultu ejus instituendo, stabiliendo, propagando; & justitia inter Homines administranda, per bonorum defensionem, & malorum coërcitionem, uti postea dicetur. Hinc enim in Scriptura nomen DEI ipsius Magistratibus attribuitur, quando vocantur *Elohim*, *Dii*, *Exod.22.28. Psal.82.1.* Unde ampliùs patere potest, quanta sit iniquitas, audacia & protervia eorum, qui Magistratui sese per contemptum, inobedientiam & rebellionem opponunt.

II. *Utilitas* nunc sequitur *Subjectionis* prædictæ, quæ Magistratui politico debetur, quam Apostolus comprehendit verbis sequentibus. *Vers.2.3.4.*

Vers.2.b. *Qui autem resistunt, ipsi sibi condemnationem auferent.*

Vers.3. *Nam Magistratus non sunt terrori bonis operibus, sed malis. Vis autem non teneri potestate, quod bonum est facito, & laudem ab ipsa obtinebis.*

Vers.4. *Dei enim minister est tuo bono. Quòd si feceris, quod malum est, metue. Non enim frustrà gladium gestat. nam Dei minister est, ultor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit.*

Apostolus iterùm *ἀντιθετικῶς* hoc argumentum persequitur. Nam si spectetur

א. *Τὸ ὅτι, Propositio*, inquam, agit à parte

1. *Unâ*, de summa pernicie Rebellionis, Pœna videl.
   α. *Divinâ, v.2.b. Qui resistunt, condemnationem auferent.* Innuuntur pœnæ cùm temporales, tùm sempiternæ, impœnitentibus imminentes.
   β. *Humanâ*, à Magistratu ipso exspectanda. Hinc *v.3.* meminit *terroris* aut metus pœnæ, videlicet in casu inobedientiæ, & rebellionis & seditionis.
2. *Alterâ*, de magna utilitate obedientiæ, *v.3.b.* quia videlicet hæc præstet *α.* tùm immunitatem à malo; *vis non teneri potestate, facito bonum*: tum exspectationem boni; *& laudem ab ipsa* (potestate) *obtinebis.*

2. Τὸ διότι, probationes affert, quibus evincitur uterq; effectus, tum *utilis*, obedientiæ & subjectionis; tum *perniciosus*, inobedientiæ. Desumptæ sunt illæ à Magistratus *Officio*, cujus Apostolus in verbis citatis exhibet

1. *Originem*, iterùm, quando *v.4.a.* eum vocat *Ministrum Dei*, *Διάκονον*, ut appareret, quod Magistratus agit administrando justitiam, tum vindicatricem, tum remuneratricem; id agere nomine, authoritate Dei, & ex legitima ejus vocatione.
2. *Finem*, qui bonus sit, nempe vel *bonorum* tutela: *Minister est, tuo bono*; vel *malorum* pœna: *si malum feceris, metue. v.4.b.*
3. *Medium*, quo Magistratus uti possit ad finem hunc assequendum, quòd scil. sit armatus *Gladio, v.4.c.* potestate, inquam, summa ad bonos tuendos, & malos coërcendos. Hinc vocat eum *ἔκδικον εἰς ὀργὴν*, *ultorem ad iram malum agenti.*

Vers.5.6. III. *Necessitas* tandem *Subjectionis* Magistratui debitæ indicatur ab Apostolo,

Vers.5. *Quapropter necesse est subjici, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Vers.6. *Propter hoc enim etiam tributa solvitis: siquidem Ministri Dei sunt in hoc ipsum incumbentes.*

α. *Arguitur* prædicta *Necessitas* ex consideratione

1. *Potestatis Magistratus* & *Justitiæ* ejus *vindicatricis*, quæ denotatur vocabulo *Iræ*: *necesse est subjici propter iram, v.5.a.* Notum quippe, quid possit ira Regis, *Prov.16.14. & 19.12.* cui simile illud Homeri: *θυμὸς δὲ μέγας ἐστὶ διοτρεφέων βασιλήων.* Irâ quidem injustâ & furiosâ Magistratûs, multi pereunt, v.g. Saulis, *1.Sam.22.16.&c.* & Herodis, *Matth.2.16.* Interim quoque justâ irâ Magistratûs perire solent nocentes. Exempl. *Mosis* contra Israëlitas, *Exod.32.19,26,27,28.* *Gedeonis* contra Succonitas & Penuelitas, *Jud.8.v.13. & seqq.* *Jephte* contra Ephrajimitas, *Jud.12.4.&c.* *Salomonis* contra fratrem Adoniam, *1.Reg.2.23,24,25.* contra Joabum, *ibid.v.29.&c.* & Semejum, *ibid.v.42.&c.*
2. *Conscientia nostra, v.5.b. sed &*, addit Apostolus, *propter conscientiam*: ne videlicet metu tantùm pœnæ Magistratui præstetur obedientia & subjectio, adeoque ea videatur esse

esse extorta & invita; sed potissimùm ex amore & studio boni ac æquitatis, ut conscientia retineatur illæsa. Nimirùm conscientiæ tormina manent eos, qui Magistratui se opponunt. Exemplo *Semei, 1.Reg.2.46. Achitopelis, 2.Sam.19.19. Bruti*, qui interfecto à se, & aliis conjuratis, Julio Cæsare, conscientiæ stimulis agitatus, à Diabolo territus fuit, & tandem in propriæ suæ manus carnificinâ periit.

Observatio. Quia *Conscientiæ* fit mentio, cujus intuitu debeamus Magistratui subjectionem præstare, diligenter attendendum, ne subjectionem hanc & obedientiam extendamus ultra fimbrias Conscientiæ, quâ DEO, tanquam supremo Domino & Judici, sumus obstricti, sed cogitemus eam tantùm permitti, ut vulgò ajūt, *VSQVE AD ARAS*, juxta Petri monitum, *Act.5.29.* Sed de hoc aliquid amplius monebo in *Quæstionibus.*

ß. Confirmatur ulteriùs à facto experimentali Romanorum, fidelium, videlicet persolutione tributorum, quæ Imperatoribus suis numerabant, *v.6.* Nam hinc poterat apertè constare, quòd Magistratui ipsis esset parendum, 1. propter potestatem & iram. Secus enim si fecissent, offensam & vindictam Imperatorum incurrissent. 2. propter conscientiam: quia Magistratus sint λειτουργοὶ Θεοῦ, *Ministri Dei*, ad hoc ipsum constituti, ut nomine Dei præsint, hincque veluti nomine Dei tributa à subditis exigant.

C. EXPLICATIO MONITI APOSTOLICI.

EXPLICATIO superest *Moniti* Apostolici de *Officio Subditorum erga Magistratum*, Vers.7.

Vers.7. *Reddite igitur omnibus, quod debetis: cui tributum (debetis) tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.*

Explicatur his verbis *Subjectio* illa, cujus mentio facta *v.1.* Magistratui debita,

I. *Generatim.* Ἀπόδοτε, *Reddite.* Sic Christus *Matth.22.21.* respondens Pharisæis & Herodianis: Ἀπόδοτε, *reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* Observetur, non dici simpliciter δότε, *date*; sed ἀπόδοτε, *reddite*: ut innuatur officium & subjectionem erga Magistra-

tum esse instar debiti, quod reddendum est Creditori, adeóque nequaquam versari eam in nostro arbitrio, sed perinde eam præstandam, atque subjectionem Deo ipsi, cujus omnes sumus debitores, & cujus Magistratus in terris vices agit, exsolvendam. quod Christus quoque dicto loco Pharisæis intimavit. Accepto enim ab ipsis, uti postulaverat, numismate censûs, aut tributariâ pecuniâ, intuendo imaginem ei impressam, & percontando, *cujus imago illa esset*; cùm respondissent, *Cæsaris*; confestim subjunxit: *Ἀπόδοτε οὖν, &c. Reddite igitur Cæsari, quæ sunt Cæsaris, &c.* tanquam acceptam ab eo pecuniam, quæ signum & tessera erat subjectionis Judæorum.

II. *Speciatim* exigitur *tributum, vectigal, timor, honor.* Voces istæ principalia in se comprehendunt officia Magistratui debita. Erga omnes Superiores, nobis præpositos, ita debemus esse affecti, ut 1. quantum in nobis est, ipsis benefaciamus, gratos nos pro beneficiis in nos collatis exhibeamus, dignitatem & statum eorum modis omnibus conservemus. 2. ut eos timeamus, propter potestatem ipsis concessam, hincque obedientiam nostram ipsis probemus 3. ut ipsos quoq; honore & reverentiâ debitâ prosequamur, propter ὑπεροχὴν, & dignitatem, quâ Deus ipsos voluit nobis anteferre. Cur ergo ista officia & debita negarentur Magistratui?

1. *Beneficentia*, utique debetur Magistratui,

α. Per *tributa* & *vectigalia*, quorum meminit Apostolus expresse. Hæc enim 1. sunt signa subjectionis, quorum ne Christum ipsum olim suppuduit, *Matth. 17, 27.* 2. mercedes curarum, laborum. 3. media necessaria conservandi status, dignitatis & potestatis Magistratus. 4. nervi rerum gerendarum per Consiliarios & varios Officiarios Magistratus, in juris & justitiæ administratione, tempore tum pacis, tum belli. Adde quoque, quæ Christiani & religiosi Magistratus primaria cura esse debet; in Ecclesiæ veræ & puræ, atque in ea cultus Divini, constitutione, conservatione & propagatione per Ministerium Ecclesiasticum, Academicum & Scholasticum.

β. Per *auxilia* alia quævis, quibus Subditi tenentur advigilare & opitulari Magistratui, pacis & belli tempore, ad malorum omnium propulsationem, & salutis eorum, hincque boni publici, conservationem & promotionem.

2. Timor

2. *Timor* quoque debetur Magiſtratui, propter *potentiam*, quâ armatus eſt à Deo ad tuendos bonos, coërcendos & plectendos malos, quam Apoſtolus indigitare voluit nomine *Gladii, v.4.* Neque tamen timor aliquis *ſervilis* heic ſufficiet, quanquam & iſte frænum eſt improbitatis & audaciæ apud ſceleratos: ſed potiùs *filialis*, cum amore & reverentia erga Magiſtratum conjunctus. qualis timor Deo ipſi debetur, non tantùm tanquam Domino, ſed & tanquam Patri, *Mal.1.6.* cujus hactenùs vicarii ſunt Reges & Magiſtratus in terris, tanquam non ſolùm Domini, ſed & Patres patriæ, quo nomine Joſeph olim in Ægypto, *Gen.45.8.* & Auguſtus Imp. à Senatu Romano fuit honoratus.

Ex hoc *timore* naſcitur quoque *Obedientia*, Magiſtratui debitâ, quâ parendum eſt omnibus ipſius edictis & mandatis, *Tit.3.1.* quod idem exigitur à Servis erga Dominos, *Epheſ.6.5.* quanquam fatendum, ſubditorum nõ per omnia eandem eſſe rationem, quæ ſervorum, de quo plura dicam in *Quæſtionibus.* Id modò attendendum, omnes Subditos, qui ſunt tantùm ſubditi, & quibus nihil competit juris in Magiſtratum ſuperiorem, teneri ad omnem obedientiam, etiam cum diſpendio omnium ſuarum fortunarum & vitæ; ſi modò illæſa ſemper retineatur conſcientia, & nihil vel ex adulatione & aſſentatione, vel ex timore ſervili Magiſtratus agatur, quo poſſet Deus, tanquam ſupremus Magiſtratus offendi, Verbum ipſius contemni, Religio proculcari, & Animarum ſalus in diſcrimen adduci. Nam in tali caſu amittit ſuam poteſtatem, cùm conſcientiis dominari nequeat, ſed jus hoc Deus ſibi ſoli reſervarit. Hactenùs ergo obtinet illud Apoſtolorum monitum: *Obedire oportet Deo potiùs, quàm Hominibus. Act.5.29.*

3. *Honor* tandem quoq; debetur Magiſtratui, propter *majeſtatem* & *dignitatem* ei conceſſam. Sic Petrus, *1.Epiſt.2.17. Deum timete, Regem honorate.* Nam ſi Deus ipſe Magiſtratum honoret per ejus exaltationem, & communicationem Nominis & imaginis ſuæ, quanto magis decet, Magiſtratum omni debitâ reverentia honorari à ſubditis?

QVÆ-

QVÆSTIONES,
ex Cap. XIII. v.1--7.

Quæst. I. Rectè'ne ex *verſ.* 1. colligi poſſit, non ſolùm *ſeculares* ſed & *Eccleſiaſticas* perſonas ſubjectionem debere Magiſtratui politico? *Rat. dub.* 1. quia, ſecundùm Origenem per *animam* intelligitur animalis Homo, non ſpiritualis. 2. quia Regimen Eccleſiaſticum videtur eſſe ſuperius politico. 3. quia inconveniens eſſe videtur, ovibus ſubjectos eſſe Paſtores.

Reſp. I. Firmiſſimâ conſequentia ex hoc loco evincitur, omnes Homines debere Magiſtratus civilis poteſtati eſſe ſubjectos. quia Paulus meminit *omnis Animæ*, id eſt, omnis Hominis animati. Vbi autem Paulus non diſtinguit, audaciæ eſt & temeritatis humanæ, diſtinguere velle. Neque verò uſlibi S. Scriptura adhibitâ diſtinctione Eccleſiaſticos exemit à ſubjectione debitâ poteſtati Politicæ. Non *Vetus Teſtamentum*, ex quo conſtat Sacerdotes, Levitas atque Prophetas, Ducibus, Judicibus, Regibus ſubjectos fuiſſe. Non *N. Teſt.* ex quo conſtat, Chriſtum ipſum noluiſſe ſe exemptum ab hac ſubjectione. Nam tributum ſolvit Cæſareanis exactoribus pro ſe & Petro. *Mat.* 17.27. Apoſtolos dehortatus eſt à dominatu ſeculari, *Luc.* 22.25, 26. quem nunc ſibi quoq; vindicat Pontifex Rom. qui non ſolùm vult immunis eſſe à jugo poteſtatis ſecularis, ſed dominium in eam, ut & totius Mundi, ſibi uſurpat, perinde ac ſi Reges & Principes ſeculares eſſent ipſius vaſalli, quorum poteſtas pendeat ab ipſius arbitrio. Chriſtus tandem ſe non ſolùm ab Eccleſiaſtico, ſed & ſeculari Judice paſſus eſt judicari & ad mortẽ condemnari. Apoſtolos cõſtat Magiſtratibus & Judicibus ſecularibus ſeſe ſubjeciſſe. Paul. alibi, *Tit.* 3. 1. nec non Petrus, 1. *Pet.* 2.13. *&c.* quando loquuntur de ſubjectione & obedientia Magiſtratui debita, nullum faciunt diſcrimen inter ſeculares & ſpirituales. Nec ullibi legitur in Hiſtoria Eccleſiaſtica Epiſcopos Romanos & alios, quantumvis in aſſerendo Eccleſiæ jure eſſent rigidiſſimi, ſub prætextu ſuæ immunitatis & exemptionis, voluiſſe ſe ſubducere poteſtati politicæ. Romani Impp. ad ſua tribunalia Eccleſiaſticos ſemper vocarunt, quod patet exemplo Conſtantini, in *Epiſt. ad Nicodemenſes*, apud *Theodoret. Lib.* 1. *Cap.* 20. & Valentiniani, *ibid. Lib.* 4. *cap.* 8. Gregorius Magn. non alterius alicujus, ſed ſuam cauſam agens, Imperatorem agnoſcit *Sereniſſimum Dominum*, & ſe *illius indignum ſervum*. *Lib.* 2. *Epiſt.* 5. *&* 61. *& Lib.* 3. *Epiſt.* 20. *& Lib.* 4. *Epiſt.* 31. *&* 34.

II. *Rationes dubit.* in contrarium nullius ſunt commatis. Non *prima*. Quis enim docuit Origenem, per *Animam*, v. 1. intelligendum eſſe Hominem animalem, oppoſitè ad ſpiritualem? quaſi verò inſolens ſit in ſcriptura per Animam Synecdochicè intelligi totum Hominem, uti jam in Analyſi loca citata ſunt. *Exech.* 18.20. 1. *Pet.* 3.20. quò pertinent etiam alia, *Gen.* 14.21. *&* 46.27. *Act.* 2.41. *&c.*

Non *ſecunda*. Quanquam enim Regimen Eccleſiaſticum ſit ſuperius Politico in ordine ad *ſpiritualia*, quæ pertinent ad Animæ ſalutem: tamen inferius eſt Politico in ordine ad *ſecularia*, videlicet ad poteſtatem & gubernationem politicam, & quidem (NB) non tantùm eam, quæ Magiſtratui politico competit in Rempublicam, ſed & eam, quæ Magiſtratui Chriſtiano competit in Eccleſiam & Ordinem Eccleſiaſticum, tanquam ejus Altori & nutritio, *Jeſ.* 49.23. cùm cuſtodia utriusque Tabulæ Legis, adeoque non tantum *Juſtitia*, ſed & veræ *Religionis* ei ſit concredita.

Non denique *tertia*. Quantumvis enim Magiſtratus eo reſpectu, quo ſunt Oves in Eccleſia, non præſint Paſtoribus; ſed uti Verbo Dei, ita quoque Regimini Eccleſiaſtico ſubſint: tamen alio reſpectu, quo ſunt Magiſtratus, & præditi ſunt poteſtate Politicâ Paſtores quoque ſibi ſubjectos habent.

Quæſt.

Quæst. II. An Pontifici Romano debeatur subjectio, propter ipsius partim *spiritualem*, partim *secularem* potestatem? *Rat. dub.* 1. quia Paulus *v.* 1. vult, *omnem animam debere esse subjectam omni potestati supereminenti.* 2. quia *omnis potestas sit à Deo.*

Resp. Pontifici Romano quà tali, nulla debetur subjectio. Quà enim Pontificem maximum se venditat, *Antichristus* est: quod arguit utraque, quam sibi arrogat & usurpat potestas.

I. *Spiritualis* ejus potestas, quâ se constituit Caput totius Ecclesiæ Catholicæ, & Principem omnium Pastorum & Episcoporum, & Dictatorem in omnibus rebus ad Religionem Christianam pertinentibus, quippe qui nec falli nec fallere possit: est prorsus Antichristiana & sacrilega. Cùm hæc potestas soli CHRISTO Opt. Max. competat. Hic solus est Ecclesiæ caput. *Eph.* 1.22. Hic solus est summus Sacerdos, *Heb.* 5,5,6. *Cap.* 7. *toto, &c.* & ἀρχιποίμην, 1. *Pet.* 5.4. ejus solius humero incumbit principatus, *Jes.* 9.6. Ipse solus habet *clavem inferorum & mortis, Apoc.* 1.18. *quo aperiente nemo claudit, & claudente nemo aperit. Ibid Cap.* 3.7. Hæc ergo potestas, quam usurpat Papa Rom. non potest esse à Deo, cùm eam acceperit à Dracone. *Apoc.* 13.4.

Non obstat, quod Paulus dicit: *non esse potestatem nisi à Deo.* Loquitur enim non de spirituali & Ecclesiastica, sed Politica potestate. Ideò 1. vocat τὴν ἐξουσίαν, quæ vox nullibi tribuitur Pastoribus Ecclesiæ. 2. potestatem vocat *gladii, v.* 4. qui soli Magistratui Politico competit. 3. Subjectionem talem requirit, quæ secum ferat *tributum & vectigal. v.* 7. quæ sunt privilegia tantùm potestatis politicæ.

II. Jam *Secularem* quod attinet Potestatem, quam sibi arrogat Pontifex Rom. considerari ea potest vel *extensivè*, vel *intensivè*. *Extensivè*, quatenus ipse eam extendit & evehit supra Imperatores, Reges omnesque Principes seculares, & constituit se Regem Regum & Dominum Dominantium, qui jus habeat utriusque gladii, cui subsit omnis creatura, qui vacante Imperio Imperatori succedat, nec possit se submittere Imperatori, nec ab eo, & ne quidem à toto Mundo judicari: qui possit Imperatorem deponere, subditos ab ipsius obedientia absolvere, cui equum conscendenti Imperator teneatur stapedes tenere, eum in sella vehendum humeris portare, &c. hæc inquam potestas iterùm est Antichristiana, quam indigitavit Paulus 2. *Thess.* 2.4. quando de Antichristo vaticinatus est, *quòd se sit elaturus adversùs quicquid dicitur Deus aut Numen.*

Si consideretur potestas secularis *intensivè*, sive *restrictè* ad Papæ territorium, in quo hactenùs jurisdictionem secularem exercuit, est quidem ista potestas in se considerata potestas legitima, adeoque à Deo: ast per accidens fit illegitima 1. quia est *usurpativa*, quæ Papæ nullo jure competit, cùm sit prædatoria. Quicquid enim ipse Jurisdictionis habet in Italia, id veteribus Imperatoribus partim astu, partim vi ereptum est. Nam quod de donatione Constantini M. circumfertur, fabulosum est & millies profligatum mendacium, 2. quia potestas hæc secularis est ἀσύστατος cum spirituali, neque cum ea conciliari potest, propter expressum Christi interdictum, *Luc.* 22,25,26. Qui plura de his cognoscere volet, adeat Calv. *Instit. Lib.* 4. *Cap.* 11. *Sect.* 9--14.

Quæst. III. An Tyrannis quoque debeatur subjectio & obedientia, ad quam Apostolus *v.* 1. adhortatur fideles? *Rat. dubit.* quia tales sint Mastratu indigni, & careant imagine Dei, ejusque *Ministri ad bonum*, qualium Apostolus meminit, *v.* 4. dici non possint.

Resp. Distingui solet inter *Tyrannum absque titulo*, qui sine ullo legitimo titulo electionis aut successionis per vim & fraudes populum alienum invadit: & *Tyrannum*

exercitio, qui quidem legitimum habet Principatum, sed eo ad Tyrannidem & oppressionem subditorum abutitur.

I. Quod *illum* attinet, ei, antequam ditionem alienam suæ potestatis fecerit, nulla debetur subjectio & obedientia, sed modis omnibus ejus machinationes propulsari possunt. Quòd si verò contingat, ut alienum populum in suam potestatem redegerit: subjectio quoque & obedientia debetur. *Rat.* 1. quia Scriptura docet, Deum sua providentia & gubernatione Regna & Reges constituere pro suo arbitrio. *Daniel.*2.21,37. quod patet exemplo *Nebucadnezaris, Ibid.v.*37,38. *&* 5.18. *Ezech.* 29. 19, 20. 2. quia eadem docet, Tyrannum esse furorem Domini super terram, *Job.*34.30. *Hos.*13.11. *Jes.*10.5. *Deut.*28.29. *Prov.*28.1. 3. Hinc Deus voluit Judæos subjectos esse Nebucadnezari, Tyranno feroci, *Jer.*27. *vers.*5. *& seqq.*

II. *Alterum* quod attinet, *Tyrannum cum exercitio*, ei consimiliter subjectio & obedientia debetur, quod Israelitis Samuel Propheta intimavit, 1. *Sam.*8.11. ubi non quidem agitur de Jure Regis legitimo, sed usurpativo: cui tamen Populus patienter se subjicere necesse habeat. Hinc quoque Petrus *servos* vult *subditos esse Dominis non solum bonis & æquis, sed etiam pravis*, à quibus duriter tractantur, 1. *Pet.*2.18.

Object. Atqui indignus est Tyrannus Magistratu, nec gerit Imaginem Dei, neque Minister Dei ad bonum vocari potest.

Resp. 1. Deus vult, nos in officio Magistratui exhibendo non debere intueri *indignitatem Personæ*, sed *dignitatem* & authoritatem *Officii* ipsis concrediti. 2. Et hujus respectu ipsi quoque gerunt Imaginem Dei, quanquam illam sua Tyrannide & vitiis labefactent & conspurcent. Sicut pari ratione Liberi etiam indignissimis & spurcissimis Parentibus subjectionem debent: imò omnes Christiani in officio suo erga proximum id agere tenentur, quod sui est muneris, neque respectare ad manticam à tergo pendentem. 3. Licèt Magistratus bonus sit, monente Apostolo, *v.*4. *Dei Minister ad bonum* bonis: tamen Magistratus Tyrannicus est quoque Dei Minister ad subditorum pœnam, ut nuper dixi.

Quæst. IV. An ergo malo & Tyrannico Magistratui in omnibus sit cum subjectione parendum?

Resp. In omnibus iis, quibus majestas & voluntas Dei & conscientia nostra non violatur. *Rat.* 1. quia Dei, tanquam Regis Regum, voluntati omnium Regum vota, decreta, fasces cedere & subesse debent. 2. quia æquius est Hominum, quàm Dei offensionem incurrere. 3. quia Hominibus subjecti sumus non nisi in *Deo, cui plus est obediendum, quàm Hominibus, Act.*5. Hinc supra dictum, nostram subjectionem, quam Magistratui debemus, non ulterius se extendere, quàm VSQVE AD ARAS. 4. Hinc in Scriptura dilaudantur, qui noluerunt servire & morem gerere iniquis & pravis affectibus atque edictis Regum, v. g. Obstetrices Ægyptiacæ, *Exod.*1.17. Servi Regis Saul, 1. *Sam.*22.17. Jonathan filius ejus, 1. *Sam.*20.31. *& c.* Socii Danielis, *Dan.*3.16,17,18. Daniel ipse, *Dan.*6.10,23.15. E contrario in Scriptura reprehenduntur, qui impiis Magistratuum edictis obtemperarunt. *Exem.* Israelitæ, *Hos.*5.11. & eorum posteri, 1. *Reg.*12.30.

Quæst. V. Quomodo & quando Deus Magistratum instituerit? Ex eodem *vers.*1.

Resp. 1. In Protoplasta ADAMO, quem Deus constituit Dominum totius Mundi. 2. à quo dimanavit quoque deinceps potestas tùm Maritalis in Vxores, *Gen.*3.16. tùm Parentum in liberos, & Primogenitorum in totam familiam. 3. donec Genere Humano aucto & locupletato, dispersis in totum Orbem populis, ut in pace & tranquillitate societatis passim locorum continerentur, non absque singulari Dei providentiâ, unà cum civitatibus, Politicum regimen emersisset. De *Nimrodo*, qui *potens Venator*

coram

coram Domino dicitur, *Gen.*10.*v.*8,9,*&c.* perscriptum est, quòd primus alios populos sub suam redegerit potestatem. quo jure, quâve injuriâ id ab ipso factitatum fuerit, nunc non disputo. Potestas politica, à quocunque invadatur, manet in se potestas legitima; sicut divitiæ, alia've temporalia bona, per se sunt Dei dona & beneficia, etiamsi ab hominibus injustis per vim & fraudes rapiantur, possideantur & in summum abusum convertantur. 4. Hinc non legimus, Deum, post Regimen politicum in Genere Humano institutum, ullâ aliquâ Lege prohibitivâ illud voluisse exauthoratum, sed potiùs confirmatum. Abrahamo unà cum semine ipsius, fœdere cum ipso inito Dominium à Deo fuit assignatum terræ promissæ Canaan. Suscitavit dehinc Deus ex posteris ipsius *Duces*, Mosen & Josuam, populi sui Ductores & Gubernatores: Post Duces excitavit *Judices*, tanquam Vindices libertatis populi contra Hostes & illegitimos invasores: post Judices *Reges*: post Reges, *Principes*, usque ad CHRISTUM Regem æternum. 5. Neque delirandum cum Anabaptistis, quasi per Christum Regimen Politicum in Novo Testamento fuisset abolitum. Christi & Apostolorum tùm monita tùm exempla in contrarium militant, uti supra fuit confirmatum. Et docuit Christus innumeris non raró miraculosis documentis suæ potentiæ & bonitatis, quo loco deberint haberi jam indè à Constantino Magno alii quoque Christiani Imperatores, Reges, Principes, &c. v.g. Martianus, Valentinianus, Theodosius uterque, Justinianus, Carolus Magnus, alii; adeò ut Magistratus Christiani dignitatem, potestatem & authoritatem, quæ ei nunc in Novo Testamento competit, tentare, lacessere, subruere velle, nihil sit aliud, quàm Giganteo furore in Cœlum ipsum arietare.

Quæst. VI. An omnis potestas sit à Deo? Iterùm ex *vers.*1. *Rat.dub.* 1. Quia alibi videtur dici contrarium, *Hos.*8.4. 2. Quia Petrus Magistratum vocat κτίσιν ἀνθρωπίνην, 1.*Pet.*2.13. 3. Quia constat complures per fas & nefas invadere Magistratum. 4. Multæ itidem sunt potestates Tyrannicæ. atqui tyrannis non est à Deo. 5. Quin ipsa quoque Satanæ potestas, qui vocatur *Princeps hujus Mundi, Joh.*16,11. & *Deus hujus seculi,* 2.*Cor.*4.4. videretur esse à Deo.

Resp. I. Distinguendum est inter ipsam potestatem & potestatis acquisitionem. *Illa* semper bona est, atque à Deo, juxta testimonium Apostoli, hoc loco, & Salomonis *Prov.*8,15.& Mosis, *Deut.*1.17. *Hæc* nonnunquam est illegitima, violenta & fraudulenta, quæ contingit per usurpationem, qualis fuit Nimrodi, *Gen.*10. 9. Hunc acquirendi modum non est fas asscribere Deo tanquam authori, cùm ipse nullius fit sceleris & injustitiæ author. Sic divitiæ per se sunt res bonæ, & numerantur inter Dei benedictiones: per accidens autem habentur pro maledictis, si injustè acquirantur. 2. Distinguendum venit inter Potestatis *usum*, quo respectu omnis potestas est à Deo, & ejusdem *abusum*, ut quum Tyrannus ordinaria & legitima potestate abutitur ad tyrannidem & oppressionem subditorum. Hic abusus non Deum, sed Satanam & Homines habet authores. 3. Distinguenda quoque venit phrasis, quâ dicitur *aliquid esse à Deo.* Dicitur enim aliquid esse à Deo vel *effectivè*, sic non nisi quæ sunt bona & usus potestatis legitimus est à Deo: vel *permissivè & directivè*, sic abusus quoque potestatis & tyrannis est à Deo, quatenus Tyranni non sine Dei providentia vel potestatem alienam sibi usurpant, vel tyrannicè regnant. Hoc enim non fit absque arcano Dei judicio, quo vel subditorum peccata vindicat, *Job.*34.30. vel in Tyrannis ipsis gloriam suæ potentiæ & justitiæ in futurum vult patefacere, exemplo Pharaonis, *Exod.*9.16. & Assyrii, *Jes.*10.5,6,12.

II. Jam quod allatas rationes dubitandi attinet, respondetur

Ad 1. In loco citato Hoseæ agi de illegitimo acquirendi modo, quando videlicet X. Tribus Israëlitarum per rebellionem & defectionem à Rechabeamo filio Salomonis, Jeroboamum extulerunt ad Regnum. Et tamen nec hoc simpliciter factum absque Deo, id est, absque ipsius permissione & gubernatione, patet ex locis, 1. *Reg.* 11, 31. 35. 37. & 12. 15. 24. quia nimirum Deo constitutum fuerat punire peccata Salomonis & Filii ejus. Hinc postea *Hos.* 13. 11. Deus dixit: *Do tibi Regem in ira mea.*

Ad 2. Petrus vocat Magistratum *κτίσιν ἀνθρωπίνην*, *ordinationem Humanam*, non *originis* respectu, sed respectu partim *subjecti*, quia Hominibus à Deo est concredita: partim *objecti*: quia occupata est circa genus Humanum gubernandum: partim *finis*, quia ad societatem generis Humani conservandam à Deo est instituta, sicut Apostolus postea *v.* 4. dicit: *Magistratum esse Ministrum Dei ad bonum.*

Ad 3. Modum injustum acquirendi potestatem non esse à Deo, sed ab Hominibus: potestatem interim posse esse bonam atque Divinæ originis.

Ad 4. Tyrannidem per se non esse potestatem, sed esse potestatis vitium & abusum, qui, uti dixi, non est à Deo, sed à Diabolo, & Hominibus.

Ad 6. dico 1. Diabolum nullam habere nisi à Deo permissam aut concessam potestatem, inprimis in judiciis Dei exequendis contra impios, v. g. Saulem Reg. 1. *Sam.* 19. 9. Achabum, 1. *Reg.* 22. 21, 22. Eo enim veluti Carnifice Deus utitur ad punienda improborum scelera, quanquam non rarò Deus ejus ministerio quoque utatur, non solùm ad castigandos pios propter delicta, exemp. Davidis, 1. *Chron.* 21. 1. sed & ad explorandam eorum patientiam, & continendos ipsos in officio, ut patet exemplo Jobi *Cap.* 1. *v.* 9. *&c.* & Pauli, 2. *Cor.* 12. 7. 2. Potestatem hanc limitatam & circumscriptam cancellis providentiæ Dei, ut nihil tentare possit absque ejus indultu, *Matth.* 8. 31. nec ulteriùs suo furore grassari, quàm Deus ei permittat, *Job.* 1. 12. *&* 2. 6. 3. *Principem* vocari *Mundi*, non respectu juris, quod habeat in creaturas, uti mendaciter jactaverat coram Christo, *Matth.* 4. 9. sed respectu Impiorum, in quibus ex justo Dei judicio potenter operatur, & *δημιουργὸς* est impietatis & malitiæ eorum, *Eph.* 2. 2. 4. *Deum hujus seculi* vocari *κατεχρηστικῶς*, & *δοξαστικῶς*, quòd à Mundanis Hominibus ferè pro Deo habeatur, sicut in Scriptura *Dii Gentium* appellari solent.

Quæst. VII. An nullâ ratione liceat resistere Magistratui politico? Ex *v.* 2.

Rat. dubit. 1. quia non rarò Magistratus iniquissimè imperat, cum summo subditorum & Reipub. damno. 2. quia subditorum conscientias sæpe gravat edictis iniquitatis plenis, v. g. quum Dei cultu eis interdicit, eosq; ad falsam aliquam Religionem amplectendam compellit.

Resp. Superiùs jam aliquid de hac re monitum, *pag.* 447. *in Analysi.* Distinguendum venit tum inter *Resistentes*, tum inter *resistendi Modum.*

I. *Resistentes* quod attinet, sunt illi vel *privati Homines*, vel *partem aliquam gerunt Magistratus.*

1. Si sint merè *privati*, aut *subditi tantùm*, his nulla competit resistentia, sed mera subjectio. Quòd si tyrannis talium cervicibus incumbit, remedium non fuerit rebellio, sed humilitas, ex recordatione suorum delictorum, ob quæ puniuntur; hinc patientia, preces aut imploratio auxilii Dei; meditatio Divinæ

vinæ bonitatis & misericordiæ, quâ pios sub jugo tyrannidis complectitur; potentiæ item & justitiæ, quâ Deus mirabiliter potest & novit oppressos sublevare, & oppressores punire atque delere.

2. Quòd si sermo sit de iis, *qui partem aliquam gerunt Magistratus*, quales olim fuere apud Lacedæmonios *Ephori*; apud Romanos *Tribuni plebis*; apud Athenienses *Demarchi*; & hodie in Regnis, quos vocant, *Ordines*: cùm illi non sint merè subditi, sed potestatis eorum, penes summum Magistratum, sit, conservare salutem Reipublicæ; leges fundamentales ejus tueri, incommoda & detrimenta quævis avertere & prohibere, & saluti publicæ invigilare: horum fuerit ex officio & ordinatione Dei, licentiæ & ferociæ Magistratus intercedere, & populi libertatem defendere, ne sua dissimulatione & perfidia videantur esse ejus proditores.

Object. Si quis regerat summum, absolutum & omni exceptione majus imperium Magistratus, quod nullis mediis possit aut debeat in ordinem cogi:

Resp. Tale imperium inveniri quidem in terris, & praxeos esse Mundanæ nequaquam insolitæ: attamen in S. Scriptura & Jure Divino esse incognitum: Scriptura Regis potestatem arctat intra cancellos Legis, *Deut.* 17. v. 14. *& seqq.* & subditos vult haberi fratrum loco; *Ibid.* (præceptum Dei est, omnium Regum, Principum & Magnatum, ut de inferioribus Magistratibus taceam, non solùm foribus aulicis, sed & frontibus inscribendum). Nam quod objici solet ex 1. *Sam.* 8. v. 10. *&c.* de jure Regis, id non tam de jure, quàm de more & consuetudine Regum, præsertim Gentilium, qualem Regem Israëlitæ à Samuele postulaverant, intelligendum: hincque de Jure usurpativo, per quod absolutum imperium non potest legitimari. Adde, tale imperium contravenire jurijurando, quo Principes sese obstringunt subditis & Ordinibus ad tuendam Reipub. & subditorum salutem, juxta vulgatum illud: SALUS POPULI SUPREMA LEX ESTO: cujus sancta apud ipsos debet esse religio. Nam quòd nonnulli Jusjurandum dicant esse tantùm de honestate, neque obligatorium, quo Princeps aliquis nequaquam teneatur: eo ipso, uti produnt summam suam & extremam impietatem, ita per suas nefarias assentationes, Principes, quorum Majestatem & potestatem ullis Humanis judiciis volunt esse illimitatam & incircumscriptam, in laqueos induunt horrendi perjurii, & maledictionis Divinæ.

II. Sed jam de *Modo* quoque *resistendi* aliquid dicendum, qui potest esse partim *inculpatus*, partim *culpatus*.

1. *Inculpatus* est 1. per simplicem inobedientiam in rebus illicitis apud *Homines privatos*, quum nolunt parere impiis Magistratus edictis, quæ militant contra Dei gloriam, præceptum, & contra conscientiam. Nam jam supra dictum, cùm Deo, tanquam Regi Regum & Domino Dominantium, major debeatur subjectio & obsequium: quando Principes terreni subditos ab obedientia Dei volunt abstrahere, amittere suum jus, & inhabiles se reddere, quibus obedientia præstetur, cum Deo ipsi bellum indicant: perinde atq; si Oeconomus aliquis, qui vicarium agit Domini sui in administranda familia, vellet domesticos cogere, ad obsequia voluntati & honori Domini sui contraria. 2. Alius est modus inculpatæ resistentiæ apud *Magistratus populares*, de quibus jam dictum, quando illi Principes & Magistratus exorbitantes & lascivientes student fræno suorum monitorum & consiliorum in officio continere, nec omnem ipsis licentiam permittunt, sed debitâ eum παῤῥησίᾳ, cum modestia interim & reverentia temperata, ipsorum pravis conatibus & machinationibus intercedere, ne Reipublicæ salus in discri-

men adhibeatur; neque priùs ad extrema acria remedia descendunt, quàm omnia alia fuerint tentata, adeóque leniora omnia remedia sint desperata: ubi tùm regula vulgata locum habebit; *Majorem esse habendam rationem Vnitatis, quàm Vnius.* Nam qui Machiavellico cum furore docent, populum propter Principem, non Principem propter populum esse constitutum: illi ipsius naturæ ordinem evertere, & omnia Divina Humanaque jura convellere nituntur.

2. *Culpatus* autem resistendi modus deprehenditur iterùm 1. apud *Privatos*, quando illi propter quascunque à Magistratu illatas injurias confestim ad arma prosiliunt, per impatientiam, inobedientiam & rebellionem. Magistratui enim ut Paulus hoc Capite docet, competit gladius: non subditis & privatis, ut sæpius dictum. 2. Apud *Magistratus populares*, quando illi modum aut moderamen inculpatæ tutelæ Reipublicæ & populi excedunt; quando nihil infirmitati Humanæ, à qua Principes alieni esse non possunt, condonare volunt; quando propter quævis ipsis negata statim ad arma conclamant, subditorum animos adversus Principes seditiose concitant, & affectibus, iræ, odii, vindictæ cupiditatis & arrogantiæ ducti, sub prætextu Reipublicæ, Majestatem Principis prorsus conculcare & pessundare studio habent. Sed de his nunc satis. Utinam per seculi hujus ærumnosi, à Magistratus & Subditorum parte, nimis exorbitantem licentiam, liceret talibus Quæstionibus prorsus supersedere, quàm quicquam horum movere!

Quæst. VIII. Recte'ne ex hoc loco Paulino *Capitis hujus* 13. colligatur, licere Christianis Magistratum gerere & bella movere?

Resp. Anabaptistæ, Libertini & consimiles fanatici, existimant potestatem gladii è diametro militare contra libertatem Christianam. Olim quidem in Veteri Testamento obtinuisse, in Novo autem prorsus exolevisse. At contra est locus iste Pauli, quo etiam in Novo Testamento asseritur & sancitur Magistratus & gladii potestas. Si quis *excipiat*, Paulum loqui tantum de subjectione, quæ sit præstanda Magistratibus infidelibus, sub quorum imperio & potestate tunc temporis Romani aliique fideles vivebant: *regero*, eas rationes, quas Paulus affert ad evincendam talem subjectionem, longè magis militare pro Magistratu Christiano, quàm infideli, v.g. 1. quum *vers.* 2. Magistratum commendat tanquam *διαταγὴν ordinationem Dei*, in qua videlicet resplendeat imago majestatis Divinæ. An hæc imago magis splendebit in Magistratu impio, profano, infideli, idololatrico, quàm in fideli & Christiano? 2. quum *vers.* 3. dicit, Magistratum *non esse terrori bonis operibus, sed malis.* An metus ob mala opera magis exspectandus est apud impium, quàm Christianum & pium Magistratum? 3. quum *vers.* 4. Magistratum Apostolus vocat *Ministrum Dei ad bonum.* Hoccine Ministerium magis competit profano, quàm Christiano Magistratui? 4. quum *vers.* 7. vult Magistratui exhiberi omnem *amorem, timorem* non solum servilem, & metu pœnæ extortum, (*v.* 5.) sed & filialem, quem conscientia dictare debet; *honorem* item & reverentiam: An infidelis & impius Magistratus talium ipsi debitorum officiorum erit habilior & capacior, quàm Magistratus fidelis & Christianus? Quæ Anabaptistæ contra Magistratum Christianum sub prætextu libertatis Christianæ in contrarium movere solent, examinare & discutere, non est mei præsentis instituti, cui tantùm explicatio Epistolæ Paulinæ proposita est. Adeat Lector *Comment. Clariss. Parei in hoc Caput. Dub.* 6.

Quæst.

Quæst. IX. An Leges positivæ Magistratus obligent conscientiam? *Rat. dubit.* 1 Pro *affirmativa* sententia: quia Paulus *vers.5.* vult subjectionem deberi Magistratui *non solum propter iram, sed & propter conscientiam.* 2. Pro *negativa*: quia videtur talis obligatio contraria esse libertati Christianæ.

Respondeo paucis. Leges positivæ non *per se* & quà sunt constitutiones Humanæ, obligant conscientiam. Nihil enim Magistratus extra Dei Verbum, multò minus, ut nuper dixi, contra Dei Verbum, juris habet in Hominum conscientias. Solus Deus est conscientiæ Dominus & Judex. Obligant tamen dictæ Leges conscientiam, aliis de causis, 1. propter generale & morale Dei mandatum, quo præcipit obedientiam Magistratui debitam in omnibus rebus licitis & possibilibus. 2. propter aliud morale debitum, quo tenemur pacem & tranquillitatem publicam conservare, cavere à scandalis, & abstinere à turbis, tumultibus & seditionibus: adeò ut hactenus non tàm Magistratui, & Legibus Humanis, quàm Deo ipsi obedientiam præstemus. Absq; his enim conscientia in casu inobedientiæ nullo vinculo teneretur.

PARS II. CAPITIS XIII.

DE OFFICIO FIDELIUM ERGA SE INVICEM.

Postquam Apostolus in præcedentibus verbis fideles commonefecisset de *Officio erga Magistratum Politicum*, nunc porrò ad alia descendit monita, ex secunda Legis Tabula deprompta, quibus eos commonefacit ad *mutuam inter se charitatem fovendam*, verbis seqq.

Vers.8. *Nemini quicquam debete, nisi* (hoc) *ut alii alios diligatis. Nam qui diligit alterum, Legem implevit.*

Vers.9. *Siquidem illud, Non mœchaberis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quod aliud est mandatum, in hoc sermone summatim comprehenditur, nempe: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Exod.20. 13.-17. Deut.5. 17.-21. Lev.19.18.

Vers.10. *Charitas proximum non afficit malo. Itaque Charitas est completio Legis.*

Considerand. Admonitionis hujus Apostolicæ

I. *Συζυγία* sive *nexus* & *cohærentia* cum præcedentibus. Exhortatus fuerat ad debitum Magistratui solvendum. Vt admonitioni tanto magis parerent, nunc ad officia mutua charitatis hortatur ideò, quia Magistratus potestas huc collimat, ut charitas inter Homines sarta tecta teneatur. Itaque qui volunt esse charitatis studiosi, *debent studere* (verba sunt Calvini in hunc locum) *ut Leges ac Judicia valeant,*

ut Le-

ut Legum præsides populum habeant obsequentem, quorum beneficio tranquillitas omnibus constat.

II. Περιοχὴ, *Summa*. Commonefacit Apostolus fideles,

Vers. 8. א. *In genere*, tum

α. Ἀρνητικῶς, ne alicui quicquam debeant, sed debita sua persolvant. Hoc autem non tantùm de pecuniariis debitis intelligit, sed de omnibus debitis tùm *naturalibus*, tùm *moralibus*, tùm *politicis*, quibus inter se mutuò sunt Homines devincti; tùm quà sunt *Homines*, tùm quà sunt *Christiani* & *fideles*, adeóq; vivunt in societate non solùm domestica & politica, sed & Ecclesiastica.

β. Θετικῶς, ut alii alios diligant. Ideò ait, *nisi ut alii alios diligatis*. *Observetur* heic particula exclusiva εἰ μὴ, *nisi*, quâ Apostolus debitum dilectionis aliquo modo discernit ab aliis debitis. Innuere enim vult aliis licet debitis proximo solutis, manere semper & restare debitum charitatis, ad quod semper teneamur, & à cujus continua persolutione nunquam sit feriandum. Indicat autem *Charitatis* hujus

1. *Subjectum*, quibus scil. ea incumbat, omnibus fidelibus, cùm nullum faciat inter eos discrimen, *v.8.*

2. *Objectum*, erga quos ea exercēda: ergà alios, proximos. Vocat ibid. proximum, ἕτερον, *alterum*. Quanquam autem potissimùm loquatur de fidelibus, quibus etiam major debetur dilectio, tanquam fratribus nostris spiritualibus in Christo; tamen non vult excludere alium quemvis proximum, qui nobis naturali fraternitate junctus est, cùm omnes descendamus ab una communi stirpe & parente. Hinc *Jes.58.7.* proximus quilibet vocatur *Caro nostra*.

Vers.9. b. 3. *Modum*, v.g. ex Lege: *Diliges proximum tuum ut te-ipsum: Lev.19.18.* Nulla regula & mensura charitatis nostræ erga proximum est evidentior & perfectior, quam dilectio nostri ipsius, quâ naturâ propendemus, ad bona & commoda nostra procuranda, conservanda, promovenda & amplianda; mala verò & damna quævis cavenda, amolienda, propulsanda. Itaque eundem affectum, juxta Dei mandatum, gerere debemus erga proximum, quò etiam pertinet monitum Christi, *Mat.7.12.*

2. In

3. *In specie*, recitatione & commemoratione præceptorum secundæ Tabulæ Legis. Mentionem enim facit *v.9.* Præcepti *Vers.9.a*

1. Septimi: *Non mœchaberis.*
2. Sexti: *Non occides.*
3. Octavi: *Non furaberis.*
4. Noni: *Non falsum testimonium dices.*
5. Decimi: *Non concupisces.*

Observentur heic seqq.

α. Apostolum non per omnia ordinem retinere præceptorum horum, cùm septimum præmittat sexto. Noluit examussim singula enumerare, sed tantùm ὡς ἐν τύπῳ. Idem legimus factitasse Christum, *Matth.19.18,19.*

β. Apostolum præceptum de *Concupiscentia* enarrare non tanquam divisum, sed tanquam unum præceptum, de quo aliquid porrò monebo in *Quæstionibus.*

γ. Apostolum, post specialem præceptorum horum enarrationem, attexere verba: *& si quod aliud est mandatum.* Procul dubio insinuare voluit *præceptum quintum*, de honorandis, & per consequés diligendis Parentibus. Quòd illius non expresè meminit, inde est, meo judicio, quòd de dilectione Parentibus exhibenda nemo dubitet, & hæc sit liberis congenita, ipsumque dictamen naturæ eam requirat; unde inter κοινὰς ἐννοίας refertur: *Parentes esse honorandos*: Charitas verò erga alios proximos magis cespitat & laborat.

III. Κατασκευὴ, *Confirmatio.* Causæ Admonitionis Apostolicæ petitæ sunt

1. Ab *æquo.* Æquum est, ut persolvamus debita, quibus proximo sumus obligati. Charitatem ejusq; officia debemus proximo, *v.8.* Ergo æquum est, ut ea persolvamus. Imò Apostolus, ut superiùs monui, arctiùs vult constringere fideles, quòd debitum Charitatis mutuæ non sit comparatum, uti debita alia, quæ per solutionem possunt exhauriri, aut per vices solvi: sed quòd sit perpetuum & semper manens, ut indesinenti solutione opus habeat.
2. Ab *honesto.* Probat ex Lege, uti jam visum est. Si Legis sumus debitores, ergo & charitatis, quia ἀνακεφαλαίωσις, *summa* Legis est Charitas *v.9.* quod probat Apostolus ex præceptis

ſecundæ Legis tabulæ, *Exod.20.13.&c.Deut.5.17.&c.* & eorum ſummâ, *Lev.19.18.*

3. Ab *utili*, quia per charitatem Lex impleatur. *Qui diligit*, inquit, *alterum, Legem implevit*, *v.8.* & poſtea, *v.10.b.* *Charitas eſt πλήρωμα τῦ νόμυ, completio Legis*: de quo plura dicam in *Quæſtionibus*. Probat idipſum Apoſtolus ex effecto, *v.10.a.* quia *Charitas proximum non afficiat malo.* Nam qui ducitur charitate erga proximum, nunquam ſuum in animum inducet, proximum in quacunque re lædere, ſed cavebit ejus incommodum & damnum omni ſtudio, tanquam ſuum proprium. Huc verò tota Lex tendit, ne proximo aliquam noxam inferamus, vel omiſſione boni ipſi debiti, vel immiſſione mali vetiti.

PARS III. CAPITIS XIII.

DE OFFICIO FIDELIVM ERGA ſemet-ipſos.

Verſ.11.12. 13.14. Comprehendit illud Apoſtolus verbis ſeqq. uſque ad finem Capitis.

Verſ.11. *Idq; perfectâ opportunitate, quòd* (videlicet) *tempeſtivum jam* (ſit,) *nos à ſomno expergiſci. Nunc enim propiùs nos eſt ſalus, quàm cùm credidimus.*

Verſ.12. *Nox proceſſit, dies autem propinquat. Abjiciamus igitur opera tenebrarum, & induamur habitu, qui luci conveniat.*

Verſ.13. *Vt interdiu, compoſitè incedamus: non in comeſſatione & ebrietatibus, non cubilibus ac protervijs, non lite & invidia.*

Verſ.14. *Sed induimini Domino Jeſu Chriſto, & carnis curam ne habete ad* (explendas) *cupiditates.*

Occurrit in hac Νȣθεσίᾳ Apoſtolica

A. PROPOSITIO.

Hæc continet tum *Dehortationem* tum *Adhortationem*.

Ȣ. *Dehortatio* indicat, quid *fugiendum* & *vitandum* ſit.

I. In

I. *In genere* dehortatur Apostolus à vita flagitiosa, idque verbis allegoricis.

I. Requirit, *ut surgamus à somno. Somni* nomine non intelligit somnum *corporalem*, quanquam nec huic sit nimiùm indulgendum: sed *spiritualem*, qui est somnus peccatorum & pristinæ pravæ conversationis; somnus itèm securitatis, quo Romani obruti erant, antequam lux Evangelii ipsis illuxisset, illique eam per fidem apprehendissent.

Talis est omnium irregenitorum conditio: 1. mentes habent tenebris ignorantiæ, cœcitatis, & omnis generis errorum obsessas. 2. stupida habent & languentia corda, ad omne bonum inepta. 3. peccatis horrendis indulgent, de quibus supra *cap.1.* 4. securitati se totos mancipant. 5. interim obnoxii sunt innumeris periculis, in quibus versantur dormientes aut ambulantes in tenebris, hærentes in laqueis Diaboli, & proclives ad omnis generis præcipitia.

Vult Apostolus, ut excutiamus hunc somnum. Quomodo? Sicut qui manè evigilant è somno, quodammodò reviviscunt cum novis viribus, sensus omnes recipiunt, oculos aperiunt, & Solem orientem cum gaudio intuentur, dehinc, postquam se induerunt, se componunt ad labores & opera suæ vocationis: ita nobis quoque agendum. Evigilandum ex somno spirituali, per illuminationem mentis & renovationem cordis, ad implendam Dei voluntatem, cum vigilantiâ, quâ nos muniamus contra insidias, tentationes Satanæ, Mundi, Carnis, & omnis generis nos circumstantia pericula.

2. Requirit Apostolus, *ut abjiciamus opera tenebrarum.* Eodem propemodùm sensu. Per *opera tenebrarum* intelligit omnis generis peccata, quibus operam dare solent illi, qui mentes habent obtenebratas à Satana, principe tenebrarum: qualia etiam patrare solent, qui tenebris gaudent, *Joh.3.19.* & quæ tandem Hominem, si in iis perseveret, in æternas tenebras conjiciunt.

Vult Apostolus *nos ea abjicere*, per similitudinem aliquam. Sicut enim Vir aliquis gravis & honestus vetulam aliquam, spurcam & detritam vestem non facilè fert, sed abjicit: ita nos, qui sumus Filii lucis & Patris cœlestis, & fra-

tres unigeniti Dei Filij, abjicere debemus vetulam & olentem vestem tenebrarum, spurcitie variorum peccatorum horridam, sicut legimus à Jehosuah Pontifice amotas fuisse vestes sordidas, *Zach.3.3,4.* nec non à Filio prodigo ad Patrem reverso, *Luc.15.22.*

3. Monet Apostolus, *ne Carnis curam habeamus ad explendas cupiditates. Carnis* nomine hoc loco *Corpus* intelligit, & vitam ejus carnalem.

α. Non interdicit prorsùs curâ corporis & vitæ præsentis, sed præsupponit hanc curam, tanquam necessariam & inevitabilem. Quamdiu enim in hoc Mundo nobis peregrinandum, de necessariis vitæ adminiculis, victu sc. amictu & reliquis necessitatibus, nobis prospiciendum, juxta loca, *Gen.3.19.* Psal.128.2. *1.Tim.5.8.* Hinc dici solet: *Mortalia cura, immortalia spera.*

β. Vult ergo Apostolus tantùm intercedere intemperantiæ & luxuriæ. Nam carnis non vult haberi curam, *ad explendas cupiditates.* Cupiditates nostræ non solùm sunt immoderatæ, sed & insatiabiles, ut si fibulas eis laxemus, nullus modus & finis earum sit futurus. Necessum ergo est eas velut fræno aliquo coërceri, ne modum excedant, in nobis exæstuent, & despument in omnis generis flagitia & turpitudines, de quibus nunc porrò Apostolus quoque agit

II. *In specie*, certa quædam vitia commemorans, à quibus sit abstinendum, ut ostendat, quæ nam sint *opera illa tenebrarum*, à quibus *v.12.* dehortatus fuerat. Nominat autem communiora, & ad quæ patranda Homines tenebris & angulis uti solent. Mentionem enim facit

1. *Gulæ & ebrietatis v.13.* dicens: *non in comessationibus & ebrietatibus.* Intelligit omnem immoderatum ac turpem abusum donorum Dei, quæ ipse nobis largitur ad vitæ præsentis sustentationem, uti potissimum est cibus & potus. Graviter heic peccat Homo, quum talibus Dei beneficiis utitur non tantùm ad necessitatem, & honestam ac licitam recreationem; sed ad ingluviem, intemperantiam, luxuriam, quæ conjuncta est cum profanatione eorum, & ingratitudine erga Deum.

2. Cubi-

2. *Cubilium* ac *protervitarum*. *Ibid.* *Non in cubilibus*, inquit, *ac protervitis*. Non moderatum damnat Conjugij usum, sed libidinem Veneream, quæ exæstuat in impudicitiam, scortationes, adulteria & alias spurcities, quibus olim in ganeis & lupanaribus Gentiles indulgebant.

3. *Litis* & *invidiæ*. *Ibid.* Nam & hoc est carnis & tenebrarum opus, quando per neglectum charitatis Homines ex alienis commodis invidiam concipiunt, cujus œstro perciti postea in varias lites, contentiones & certamina, cum proprio & aliorum damno se conjiciunt.

Hactenus *Dehortatio* Apostoli. Sequitur

3. *Adhortatio*, quâ Apostolus è contrario indicat, quid agere & sectari debeamus. Alludit iterum ad similitudinem surgentium è somno, qui postquam evigilarunt, vestes suas induunt, & ambulant dehinc in sua vocatione. Itaque tria iterum requirit:

1. *Vigilantiam*, ad quam nos, post excussum somnum, cujus superiùs mentio facta est, componere debemus. quò alia quoque passim monita tendunt, Christi, *Matth. 24. 42. & 25. 13. & 26. 41.* Pauli, *1. Cor. 16. 13. 1. Thess. 5. 6.* Petri, *1. Pet. 5. 8.* Hæc iterum non tàm de vigilantia *corporali* sunt intelligenda, quanquam eâ quoque sit opus in gravibus periculis: quàm de *spirituali*, quæ in eo consistit, ut Homo 1. attendat sibimet-ipsi, *1. Tim. 4. 16.* affectus suos & concupiscentias frænet & coërceat, ne per eas abripiatur ad mala. 2. ut posita securitate observet varias insidias & laqueos Satanæ & Mundi, ne iis obruatur & implicetur: & veluti in statione militari sit constitutus, ad resistendum, & repellendas omnis generis tentationes paratus & instructus. 3. ut denique mente & corde se totum Deo addicat, per diligentem meditationem verbi Dei, per continuas ad Deum preces & sancta suspiria, per studium sobrietatis, curam indefessam & administrationem suæ vocationis.

2. *Amictum*. Præcipit Apostolus, ut α. *Induamur habitu qui luci conveniat*. Sicut voluit nos *abjicere opera tenebrarum*, ita nunc vult (*v. 12.*) nos ἀνδύσασθαι τὰ ὅπλα τοῦ φωτός.

Ὅπλα, apud Hebræos *Chelim*, significát tùm *arma*, *Jer. 21. 4. Ezech. 32. 26.* Hinc Vulgatus & Erasmus vertunt *arma lucis*. tùm *Vestes* seu *habitum*, quo Homines se tegunt &

ornant, uti videre est *Deut.20.5.& 22.5.* Hinc Th.Beza reddit, *habitum, qui luci conveniat.* Potest meo judicio utraq; translatio locum habere & facili negotio conciliari. Nam & arma pertinent ad amictum Hominis; & habitus ille, quo juxta monitum Apostoli fideles indui oportet, propter continuam ipsis heic incumbentem militiam, debet servire ipsorum defensioni & pugnæ contra Satanam & omnis generis Hostes. Hinc alibi Apostolos monet fideles, *ut assumant τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ, universam armaturam Dei,* quam ibi per partes describit, *Eph.6.13.* & *1.Thess.5.8. ut induti sint thorace fidei & charitatis, & pro galea, spe salutis.* Itaque Paulus intelligit hoc nomine fidem, charitatem, spem, sanctimoniam, cum omnis generis virtutibus, quibus fideles amictos, ornatos ac veluti armatos esse oportet, in militia vitæ præsentis.

Arma dehinc *lucis* vocat, tum quia ea Regno Dei, quod Regnum est lucis, & fidelibus, qui sunt filij lucis, conveniunt, quibus pugnandum est contra Principem tenebrarum: tum quia splendent in fidelibus eosque splendentes reddunt coram Deo & Hominibus, ut propter ea Deus in cœlis glorificetur, *Matth.5.16.* quasi dicerentur *arma lucida*, per Hebraism.

β. *Vt induamur Domino* JESV CHRISTO, *&c.* Quocunque demum modo *τὰ ὅπλα τοῦ φωτὸς* accipiamus, sive *arma* sive *vestem* & *habitum*: nullibi poterimus extra CHRISTVM invenire sive

a. *Armaturam.* Ipse solus est *Princeps militiæ* Jehovæ, *Jos.5.14.* *Ἀρχηγὸς, Dux salutis nostra, Heb.2.10.* *Leo ille fortis ex tribu Juda. Apoc 5.5.* Ipse jam bono & loco nostro victoriam reportavit de omnibus Hostibus nostris: & nos quotidie adhuc in illo & ejus virtute sustentati pugnando vincimus, donec plenam tandem victoriam consequamur, & omnes hostes conterantur sub pedibus nostris.

b. *Vestitum.* CHRISTVS est vestis nostra, quâ non solùm propter ipsius satisfactionem pro nostris peccatis, per passiones totius ipsius vitæ usque ad mortem

tem crucis, tegitur turpitudo & nuditas, quæ nobis adhæret à peccato; sed & insuper ornamur & decoramur perfecta ejus sanctitate & justitia, qua sola coram tribunali Dei consistere possumus, & ejus benedictionem impetrare, non secus atque quum Jacob olim, amictus veste primogeniti sui fratris Esavi, benedictionem obtinuit à Patre Isaaco: qui idem nos donat Spiritu suo S. ejusque donis nos locupletat, refingendo nos ad Dei imaginem in vera justitia & sanctitate, *Eph.4.24.* Hinc alibi Apostolus dicit baptizatos per fidem induisse Christum, *Gal.3.27.*

Quomodo verò Christus induendus? Jam aliquo modo id indigitatum. 1. Induimur Christo per *Spiritum S.* quem is mittit in corda nostra, qui vinculum est nostræ cum Christo communionis. *Rom.8.9.1.Joh.3.14.& 4.13.* 2. Induimus nos Christum per *Fidem*, per quā ipse habitat in cordibus nostris, *Eph.3.17.* 3. Hæc fides, si vera sit & viva, conjuncta esse debet cum *sanctimonia*, à qua non magis potest divelli atque calor à splendore Solis. *Act.15.9. Jac.2.14.&c.* Hæc est *vestis* illa *nuptialis*, cujus mentionem Christus fecit in parabola de nuptiis Regiis, *Matth.22.11,12.*

3. *Conversationem honestam.* Ideò vult nos *ambulare* εὐσχημόνως ὡς ἐν ἡμέρᾳ, *v.13.a. honestè*, decenter, compositè.

α. *Ambulare* debemus ad instar eorum, qui surgunt è somno & lecto ad obeunda munia vocationis suæ. Itaq; Paulus non vult vitam nostram esse otiosam, quam consumamus in ignavia & pigritia; sed operosam &, ut sic dicam, peripateticam, quam ad instar Viatorum in hoc seculo transigamus ambulando, in cursu videl. vocationis tum communis, tum cujusque propriæ, nobis à Deo commissæ.

β. *Ambulare* debemus εὐσχημόνως, *tanquam in die.* Qui tenebris gaudent, & lucem horrent, operibus tenebrarum, variis nimirum sceleribus, indulgent, ne conspiciantur & pudefiant coram Hominibus: Nos, qui versamur in luce, in conspectu nimirum Dei, Angelorum, & Ecclesiæ Christianæ, quæ Regnum est lucis, honestè & inculpatè vivere debemus, ut appareat, nos esse filios lucis, incumbendo omnis generis virtutibus, quæ nos Deo & proximo commendabiles reddunt,

inter

inter alia temperantiæ & ſobrietati, pudicitiæ & caſtimoniæ, paci, manſuetudini, beneficentiæ erga proximum,&c.

B. CONFIRMATIO.

Apoſtolus Admonitionis ſuæ rationes & cauſas profert triplices, quas Romanis & ſub ipſorum perſona omnibus fidelibus proponit, ut eos ad vitæ ſanctimoniam & honeſtatem permoveat.

I. In *genere* argumentatur ab *opportunitate*, dicens: *εἰδότες τὸν καιρὸν, ὅτι ὥρα ἤδη, &c. ſcientes opportunitatē, quòd videlicet hora nunc ſit, nos expergiſci à ſomno, &c. v. 11. a.* Μέγα ἐςὶ ἀνάλωμα τὸ χρόνο, dixit quidam Græcorum, Magna eſt temporis & occaſionis jactura, quæ cùm ſit in fronte capillata, arripienda eſt; cùm in occipite propter calvitiem apprehendi non poſſit. Hinc alibi quoque Apoſtolus ad temporis & occaſionis tempeſtivæ obſervationem exhortatur, *1. Cor. 7. 29. Eph. 5. 16.*

II. In *ſpecie* Apoſtolus iſtam opportunitatem demonſtrat ex conſideratione *Status fidelium præteriti, præſentis & futuri.*

1. *Præteritum* indigitat *v. 12. a.* dicens: *Nox proceſſit.* Vult, nos retroſpicere debere, & cogitare, quàm miſer & deploratus fuerit Status ille, in quo Romani ante converſionem vixerant. Eum *Noctis* voce inſinuat, quâ denotat tetram caliginem, ignorantiæ tenebras, ſervitutem horrendam ſub poteſtate tenebrarum, ſub jugo peccati, reatum condemnationis & abjectionis in æternas tenebras. Nunquid recordatio iſtius miſeri ſtatus, in quo omnes irregeniti vivunt, & ex quo fideles ſunt per Chriſtum redempti, impellere nos debet ad priſtinam converſationem abnegandam, deferendam, vitandam, ne de novo in gurgitem nos petulanter conjiciamus prioris miſeriæ, & ultima fiant deteriora primis, ad inſtar eorum, qui ex gurgite aliquo fluminis alicujus extracti, ſeſe iterum in eundem demergunt, cum vitæ certiſſima jactura.
2. *Præſentem* indigitat Apoſtolus *ibid. v. 12. b. Dies advenit:* & poſtea *v. 13. a. Ambulemus tanquam in die.* Digitum intendit in *Statum gratiæ*, in quem fideles per ſuam converſionē ſunt translati: quem *diei* & *luci* comparat, oppoſitè ad præteritum *Noctis* ſtatum. *Simil.* Dies eſt, cum Sol oritur, ſplendore ſuo omnia

omnia illuminat, & calore suo omnia veluti vivificat, vegetat, fœcundat: Talis est *Dies* & *status gratiæ*, in quem irregeniti transferuntur per suam conversionem. Lucet ipsis in eo Sol justitiæ CHRISTVS, qui radios Spiritus sui Sancti in ipsos diffundit, per quem illuminantur in mentibus, convertuntur in cordibus suis, renovantur, novis spiritualibus ipsis suppeditatis viribus, ad omnia bona opera idonei redduntur, & diriguntur in via pietatis, sanctitatis, justitiæ, omniumque virtutum Christianarum.

3. *Futurum* quoque Statum insinuat Apostolus, quum ait: *scimus tempus adesse aut appropinquare, &c.* designare volens venturum *Gloriæ Statum* in ultimo Christi adventu. Addit: *salutem nunc esse propiorem, quàm tunc, cùm credidissent* Romani, id est, credere cœpissent. ita enim puto ista verba accipienda, utì dicam pluribus in *Quæstionibus*. Sic ergo Apostolus, intuitu plenæ patefactionis salutis & redemptionis nostræ, nos ad studium Vitæ piæ, sanctæ, honestæ, inculpatæ, vult cohortari. Meritò. Quadruplex enim hæc consideratio suppeditat argumentum.

α. Quia, *dies* iste *propè est*, & magis magisq; appropinquat: ideò majore cum studio & labore ad eum, veluti ad metam, conniti debemus, exemplo *Cursorum*, & *Viatorum*, qui quò propinquior ipsis est meta & patria, eò majore cum studio & contentione ad eam nituntur.

β. Quia *dies* iste est *dies salutis* & plenæ nostræ redemptionis, ad quam veluti ad portum salutis, nos per studium pietatis & sanctimoniæ plenis velis contendere decet.

γ. Adde, *diem* eundem futurum quoque *diem Judicii*, quo Deus retributurus est unicuiq; secundùm ipsius vel bona vel mala opera, utì suprà dictum, *Rom. 2. 6.* quò etiam pertinet parabola Christi de talentis, *Matth. 25. 14. & seqq.*

δ. Tandem, quia *dies* iste tàm salutis, quàm judicii, eventûs respectu, est quidem certus & inevitabilis, ast temporis, anni, mensis, diei, horæ respectu nobis est incertus. *Eccl. 9. 12.* quò parabolę Christi pertinent, *Matth. 24. 42, &c. & 25. v. 1. & seqq.*

QVÆSTIONES,
ex Cap. XIII. v.7. usque ad fin. Cap.

Quæst. I. An in Lege nihil contineatur præter dilectionem proximi? *Rat. dub.* pro *affirmativa*, quia Paulus *vers.* 8. dicit: *qui diligit alterum, Legem implevit*, quod repetitur postea *v.* 9, 10. pro *negat.* quia Lex, præter dilectionem proximi, in prima tabula requirit dilectionem & cultum Dei, ut liquet ex ipsis Christi verbis, epitomen Legis recitantis, *Matth.* 22. 37——40.

Resp. I. Paulus *Legis* nomine *strictè* intelligit secundam Legis tabulam, quod patet tum ex recitatione præceptorum secundæ Tabulæ, quæ occurrit *v.* 9, tum ex scopo Apostoli, cui directè hoc loco fuit propositum, fideles informare ad mutuam inter se dilectionem; non verò ad cultum Dei & exercitia pietatis.

II. Quod si cui placet dictum Apostoli extendere ad totam Legem, dici potest, *Charitatem esse totius Legis impletionem*: ast 1. non *exclusivè*, ad charitatem erga Deum, sed *inclusivè*, quia dilectio proximi individuo nexu cum dilectione Dei conjuncta est, cùm hæc illius sit effectus, 1. *Joh.* 5. 2. 2. non *intensivè*, sed *ostensivè*, & per consequentiam, quia dilectio proximi est evidens testimonium dilectionis Dei. 1. *Joh.* 4. 20, 21. *Matth.* 19. 18, 19. & 22. 23. *Rat.* quia *pietas*, quæ primâ Tabulâ præcipitur, vel latet abscondita in corde, vel ceremoniis se promit externis, quæ in hypocritis fallũt: opera verò *charitatis* demum veram *pietatem* demonstrant. Hinc passim apud Prophetas non tam *primæ*, quàm *secundæ* Legis Tabulæ officia exiguntur, ut ex illis pietas & observantia primæ Tabulę cognosci possit. *Jes.* 1. 17. & 58. 6. *Jer.* 7. 5, 6. *Ezech.* 18. 7, 8. *Hos.* 6. 6. *Zach.* 7. 9, 10. Idem factitatum à Christo, *Matth.* 7. 12. & proximè citatis locis: & à Paulo alibi, *Col.* 3. 14. *Gal.* 5. 13, 14.

Quæst. II. An Legis impletio Homini sit in hac vita possibilis: hincque Homo ex operibus Legis justificari possit: quod pertendunt Pontificii? *Rat. dubit.* quia Paulus *Legem* dicit *adimpleri per charitatem*, *v.* 8, 9, 10. Hæc autem Homini est possibilis.

Resp. I. Legem non posse ab ullo Homine adimpleri, Paulus supra *Capp.* tribus, 1, 2. & 3. plus satis evicit exemplo tum Gentium tum Judæorum: unde postmodùm conclusit nullum Hominem ex operibus Legis coram Deo justificari posse. *cap.* 3. 8. cùm omnes propter reatum inobedientiæ sint obnoxii condemnationi. *Ibid. v.* 19, 20.

II. Loca quod attinet Apostoli, dicendum, 1. eum *non tradere* (verba sunt Calvini) *quid faciant vel non faciant Homines, sed sub conditione loqui, quam nullibi adimpletam reperias.* Hinc *quum dicimus, non justificari Homines operibus, non negamus, quin Legis observatio vera sit justitia: sed quia nemo eam præstat, neque unquam præstitit, dicimus omnes ab ea excludi, ac proinde unicum esse in Christi gratia asylum.*

2. Distinguendum inter Legis impletionem, quæ fit per charitatem. Alia enim est *perfecta partibus & gradibus*, quam Legis τὸ ἀκριβοδίκαιον requirit: alia *imperfecta*, vel perfecta quidem *partibus*, imperfecta autem *gradibus*. Item, alia perfecta ad tempus tantum, & per intervalla: alia continuo temporis cursu. Iterum alia est Legis impletio, quæ ex nobis & viribus naturæ nostræ proficiscitur: alia ex dono gratiæ Dei. Impletio Legis, quæ fit perfecta non solum partibus sed & gradibus, ac temporis nunquam interrupto cursu, nulli Hominum, neque ex mensura gratiæ, quæ hîc nobis cõtingit, multò minùs ex ullis nostris viribus, possibilis est. Nam de impotentia *Naturæ* jam dictum, cùm omnes naturâ simus peccatores, in peccatis mortui & destituti gloria Dei. *Ephes.* 2. 1, 2, 3. *Rom.* 3, 23. *Gratiæ* verò imperfectionem arguunt quotidiani Sanctorum lapsus

Jac.

*Jac.*3.2. *Eccl.*7.21. *Prov.*20.9. & 24.16. *Psal.*19.13. qua de causa quotidie Deo pro remissione suorum peccatorum supplicare necesse habent. *Matth.*6.12.

3. Hinc porrò patet, neminem Hominum per Legis impletionem & charitatem coram Deo justificari posse. *Rationes* suppeditat Paulus hoc ipso loco. α. quia charitatem dicit (*v.*8.) *debitam* proximo. *Debitum* autem & meritum sunt ἀσύστατα, cùm meritum sit opus indebitum. *Luc.*17.10. β. quia charitatem vult esse commensuratam sive analogam dilectioni nostri ipsius. Quotus autem quisque est, apud quem dilectio proximi pari passu ambulet cum dilectione sui ipsius? γ. Adde, dilectionem proximi fluere ex dilectione Dei, uti demonstratum antea. Jam dilectio Dei est imperfecta, cum cognitio ejus sit imperfecta tantùm, μερικὴ, αἰνιγματικὴ, 1. *Cor.* 13. 12. Quomodo ergo effectus excedet virtutem suæ causæ? δ. charitas non est nostrarum virium, sed gratiæ Divinæ. Necesse est ergo non antecedere sed sequi gratiosam nostram Justificationem & acceptationem coram Deo: imò, uti modò dixi, fluit ex amore Dei erga nos. 4. Tandem, uti impletio Legis, ita charitas in Sanctis, per intervalla temporis, respectu *modi, partium & graduum, Jac.*2.10. *objectorum & effectorum*, sua habet deliquia. Jam notum est dictum Jacobi: *Qui in uno peccat*, vel minimùm cespitat, *reus est totius Legis*, ut nulla hinc sit exspectanda justificatio. Itaque concludo dicto Augustini: *Omnia mandata Dei tunc adimplentur, quando quicquid non fit, ignoscitur.*

Quæst. III. An Lex Dei sit etiamnum tempore Novi Test. in Ecclesia tradenda & urgenda? Ex *v.*8,9,10. *Rat. quær.* propter Antinomos, qui Legis prædicationem in Ecclesia volunt abolitam, eamque ad Curiam tantùm ablegare solent.

Resp. 1. Atqui Apostolus hoc loco expressè Legem urget, non solùm generaliter, sed & specialiter, mentione facta præceptorum secundæ Tabulæ, atque ex iis commendando & præcipiendo Charitatem, tanquam summam & epitomen Legis. 2. Quia Christus ipse, Evangelii licèt præco, à Legis interpretatione & observantiæ ipsius exactione nequaquam abstinuit, quod abundè docet Concio ipsius prolixa in monte, *Mat. Capp.*5,6,7. ut hinc dixerit; *se non venisse ad solvendam sed implendam Legem. Matth.*5.7. 3. Neque Evangelii doctrina absque Legis doctrina potest consistere & locum habere in Ecclesia. *Rationes* sunt seqq.

α. Quia agnitio & fiducia gratiæ Dei in Christo, quam Evangelium requirit per verbum: *Credite*, necessariò prærequirit cognitionem, & sensationem nostræ miseriæ, quæ aliunde haberi non potest, nisi ex Lege *Rom.*3.20. & 7. 7. Hæc necessitas incumbit non solùm irregenitis, & nunc convertendis, sed etiam regenitis & jam conversis, idque propter ipsorum infirmitates, nævos & lapsus quotidianos, de quibus ex speculo Legis identidem admoneri necesse habent.

β. Quia Lex etiamnum in Novo Testamento fidelibus est speculum quotidianum Divinæ voluntatis, & æterna justitiæ regula, secundùm quam vita nostra est conformanda: extra quam nulla alia occurrit, ut propterea vel eà utendum, vel omni regula carendum sit, teste Mose morituro *in Deut.* & Davide, *Psal.*1.2.

γ. Quia Lex porrò Christianis stimulus est & continuus monitor, quo excitentur ad obsequium, atque in eo confirmentur & à peccatis revocentur. necessitatem ejus arguit torpedo carnis nostræ, quæ Legis flagro & calcari, ad instar pigri alicujus asini aut equi urgenda.

Objicit. 1. Christum dicere *Matth.*11.13. *Legem & Prophetas* debuisse tantùm durare *u'q, ad Johannem Baptist.*

Resp. Id dicitur κατά τι, quatenus videlicet Lex & Prophetæ respiciebant primum Christi adventum, quo, quæ in Lege & Prophetis de Christo fuerunt

prædicta, in eo & per eum sunt adimpleta: salvâ interim Legis & Prophetarum doctrinâ, de vitæ, secundùm Legis præscriptum, institutione.

Objicit. II. Paulum dicere, *nos non esse amplius sub Lege, sed sub gratia. Rom.* 6.14.

Resp. Iterum id dicitur κατά τι. Non sumus sub Lege, id est, sub maledictione & jugo Legis, à quo sumus per Christum redempti, *Gal.* 3.13. & 4.4,5. manemus interim sub moderamine & directorio Legis, tanquam perpetuæ, ut dixi, vitæ rectè instituendæ regulæ.

Objicit. III. Atqui Paulus *Legem* vocat *ministerium mortis* & *literam occidentem. 2. Cor.* 3.6.

Resp. 1. respectu irregenitorum, non regenitorum. 2. quatenus Lex consideratur in se, seclusâ gratiâ, quâ adspirante Lex dulcis est & amabilis.

Quæst. IV. An præceptum de Concupiscentia in secunda Legis Tabula unum sit aut duplex? Ex *vers.* 9.

Resp. Movetur hæc *Quæstio* propter Pontificios & Lutheranos, qui, tanquam Patroni imaginum, Præceptum secundum de Imaginibus religiosis non faciendis & colendis, vel prorsùs ex Decalogo expungunt, vel cum primo præcepto confundunt. Hinc ut numerus denarius Legis compleatur, postea præceptum de Concupiscentia in duo concerpunt, ut nonum ipsis fit de non concupiscenda domo proximi; decimum verò de non concupiscenda Vxore, servo, ancilla, &c. proximi.

Atqui Paulus hoc loco recitans præcepta secundæ Legis tabulæ, verba Legis de *Concupiscentia* colligit in unum præceptum: *Non concupisces*, uti etiam suprà *Cap.* 7.7. Ac si secundùm diversitatem objectorum concupiscentiæ, verba illa in totidem præcepta essent discerpenda, jam non decem, sed ultra quindecim haberemus præcepta, nec ordo quoque constare posset præceptorum, cum *Exod.* 20. præceptum de concupiscentia domus præmittatur: *Deut.* 5. verò concupiscentiæ Vxoris proximi postponatur. Veteres penè omnes, uno excepto Augustino, unitatem hujus præcepti agnoverunt. De Judæis id indubium esse potest ex Josepho, *Lib.* 3. *Antiquit. Judaicarum*; & Philone *in Expositione Decalogi*. Inter Christianos Græcos ab hac parte stat Origenes, *Lib.* 3. *super Exodum*. Testatur ibi, quosdam putare, verba de Idolis & Imaginibus esse cum præcedentibus unum mandatum, & dicit: *Si ita putetur, non complebitur decem numerus mandatorum. Homil. VIII. p. m.* 84. Origeni astant Athanasius in *Synopsi Script. lib.* 2. Gregorius Nazianzenus in *Carminib.* Chrysost. *Oper. imperf. in Matth. Homil.* 49. Zonaras, *Tom.* 1. *Histor.* Niceph. *Histor. Ecclesiast.* Inter Latinos occurrunt Hieron. Ambros. Sulpitius Severus, &c.

Augustini, qui *Lib.* 2. *Quæst. super Exod. Quæst.* 7. *Tom. IV. pag. m.* 84. tractantis quæstionem de διαιρέσει 10. præceptorum Legis, & inclinantis tandem in eam sententiam, quòd Tabulæ primæ tria; secundæ septem sint assignanda: ratio admodum imbellis & imbecillis est, quam mutuatur à mysterio S. Sanctæ Trinitatis. *Mihi*, inquit, *videntur congruentius accipi tria illa* (scilicet prioris Tabulæ) *& ista septem* (scilicet secundæ Tabulæ) *quoniam Trinitatem videntur illa, quæ ad Deum pertinent, insinuare diligentius intuentibus*. Sic alibi quoque, *Epist. ad Januar. Cap.* 11. *Tom. II. & Tom. VIII. in Psal.* 32. & *Tom. IX. Lib. de* 10. *Cordis, &c.* Conjectura autem nullius est soliditatis. An primum præceptum de non habendis Diis aliis, adeóque agnoscendo & colendo uno vero Deo, restringendum est ad Personam Patris? An præceptum de non profanando Dei nomine, ad Filii & præceptum de Sanctificatione Sabbati, ad Spiritus S. Personam restringenda?

Quid si Augustino Augustinũ opponamus, qui in *Quæst. Veteris & Novi Testamenti, Quæst.* 7. inter alia, postquam recitasset præcepta primæ Tabulæ: *In secunda*, inquit, *Tabula hæc continentur. Primum verbum est, Honora Patrem tuum & Matrem tuam. Secundum*

cundum, Non occides. Tertium, Non fornicaberis. Quartum, Non furaberis. Quintum, Non falsum testimonium dices. Sextum, Non concupisces quicquam proximi tui. Si Liber iste, ut vult Erasmus, non sit Augustini, sequitur tamen veterum Patrum orthodoxum consensum. Sed & alibi Augustinus, *Tom. VII. Lib. 3. contra duas Epistol. Pelagianorum, Cap. 4. p. m. 899.* sic scribit: *Quis dicat, non debere observare Christianos, ut uni Deo religionis obsequio serviatur, ut Idolum non colatur, ut nomen Domini non accipiatur in vanum, ut Parentes honorentur, ne adulteria, homicidia, furta, falsa testimonia perpetrentur, ne Vxor, ne omninò res ulla concupiscatur aliena?* En parilem nobiscum præceptorum distinctionem!

Objicitur I. Paulum hoc loco *vers. 9.* postquam dixisset: *Non concupisces*; addidisse: *& si quod aliud est praceptum.*

Resp. 1. Noluit his verbis significare, sequi aliud præceptum, illud, quod est de *Concupiscentia*; sed respexit, ut in Analysi dictum, ad præceptum, de honorandis Parentibus, quod primum est in secunda Tabula. 2. Si voluisset distinguere verba de *Concupiscentia*, non usus fuisset voce generali: *Non concupisces*; sed objecta concupiscentiæ distinxisset.

Objicit. II. Deum ipsum distinxisse inter verba de *concupiscentia*, repetitione: *Non concupisces domum: Non concupisces Vxorem proximi tui, &c.*

Resp. Repetitio ista non διαίρεσιν, sed ἐνωσιν præcepti designat, & nullam arguit differentiam nisi objecti *generalis, Domus*; & *specialis*, partium videlicet Domus, uti sunt *Vxor, Servi, Ancillæ, pecudes & bona alia* domestica.

Objicit. III. Nonum & decimum præceptum reapse distingui, cùm nonum agat de Concupiscentia *originali*: decimum autem de Concupiscentia *actuali*.

Resp. Distinctio est commentitia. *Rat.* 1. quia Concupiscentia originalis non tàm prohibetur, quàm damnatur toto Decalogo & in omnibus præceptis, tanquam fomes omnium peccatorum, sicut etiam Justitia originalis, ei opposita, exigitur in tota Lege. 2. Nulla potest afferri solida ratio, cur uno præcepto concupiscentia originalis; altero actualis tantùm prohibeatur: sed certissimum est, quo præcepto actualis concupiscentia prohibetur, eodem quoque sub actuali comprehendi & consignificari originalem, tanquam illius causam; ut distinctio hæc importaret inanem & non necessariam ταυτολογίαν: sicuti etiam in præceptis reliquis sub prohibitione actualium peccatorum v. g. cædis, adulterii, furti, &c. comprehenditur prohibitio omnium causarum, occasionum & irritamentorum. 3. *Exod.* 20. 16. occurrit utrobique verbum *Tachmod*, tùm de Domo, tùm de Vxore & reliquis: quod verbum significat *Concupiscentiam actualem*. 4. Adde, propter interruptum ordinem, *Exod.* 20. & *Deut.* 5. dubium futurum, an 9. an verò 10. præcepto concupiscentia vel actualis vel originalis prohibeatur.

Objicit. IV. Hebræos *Deut. cap. 5. vers. 21.* in medio versu, juxta traditionem antiquam, facere interstitium inter duo concupiscendi præcepta per *Stumah* & *Petuchah*: quæ distinctio in recitatione præcepti primi; & præcepti de Imaginibus, non occurrat.

Resp. *Stumah* & *Petuchah* sunt notæ Masoreticæ, non à Mose traditæ, sed à librariis Hebræorum observatæ, quæ serviunt ornatui tantùm scriptionis (quæ magis in Codicibus m. s. quàm in impressis à Judæis observantur) non distinctioni sententiarum. Videatur de his distinctionibus Clariss. Joh. Buxtorfius, Pater, de *Abbreviaturis Hebraicis lit.* ס״פ. *pag.* 163. &c. ubi vocat inter alia hanc *superstitiosam scribendi rationem*, quæ observetur tantùm in Libro Legis.

Quæst. V. Quid sibi velint verba Apostoli, quum *v.* 11. scribit ad Romanos: *Nunc propiùs nos est salus, quàm cùm credidimus?*

Resp. I. In diversa heic abeunt Interpretes. Quidam sic interpretantur: *Nunc* videl. post Christi & Evangelii patefactionem, *salus nobis propior*, quàm fuerit sub Veteri Testamento. *Siquidem* (verba sunt Erasmi in hunc locum) *in Lege Mosis opinio magis fuit salutis, quàm salus, & umbra potiùs, quàm res. Unde noctem vocat procul adhuc agente Sole, quæ paulatim rarescit, accessu luminis.* Sed diluta mihi videtur hæc interpretatio, præter rem & Apostoli scopum. *Rat.* 1. Quia Apostolus hæc scripsit Romanis, non Judæis: & minimus tunc Romæ numerus fuit fidelium ex Judæis, ut ad hos solos hæc verba pertinere verisimile fieri nequeat. 2. τὸ πιστεύειν, *credere*, Apostolus heic noluit usurpare pro *sperare*. Sic enim dicendum fuisset: *Nunc propiùs est nobis salus, quàm Judæis, qui olim sperarunt salutem*, sc. venturam & exhibendam in Christo. Atqui dicit, *nobis est propiùs salus, quàm cùm credidimus.* 3. Quod Judæi olim opinionem magis habuerint salutis, quàm salutem, delirium est contraveniens sententiæ Apostolorum, *Act.* 15. 11. Nam quòd umbra Veteri Testamento in Scriptura tribuitur, v. g. *Heb.* 10. *v.* 1. (ubi Veteribus σκιὰ, umbra; nobis εἰκὼν tribuitur, per allusionem ad Imaginem aliquam leviter adumbratam, & pleniùs postmodùm expressam,) id primùm non de salute ipsa, cujus Veteres æquè ac nos participes facti sunt; sed de salutis per Verbum umbratili annunciatione & patefactione: deinde de impetratione salutis per meritum actuale, quod demum patefactionem Christi in Novo Testam. subsequutum est; non verò de *applicatione* meriti, quæ jam quoque præcesserat in Vet. Test. intelligendum est. quo sensu Christus *Apoc.* 13. 8. dicitur *Agnus mactatus jam inde à jacto Mundi fundamento.*

II. Longè itaque præferenda est interpretatio eorum, qui verba Apostoli docent, dicta esse Romanis, jam fidelibus, & ad Christi agnitionem per Evangelii prædicationem conversis, ut sensus sit: *Salus nunc nobis* (scil. credentibus) *longè propior est, quàm cùm credidissemus*, id est, credere incepissemus, & per Evangelii prædicationem primùm ad agnitionem Christi, ex Regno tenebrarum in Regnum lucis traducti & conversi fuissemus. Quæ interpretatio scopo Apostoli prorsùs est consentanea. Nam, si Chrysostomum audiamus, Apostolus aliquo modo hâc νουθεσίᾳ obliquè pungere voluit Romanos, eorumque, post acceptum fidei donum, oscitantiam perstringere, quòd scil. in cursu pietatis & sanctimoniæ hactenùs se segniores exhibuissent, & indigitare, quò magis in fide, charitate & studio sanctimoniæ proficerent & augescerent; eò magis se appropinquare ad metam præfixam salutis æternæ atque cœlestis, per allusionem, quod idem Chrysostomus observavit, desumptam à Cursoribus intra carceres, qui quo magis in cursu pergunt & promovent, eò magis appropinquant metæ, ad Βραβεῖον hinc reportandum, ut tanto majore cum contentione & nisu ad eam accelerare debeant.



CAPVT

CAPVT XIV.

TRANSITIO. Hactenus Cap. XII. & XIII. ea Apostolica monita proposuit Paulus, quæ versantur circa res *necessarias*, à Deo expressè præceptas, *Pietatem* videlicet erga Deum, & *Charitatem* erga proximum, uti suprà fuit indicatum, *pag. 7, 8, 410.* Nunc sequuntur alia, quæ versantur circa τὰ ἀδιάφορα, sive res *medias* & *indifferentes*, quæ non nituntur expresso aliquo Dei mandato vel interdicto, sed versantur in arbitrio Libertatis Christianæ, neque nisi in casu abusus, & dehinc scandali, conscientias fidelium obligare possunt.

OCCASIONEM præbuit status illius temporis. Erant enim duum generûm fideles, ex Gentibus & Judæis. *Gentiles* libertatem Christianam in abstinentia ciborum & dierum festorum agnoscebant, urgebant, exercebant. *Judæi*, præsertim infirmiores, offendebantur Gentilium fidelium licentiâ, quasi secum traheret Legis Divinæ contemptum & profanationem. Facilè hinc schisma aliquod inter utrosq; exoriri potuisset, cui Apostolus nunc toto hoc Capite & initio sequent. remedium adhibere studet.

SVMMA. Monet itaque utrosque de officio suo, & indicat, quid tùm firmis, tùm infirmis in fide sit agendum: quo cum moderamine Libertate Christiana sit utendum, ut scilicet omnia fiant secundùm Charitatis regulam.

> Vtilis est ista doctrina ideò, quia apparet, quæ Paulus olim deprehendit, reprehendit & emendavit apud Romanos veteres; hodiè quoque occurrere in Ecclesia Romana nova, in qua Libertatis Christianæ jugulum petitur, Judaismus ex cineribus refoditur, discrimen ciborum, dierum festorum, &c. in scenam reducitur, nugis & ad inventionibus innumeris Humanis conscientiæ gravantur, & quotquot jurare nolunt in novi Jovis Capitolini decreta, anathemate feriuntur.

PARTITIO. Apostolus Romanos fideles docet, quomodo versari debeant in usu τῶν ἀδιαφόρων, ac nominatim *Ciborum* & *Dierum*. Vult abstineri à gemino vitio, I. A' mutua intempestiva condemnatione

tione & contemptu. II. A' scandalo & offensione. Quæ duæ quoq; sunt primariæ hujus Capitis partes, quas Apostolus ita pertractat, ut nunc Gentiles, nunc Judæos, nunc firmos, nunc infirmos in fide officii admoneat.

PARS I. CAPITIS.

EXHORTATIO Apostolica comprehensa est verbis seqq.

Vers.1. *Eum verò, qui fide est infirmus, assumite, non* (tamen) *ad certamina disceptationum.*

Vers.2. *Alius quidem credit, vesci licere quibusvis: alius autem* (fide) *infirmus edit olera.*

Vers.3. *Qui edit non edentem ne pro nihilo habeto, & qui non edit, edentem ne condemnato. Deus enim eum assumpsit.*

Vers.4. *Tu quis es, qui condemnas alienum famulum? proprio Domino perstat aut cadit: stabilietur autem, potest enim Deus eum stabilire.*

Vers.5. *Alius quidem æstimat diem præ die, alius autem* (peræquè) *æstimat quemvis diem. Vnusquisq; in animo suo plenè certioratus esto.*

Vers.6. *Qui curat diem, Domino curat: & qui non curat diem, Domino non curat. Qui edit, Domino edit: & qui non edit, Domino non edit, & gratias agit Deo.*

Vers.7. *Nullus enim nostrûm sibi ipsi vivit, & nullus sibi ipsi moritur.*

Vers.8. *Nam sive vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive igitur vivamus, sive moriamur, Domini sumus.*

Vers.9. *Ad hoc enim Christus & mortuus est, & resurrexit & revixit: ut & mortuis & viventibus dominetur.*

Vers.10. *Tu verò cur condemnas fratrem tuum? aut etiam tu cur pro nihilo habes fratrem tuum? Omnes enim sistemur apud tribunal Christi.*

Verſ.11. *Scriptum eſt enim: Vivo ego, dicit Dominus: certè* Jeſ.45.22,
mihi ſe flectet omne genu & omnis lingua palàm agnoſcet 23.
Deum.

Verſ.12 *Nempe ergò unusquisq; noſtrûm de ſe-ipſo rationem reddet Deo.*

Verſ.13. *Ne ampliùs igitur alii alios judicemus.*

Verba hæc continent Admonitionis Apoſtolicæ

A. PROPOSITIONEM,
eamque tum

I. *Generalem, v.1.* Vbi conſiderandum

1. *Quibus* præceptum Apoſtoli proponatur. Alloquitur eos, qui verſ.1. erant in fide firmi, quales erant Romani, qui non ſolùm in *genere* capita Religionis Chriſtianæ habuerunt explorata; ſed & in *ſpecie* doctrinam de *libertate Chriſtiana* circa res adiaphoras meliùs & certiùs cognoverant, quàm alii, quos vocat infirmos fide, quo nomine non tantùm rudiores in fide Chriſtiana, quales erant Catechumeni, intelligit, ſed inprimis fideles ex Judæis, qui tùm temporis Romæ fidelibus ex Gentibus erant permixti, quod colligere eſt ex *Act.28.24.* & *Rom.16.v.3.* collat.cum *Act.18.2,26.* qui doctrinam de Libertate Chriſtiana non exactè tenebant, ſed nimis tenaciter adhuc hærebant obſervationi Legis ceremonialis, quoad diſcrimen ciborum, dierum & feriarum.

2. *Quid* præcipiatur firmis. Apparet diſſidia inter utrosque fideles ex Gentibus & Romanis exorta. *Gentiles,* qui Libertatem Chriſtianam cognoverant, neque aſſueverant ceremoniis Leviticis, videntur contemptim habuiſſe Judæos, & variis intricatis quæſtionibus & diſputationibus eos tentaſſe & divexaſſe, quaſi Iudaiſmum in Eccleſiam Chriſtianam vellent invehere. *Judæi* è contrario, uti pertinaciter adhuc addicti erant obſervationibus Leviticis, neque cognoverant adhuc, per Chriſtum cultui Levitico finem impoſitum, donec tandem partim revelatione Divina, *Act.10.15.* Petro dubitãti factâ, partim edicto Synodali Apoſtolico, *Act.15.28.* abrogatio legis ceremonialis publicè promulgata fuiſſet: ita admodum offendebantur Gentilium tum abſtinentiâ, tum coccyſmis. quin profanitatis & contemptus Legis ipſos arguebant. Itaque Paulus hoc verſ.1. firmos fide

α. *Θετικῶς* adhortatur, *ut infirmos assumant*, id est, patienter tolerent, amanter informent, & cum spiritu mansuetudinis atque prudentiæ emendare & in viam rectam revocare studio habeant.

β. *Ἀρνητικῶς* dehortatur à *certaminibus disceptationum*, ut caveant, ne quæstionibus non necessariis & intricatis conscientias infirmorum perturbent, & occasionem præbeant schismatibus, vel etiam infirmorum defectioni à fide.

Infirmos postea quoque in speciali admonitione sui admonebit officii, ne videlicet sibi placeant in sua opinione ac superstitione, eâque abutantur ad condemnationem aliorum.

II. *Specialem, v.2.& seqq.* Vbi Apostolus gemino exemplo *τῶν ἀδιαφόρων* proposito, ostendit, quid in eorum usu facto sit opus. Mentionem enim facit

Vers.2. 1. *Discriminis ciborum*, quando *vers.2.* indicat, *alium credere, licere vesci quibusvis*, citra discrimen; *alium* adhuc fide infirmum abstinere à quibusdam, ac nominatim carnibus, & contentum esse *oleribus*, sicque etiam ultra legalem observationem, quod Chrysostomus in hunc locum annotat, jejunio se assuefacere, & in eo quærere suam religionem. Quid ergo heic exigit Paulus?

Vers.3.a,b. α. *Edenti* præcipit, *ne non edentem pro nihilo habeat*, sive, contemnat, irrideat, fugiat, tanquam Hominem infidelem, non Christianum. *v.3.a.*

β. *Nonedenti* præcipit, *ne edentem condemnet*, tanquam Hominem profanum, contemptorem Legis. *v.3.a.*

Vers.5. 2. *Discriminis dierum. v.5.a.* Indicat, *alium discernere dies* & ferias, & *æstimare*, sive religiosè observare, *diem præ die: alium* hoc discrimen negligere, & *peraquè æstimare quemvis diem*, adeóq; sabbatorum, neomeniarum, festorum, &c. nullam habere rationem.

Quid iterùm heic exigit Apostolus? *Vnusquisq;*, inquit, *(v.5.b.) in animo suo πληροφορείσθω: certioratus esto.* Vtrique idem dat mandatum, ut ex fide faciant quod faciunt, nihilque dubitante & hæsitante conscientia faciant, an videlicet Deo sit gratum & acceptum nec'ne. De quo plura monebo in *Quæstionibus.*

B. CON-

B. CONFIRMATIONEM.

Argumentis variis & gravissimis utitur Apostolus ad utrosque in officio continendos, tùm *firmos* in fide, ne infirmos contemnant, à cibis quibusdam abstinentes & dierum observantes: tùm *infirmos*, ne firmos fide, videlicet ciborum & dierum discrimen negligentes, condemnent.

Argumentum I. desumptum est ab *adjuncto Statu* utrorumque tùm

α. *Præsenti*: quia utrique sint servi Dei & membra Christi. *v.3.c. & 4.a. Deus enim eum assumpsit. Tu quis es, qui condemnas alienum famulum?* Ratiocinatio huc redit.

Major. Dei famulum & Christi membrum condemnare non licet. *Propositio* hæc habetur *v.4.a.* cum nemesi: *Tu quis es, &c.*

Ratio. Quia jus judicandi non est penes οἰκόδουλον, sed penes Dominum. Hinc pergit *v.4.b. Proprio Domino stat aut cadit*, adeóq; in ipsius solius potestate versatur, ipsum absolvere aut condemnare.

Minor. Atqui, quem tu edentem condmnas, hic est *Dei famulus, οἰκέτης*, hincque Christi mmebrum, *v.3.c. Deus enim eum assumpsit.* Hinc apparet hoc argumento Apostolum potissimùm premere & constringere voluisse infirmos in fide ex Judæis, qui Gentiles, propter neglectum ciborum, condemnabant.

Conclusio. Ergo hunc condemnare non licet.

β. *Futuro*: quia, qui hodiè rudis est & infirmus, is cras uberiore luce & intelligentiâ potest à Deo donari, ut & ipse firmus consistat. *v.4.b. Stabilietur autem*, scilicet qui, ceu infirmus in fide, labitur per suam ignorantiam & infirmitatem. *Probat* Apostolus ex Dei potentia, *ibid. Potest enim Deus eum stabilire*, id est, majore eum luce sapientiæ & cognitionis perfundere, sicque in statu Christianismi confirmare.

Argument. II desumptum est à *fine*, quem uterque tum negligens, tum observans discrimen ciborum & dierum sibi habet propositum, videl. Dei gloriâ ei exhibendâ per obsequium & gratiarum actionem, *v.6.7.8.9. Qui curat diem & edit, Domino curat & edit, &c.* Syllogismus hic fuerit.

Major. Quicquid fit & non fit Domino & ad ejus gloriam, id non debet imputari ijs, à quibus fit vel non fit, ad eorum condemnationem vel contemptum, cùm omnia fieri debeant ad Dei gloriam, *1. Cor. 10. 31.*

Minor. Atqui uterque, curans diem & non-curans, edens & non-edens, id facit Domino & ad ejus gloriam. Hæc assumtio habetur *vers. 6.*

Conclusio. Ergo neuter alterum condemnare vel contemnere debet.

Minorem propositionem eodem *vers. 6.* Apostolus probat. *Rat. 1.* quia uterque persuasus est in sua conscientia, se, quod agit, agere juxta Domini voluntatem & ad ejus obsequium: v.g. diem curans & non-edens, quia se conformat legi veteri de discrimine servando dierum & ciborum, quam nescit esse abrogatam, sed putat manere in vigore: diem verò non-curans & edens, quia utitur Christiana libertate, & novit, se non ampliùs teneri Lege vetere ceremoniali. *Rat. 2.* quia uterque quod agit, agit cum gratiarũ actione erga Deum: ille quidẽ qui edit & non-curat diem, gratias agendo pro libertate sibi à Deo concessa: non-edens autem & diem curans, quum, abstinens licet à vetitis, Deo tamen gratias agit pro licitis & concessis.

vers. 7. 8. 9. *Majorem* dehinc *proposition.* Apostolus probat *v. 7, 8, 9.* à jure & fine vitæ & mortis nostræ, & quidem ἀντιθετικῶς, sive

1. *Negativè*, quia *nemo sibi vivat & moriatur vers. 7.* Accipio hoc α. *assertivè*, quòd nemo suam vitam, & vivendi dehinc rationem, habeat in sua potestate; cùm nemo sit Dominus sui ipsius, quò pertinet illud *Ier. cap. 10. v. 23. Novi, Jehova, non esse penes Hominem viam ipsius; non esse penes virum ambulantem vel dirigere gressum suum.* β. νυθετικῶς, quòd nemo debeat juxta proprium suum placitum, aut propriæ rationis atque voluntatis dictamen, se in vita & morte componere; sed tantùm juxta Dei voluntatem, per hujus obsequium seu adimpletionem.
2. *Affirmativè*, *vers. 8.* quòd vita & mors nostra sit in solius Dei ac nominatim CHRISTI, unici nostri DOMINI, potestate. Hoc dominium & potestatem Apostolus porrò probat & evincit argumento firmissimo à jure Redemptionis, à Christo peractæ,

ctæ, scil. morte Christi & resurrectione, *vers. 9.* ubi occurrit tum τὸ

α. Ὅτι. *Christus & mortuus est, & resurrexit & revixit. v. 9. a.* quod addit, *revixit*, ideò fit, ut innuatur, Christum per resurrectionem in statum vitæ novæ & incorruptibilis fuisse translatum, (uti supra *cap. 6. 9.*) adeoque æternum ejus esse in nos imperium.

β. Διότι. *Ad hoc, ut & mortuis & viventibus dominaretur, v. 9. b.* Sic indicat, Christum pretio inæstimabili sui sanguinis dominium sibi acquisivisse in nos, uti alibi, *1. Cor. 6. 20. 1. Pet. 1. 18, 19.* per Resurrectionem autem in possessionem istius dominij translatum. *Mortuorum* autem & non tantùm *viventium* meminit, ut insinuet, ne quidem per mortem tolli ejus in nos dominium: adeóq; *Christum morte* (verba sunt Calvini) *& resurrectione sua promeritum esse, ut tam in morte, quàm in vita gloriæ nominis sui serviamus.*

Argumentum principale III. desumptum est à *consequente Eventu, Judicio* videlicet *extremo, v. 10, 11, 12.* Apostolus enim mentione Judicii hujus injectâ, à præposteris judiciis Humanis vult revocare utrosque tùm *firmos* fide, ne infirmos contemnant; tùm *infirmos*, ne firmiores condemnent, sed cogitent utrique, sequuturum olim esse Judicium universale, coram quo omnes sint sistendi, & de se-ipsis rationem reddituri. Hoc Argumentum *Vers. 10, 11, 12.*

α. *Proponitur, v. 10, 12.* per rationes graves desumptas à consideratione

1. Eorum, qui sinistrè *judicantur*, quos nomine *fratrum* denotat: *v. 10. a. Tu verò*, videlicet infirmus in fide, *cur condemnas fratrem tuum*, qui discrimen ciborum & dierum non attendit, sed libertate Christianâ utitur? *Aut etiam tu*, qui firmus es fide, & notitiam habes libertatis Christianæ, *cur pro nihilo habes fratrem tuum*, qui nondum pollet hâc notitiâ, sed in conscientia sua putat, se ex Lege adhuc discrimine illo teneri? Cùm fratres simus non solùm carnales, sed & spirituales, adeóque in Dei Judicio æqualis simus sortis, nullus alteri suo judicio aut præjudicio debet esse molestus.

2. Eorum, qui alios temerè *judicant*, contemnunt aut condemnant. Non decet eos, qui judicandi sunt ipsi, alios judicare & præjudicio suo confodere: hoc enim perinde esset, ac si reorum unus alterum vellet judicare, cùm uterque judicio sit obnoxius. Atqui omnes judicandi sumus, *v.10.b. Sistemur omnes coram tribunali:* & *v.12. Vnusquisq; nostrûm de se-ipso rationem reddet.*

3. *Judicis* CHRISTI solius, *v.10.b. sistemur apud tribunal Christi.* Nostrûm, tanquam judicandorum, non est partes sumere Judicis & potestatem ejus cum sacrilegio invadere. Quis est Judex? CHRISTVS, cui soli uti dominium vitæ & mortis nostræ à Deo traditum est, ita quoq; potestas judicandi. *Joh.5.22. Act.17.31.* Itaque potiùs cum humilitate & submissione animi judicium Christi, tanquam Domini & Judicis nostri exspectandum est, quàm ut contemptim, arroganter aut insolenter alter alterum judicet.

β. *Confirmatur v.10.* ex testimonio Scripturæ, *Jes.45.22,23. Ego sum Deus fortis, & nullus præterea. Per me juravi, prodiit ex ore meo justè verbum, quod non revocabitur; mihi incurvatum iri omne genu, juraturam omnem linguam.* Qua ratione Apostolus hoc oraculum suo scopo accommodet, dicam in *Quæstionibus.* Illud hoc loco est ἀξιομνημόνευτον, quod Apostolus hunc locum interpretando de Christo, evidentissimum & ἀναντίῤῥητον ei perhibeat testimonium Deitatis. 1. Quis enim est, qui heic loquitur? Deus *v.22. Ego sum Deus fortis & nullus præterea,* aut sicut reddit Apostolus: *Vivo ego, dicit Dominus.* 2. Quando loquutus est? Jam tempore Veteris Testamenti ne existimetur demùm per incarnationem existere cœpisse. 3. Cui flectendum est omne genu? *Mihi,* ait, tanquam Judici viventium & mortuorum: cujus honoris nullus ψιλὸς ἄνθρωπος capax est. *Heb.1.13. Phil.2.10.* 4. Cui jurandum est? *Mihi,* ait filius Dei, *jurabit omnis lingua.* Paulus reddit: *Omnis lingua palàm agnoscet* DEVM. Quid clarius pro Divinitate Christi contra Arianos & Samosatenianos proferri posset? Quæ hæretici in contrarium excipiunt, profligata sunt à Clarissimo Pareo *Dub.8. in hoc Caput.*

C. CONCLVSIONEM.

Concludit tandem Apostolus prædictam suam admonitionem,

V.13.a.

v.13.a. Ne amplius igitur alii alios judicemus. Q.D. Cùm tàm firmi quàm infirmi fide ſint ſervi unius Domini Chriſti; cùm infirmi ab eo ſtabiliri poſſint; cùm utriſque Dei gloria per obſequium voluntatis ejus & gratiarum actionem in uſu τῶν ἀδιαφόρων ſit propoſita; cùm deniq; utriſque exſpectandum ſit Judicium extremum Chriſti, cui peræquè omnes ſunt obnoxii: itaq; abſtinendum eſt ab omnibus præpoſteris judiciis, ne videlicet vel firmiores fide alios infirmiores, qui libertatis Chriſtianæ notitiam nondum habent, deſpectui habeant; ne've infirmi firmiores, qui libertate Chriſtiana gaudent & utuntur, tanquam Legis contemptores, condemnent.

QUÆSTIONES
ex *Cap.* XIV. *verſ.* 1——13. *a.*

Quæſt. I. An omnes à fide vera deviantes ſint tolerandi, & nulla ratione coërcendi ac reprimendi, per cenſuras tum Eccleſiaſticas, tum politicas? *Rat. dubit.* ex *v.* 1. quia Apoſtolus vult *fide infirmum aſſumi*, & vitari διακρίσεις διαλογισμῶν.

Reſp. I. Diſtinguendum eſſe inter errantes, 1. Alij errant per ſimplicem *ignorantiam*; alij ex *infirmitate*; alii ignorantiæ conjungunt *malitiam*, quam produnt petulanti veritatis, quam, ſi vellent, cognoſcere poſſent contemptu, vel inſuper quoque eorum, qui præcones ſunt veritatis, perſequutione, quales olim erant Phariſæi & Judæi. *Act.* 7.51. 2. Alij errant contra fundamentum Religionis Chriſtianæ, illudque ſubruere conantur: alii circa fundamentum, hoc interim in ſubſtantialibus ſalvo manente: alii præter fundamentum, in rebus levioribus, ad ſalutem minus pertinentibus: alij tantùm in abuſu τῶν ἀδιαφόρων, rerum mediarum & indifferentium.

Errantes per ſimplicem *ignorantiam* non ſtatim ſunt damnandi, ſed tolerandi & informandi. Similiter errantes ex *infirmitate*, quod Apoſtolus quoque poſtea admonet, *Cap. ſeq.* 15. *v.* 1. Errantes malitioſe, contumaciter, cum ſcandalo & detrimento Eccleſiæ, nequaquā ſunt tolerandi, ſed modis, quibus fieri poteſt, omnibus coercendi & reprimendi, ut ad frugem & mentem ſanam per cenſuram, quà Eccleſiaſticam, quà Politicam, revocari poſſint: quæ ſumma ipſis in hoc exhibebitur charitas.

Iam, qui errores fovent contra fundamentum Religionis, tamdiu, ſi gloria Dei & pax Eccleſiæ permiſerit, tolerari poſſunt, donec redeant ad ſanam mentem: quanquam interim à ſacrorum communione ſint arcendi, & aliorum ſeductione ipſis ſit interdicendum. Et hactenus inter Chriſtianos Iudæi, cæteris, ut ajunt, paribus, tolerari poſſunt, ſi nullis blaſphemiis contra Chriſtum, & pravis aliis molitionibus pacem Eccleſiæ & Reipub. Chriſtianæ turbatum eant. Qui errant circa fundamentum, ita tamen, ut hoc per ipſorum errores maneat nihilominus immotum, habendi ſunt ut Doctores olim inter Corinthios, qui lignum fœnum, ſtipulam, fundamento aureo aut argenteo ſuperædificant. 1. *Cor.* 3.12. & tolerandi eo modo, de quo mox dicam. Qui errant præter aut extra fundamentum in rebus levioribus, vel etiam in doctrina de libertate Chriſtiana, quo ad uſum τῶν ἀδιαφόρων, de his Apoſtolus heic agit principaliter, & indicat, ipſorum conſcientias nequaquam eſſe conſtringendas & perturbandas.

II. Diſtinguendi quoque veniunt gradus, per quos incedendum in hoc negotio. Secundùm diſcrimen errantium in poſitivo, ut ſic dicam, comparativo & ſuperlativo gradu, quoque procedendum eſt diſtinctè. *Ignorantibus* adhibenda prudens medicina.

Infirmis

Quæst. V. Quid sibi velint verba Apostoli, quum *v.* 11. scribit ad Romanos: *Nunc propiùs nos est salus, quàm cùm credidimus?*

Resp. I. In diversa heic abeunt Interpretes. Quidam sic interpretantur: *Nunc* videl. post Christi & Evangelii patefactionem, *salus nobis propior*, quàm fuerit sub Veteri Testamento. *Siquidem* (verba sunt Erasmi in hunc locum) *in Lege Mosis opinio magis fuit salutis, quàm salus, & umbra potiùs, quàm res. Vnde noctem vocat procul adhuc agente Sole, quæ paulatim rarescit, accessu luminis.* Sed diluta mihi videtur hæc interpretatio, præter rem & Apostoli scopum. *Rat.* 1. Quia Apostolus hæc scripsit Romanis, non Judæis: & minimus tunc Romæ numerus fuit fidelium ex Judæis, ut ad hos solos hæc verba pertinere verisimile fieri nequeat. 2. *τὸ πιστεύειν, credere,* Apostolus heic noluit usurpare pro *sperare.* Sic enim dicendum fuisset: *Nunc propiùs est nobis salus, quàm Judæis, qui olim sperarunt salutem,* sc. venturam & exhibendam in Christo. Atqui dicit, *nobis est propiùs salus, quàm cùm credidimus.* 3. Quod Judæi olim opinionem magis habuerint salutis, quàm salutem, deliriũ est contraveniens sententiæ Apostolorum, *Act.* 15. 11. Nam quòd umbra Veteri Testamento in Scriptura tribuitur, v.g. *Heb.* 10. *v.* 1. (ubi Veteribus *σκιά*, umbra; nobis *εἰκὼν* tribuitur, per allusionem ad Imaginem aliquam leviter adumbratam, & pleniùs postmodùm expressam,) id primùm non de salute ipsa, cujus Veteres æquè ac nos participes facti sunt; sed de salutis per Verbum umbratili annunciatione & patefactione: deinde de impetratione salutis per meritum actuale, quod demum patefactionem Christi in Novo Testam. subsequutum est; non verò de *applicatione* meriti, quæ jam quoque præcesserat in Vet. Test. intelligendum est. quo sensu Christus *Apoc.* 13. 8. dicitur *Agnus mactatus jam inde à jacto Mundi fundamento.*

II. Longè itaque præferenda est interpretatio eorum, qui verba Apostoli docent, dicta esse Romanis, jam fidelibus, & ad Christi agnitionem per Evangelii prædicationem conversis, ut sensus sit: *Salus nunc nobis* (scil. credentibus) *longè propior est, quàm cùm credidissemus,* id est, credere incepissemus, & per Evangelii prædicationem primùm ad agnitionem Christi, ex Regno tenebrarum in Regnum lucis traducti & conversi fuissemus. Quæ interpretatio scopo Apostoli prorsùs est consentanea. Nam, si Chrysostomum audiamus, Apostolus aliquo modo hâc [illegible] obliquè pungere voluit Romanos, eorumque, post acceptum fidei donum, oscitantiam perstringere, quòd scil. in cursu pietatis & sanctimoniæ hactenùs se segniores exhibuissent, & indigitare, quò magis in fide, charitate & studio sanctimoniæ proficerent & augescerent; eò magis se appropinquare ad metam præfixam salutis æternæ atque cœlestis, per allusionem, quod idem Chrysostomus observavit, desumptam à Cursoribus intra carceres, qui quo magis in cursu pergunt & promovent, eò magis appropinquant metæ, ad βραβεῖον hinc reportandum, ut tanto majore cum contentione & nisu ad eam accelerare debeant.



CAPVT

CAPVT XIV.

TRANSITIO. Hactenus Cap.XII.& XIII. ea Apostolica monita proposuit Paulus, quæ versantur circa res *necessarias*, à Deo expressè præceptas, *Pietatem* videlicet erga Deum,& *Charitatem* erga proximum, uti suprà fuit indicatum, *pag.7,8,410.* Nunc sequuntur alia, quæ versantur circa τὰ ἀδιάφορα, sive res *medias* & *indifferentes*, quæ non nituntur expresso aliquo Dei mandato vel interdicto, sed versantur in arbitrio Libertatis Christianæ, neque nisi in casu abusus,& dehinc scandali, conscientias fidelium obligare possunt.

OCCASIONEM præbuit status illius temporis. Erant enim duum generũm fideles, ex Gentibus & Judæis. *Gentiles* libertatem Christianam in abstinentia ciborum & dierum festorum agnoscebant, urgebant, exercebant. *Judæi*, præsertim infirmiores, offendebantur Gentilium fidelium licentiâ, quasi secum traheret Legis Divinæ contemptum & profanationem. Facilè hinc schisma aliquod inter utrosq; exoriri potuisset, cui Apostolus nunc toto hoc Capite & initio sequent. remedium adhibere studet.

SVMMA. Monet itaque utrosque de officio suo, & indicat, quid tùm firmis, tùm infirmis in fide sit agendum: quo cum moderamine Libertate Christiana sit utendum, ut scilicet omnia fiant secundùm Charitatis regulam.

Vtilis est ista doctrina ideò, quia apparet, quæ Paulus olim deprehendit, reprehendit & emendavit apud Romanos veteres; hodiè quoque occurrere in Ecclesia Romana nova, in qua Libertatis Christianæ jugulum petitur, Judaismus ex cineribus refoditur, discrimen ciborum, dierum festorum,&c. in scenam reducitur, nugis & ad inventionibus innumeris Humanis conscientiæ gravantur, & quotquot jurare nolunt in novi Jovis Capitolini decreta, anathemate feriuntur.

PARTITIO. Apostolus Romanos fideles docet, quomodo versari debeant in usu τῶν ἀδιαφόρων, ac nominatim *Ciborum* & *Dierum*. Vult abstineri à gemino vitio, I. A mutua intempestiva condemnatione

tione & contemptu. II. A' scandalo & offensione. Quæ duæ quoq; sunt primariæ hujus Capitis partes, quas Apostolus ita pertractat, ut nunc Gentiles, nunc Judæos, nunc firmos, nunc infirmos in fide officii admoneat.

PARS I. CAPITIS.

EXHORTATIO Apostolica comprehensa est verbis seqq.

Vers.1. *Eum verò, qui fide est infirmus, assumite, non* (tamen) *ad certamina disceptationum.*

Vers.2. *Alius quidem credit, vesci licere quibusvis: alius autem* (fide) *infirmus edit olera.*

Vers.3. *Qui edit non edentem ne pro nihilo habeto, & qui non edit, edentem ne condemnato. Deus enim eum assumpsit.*

Vers.4. *Tu quis es, qui condemnas alienum famulum? proprio Domino perstat aut cadit: stabilietur autem, potest enim Deus eum stabilire.*

Vers.5. *Alius quidem æstimat diem præ die, alius autem* (peræquè) *æstimat quemvis diem. Vnusquisq; in animo suo plenè certioratus esto.*

Vers.6. *Qui curat diem, Domino curat: & qui non curat diem, Domino non curat. Qui edit, Domino edit: & qui non edit, Domino non edit, & gratias agit Deo.*

Vers.7. *Nullus enim nostrûm sibi ipsi vivit, & nullus sibi ipsi moritur.*

Vers.8. *Nam sive vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive igitur vivamus, sive moriamur, Domini sumus.*

Vers.9. *Ad hoc enim Christus & mortuus est, & resurrexit & revixit: ut & mortuis & viventibus dominetur.*

Vers.10. *Tu verò cur condemnas fratrem tuum? aut etiam tu cur pro nihilo habes fratrem tuum? Omnes enim sistemur apud tribunal Christi.*

Vers.

Vers.11. *Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus: certè mihi se flectet omne genu & omnis lingua palàm agnoscet Deum.* Jes.45.23, 23.

Vers.12 *Nempe ergò unusquisq; nostrûm de se-ipso rationem reddet Deo.*

Vers.13. *Ne ampliùs igitur alii alios judicemus.*

Verba hæc continent Admonitionis Apostolicæ

A. PROPOSITIONEM,
eamque tum

I. *Generalem, v.1.* Vbi considerandum

1. *Quibus* præceptum Apostoli proponatur. Alloquitur eos, qui erant in fide firmi, quales erant Romani, qui non solùm in *genere* capita Religionis Christianæ habuerunt explorata; sed & in *specie* doctrinam de *libertate Christiana* circa res adiaphoras meliùs & certiùs cognoverant, quàm alii, quos vocat infirmos fide, quo nomine non tantùm rudiores in fide Christiana, quales erant Catechumeni, intelligit, sed inprimis fideles ex Judæis, qui tùm temporis Romæ fidelibus ex Gentibus erant permixti, quod colligere est ex *Act.28.24.* & *Rom.16.v.3.* collat. cum *Act.18.2,26.* qui doctrinam de Libertate Christiana non exactè tenebant, sed nimis tenaciter adhuc hærebant observationi Legis ceremonialis, quoad discrimen ciborum, dierum & feriarum. vers.1.

2. *Quid* præcipiatur firmis. Apparet dissidia inter utrosque fideles ex Gentibus & Romanis exorta. *Gentiles*, qui Libertatem Christianam cognoverant, neque assueverant ceremoniis Leviticis, videntur contemptim habuisse Judæos, & variis intricatis quæstionibus & disputationibus eos tentasse & divexasse, quasi Iudaismum in Ecclesiam Christianam vellent invehere. *Judæi* è contrario, uti pertinaciter adhuc addicti erant observationibus Leviticis, neque cognoverant adhuc, per Christum cultui Levitico finem impositum, donec tandem partim revelatione Divina, *Act.10.15.* Petro dubitâti factâ, partim edicto Synodali Apostolico, *Act.15.28.* abrogatio legis ceremonialis publ[illegible]è promulgata fuisset: ita admodum offendebantur Gentilium tum ab[illegible]in[illegible]ntiâ, tum coccysmis. quin profanitatis & contemptus Legis ipsos arguebant. Itaque Paulus hoc vers.1. firmos fide

α. Θετικῶς adhortatur, *ut infirmos assumant*, id est, patiẽter tolerent, amanter informent, & cum spiritu mansuetudinis atque prudentiæ emendare & in viam rectam revocare studio habeant.

β. Ἀρνητικῶς dehortatur à *certaminibus disceptationum*, ut caveant, ne quæstionibus non necessariis & intricatis conscientias infirmorum perturbent, & occasionem præbeant schismatibus, vel etiam infirmorum defectioni à fide.

Infirmos postea quoque in speciali admonitione sui admonebit officii, ne videlicet sibi placeant in sua opinione ac superstitione, eâque abutantur ad condemnationem aliorum.

II. *Specialem, v.2. & seqq.* Vbi Apostolus gemino exemplo τῶν ἀδιαφόρων proposito, ostendit, quid in eorum usu facto sit opus. Mentionem enim facit

Vers.2. 1. *Discriminis ciborum*, quando *vers.2.* indicat, *alium credere, licere vesci quibusvis*, citra discrimen; *alium* adhuc fide infirmum abstinere à quibusdam, ac nominatim carnibus, & contentum esse *oleribus*, sicque etiam ultra legalem observationem, quod Chrysostomus in hunc locum annotat, jejunio se assuefacere, & in eo quærere suam religionem. Quid ergo heic exigit Paulus?

Vers.3.a.b. α. *Edenti* præcipit, *ne non edentem pro nihilo habeat*, sive, contemnat, irrideat, fugiat, tanquam Hominem infidelem, non Christianum. *v.3.a.*

β. *Nonedenti* præcipit, *ne edentem condemnet*, tanquam Hominem profanum, contemptorem Legis. *v.3.a.*

Vers.5. 2. *Discriminis dierum. v.5.a.* Indicat, *alium discernere dies* & ferias, & *æstimare*, sive religiosè observare, *diem præ die: alium* hoc discrimen negligere, & *peræquè æstimare quemvis diem*, adeóq; sabbatorum, neomeniarum, festorum, &c. nullam habere rationem.

Quid iterùm heic exigit Apostolus? *Vnusquisq;*, inquit, *(v.5.b.) in animo suo πληροφορείσθω: certioratus esto.* Vtrique idem dat mandatum, ut ex fide faciant quod faciunt, nihilque dubitante & hæsitante conscientia faciant, an videlicet Deo sit gratum & acceptum nec'ne. De quo plura monebo in *Quæstionibus*.

B. CONFIRMATIONEM.

Argumentis variis & gravissimis utitur Apostolus ad utrosque in officio continendos, tùm *firmos* in fide, ne infirmos contemnant, à cibis quibusdam abstinentes & dierum observantes: tùm *infirmos*, ne firmos fide, videlicet ciborum & dierum discrimen negligentes, condemnent.

Argumentum I. desumptum est ab *adjuncto Statu* utrorumque tùm

α. *Præsenti*: quia utrique sint servi Dei & membra Christi. *v.3.c. & 4.a. Deus enim eum assumpsit. Tu quis es, qui condemnas alienum famulum?* Ratiocinatio huc redit.

Major. Dei famulum & Christi membrum condemnare non licet. *Propositio* hæc habetur *v.4.a.* cum nemesi: *Tu quis es, &c.*

Ratio. Quia jus judicandi non est penes σύνδουλον, sed penes Dominum. Hinc pergit *v.4.b. Proprio Domino stat aut cadit*, adeóq; in ipsius solius potestate versatur, ipsum absolvere aut condemnare.

Minor. Atqui, quem tu edentem condmnas, hic est *Dei famulus, οἰκέτης*, hincque Christi mmebrum, *v.3.c. Deus enim eum assumpsit.* Hinc apparet hoc argumento Apostolum potissimùm premere & constringere voluisse infirmos in fide ex Judæis, qui Gentiles, propter neglectum ciborum, condemnabant.

Conclusio. Ergo hunc condemnare non licet.

β. *Futuro*: quia, qui hodiè rudis est & infirmus, is cras uberiore luce & intelligentiâ potest à Deo donari, ut & ipse firmus consistat. *v.4.b. Stabilietur autem*, scilicet qui, ceu infirmus in fide, labitur per suam ignorantiam & infirmitatem. *Probat* Apostolus ex Dei potentia, *ibid. Potest enim Deus eum stabilire*, id est, majore cum luce sapientiæ & cognitionis perfundere, sicque in statu Christianismi confirmare.

Argument. II desumptum est à *fine*, quem uterque tum negligens, tum observans discrimen ciborum & dierum sibi habet propositum, videl. Dei gloriâ ei exhibendâ per obsequium & gratiarum actionem, *v.6.7.8.9. Qui curat diem & edit, Domino curat & edit, &c.* Syllogismus hic fuerit.

Major. Quicquid fit & non fit Domino & ad ejus gloriam, id non debet imputari ijs, à quibus fit vel non fit, ad eorum condemnationem vel contemptum, cùm omnia fieri debeant ad Dei gloriam, *1.Cor.10.31.*

Minor. Atqui uterque, curans diem & non-curans, edens & non-edens, id facit Domino & ad ejus gloriam. Hæc assumtio habetur *vers.6.*

Conclusio. Ergo neuter alterum condemnare vel contemnere debet.

Minorem propositionem eodem *vers.6.* Apostolus probat. *Rat.1.* quia uterque persuasus est in sua conscientia, se, quod agit, agere juxta Domini voluntatem & ad ejus obsequium: v.g. diem curans & non-edens, quia se conformat legi veteri de discrimine servando dierum & ciborum, quam nescit esse abrogatam, sed putat manere in vigore: diem verò non-curans & edens, quia utitur Christiana libertate, & novit, se non ampliùs teneri Lege vetere ceremoniali. *Rat.2.* quia uterque quod agit, agit cum gratiarũ actione erga Deum: ille quidẽ qui edit & non-curat diem, gratias agendo pro libertate sibi à Deo concessa: non-edens autem & diem curans, quum, abstinens licet à vetitis, Deo tamen gratias agit pro licitis & concessis.

vers.7.8,9. *Majorem* dehinc *proposition.* Apostolus probat *v.7,8,9.* à jure & fine vitæ & mortis nostræ, & quidem ἀντιθετικῶς, sive

1. *Negativè*, quia *nemo sibi vivat & moriatur vers.7.* Accipio hoc *α. assertivè*, quòd nemo suam vitam, & vivendi dehinc rationem, habeat in sua potestate; cùm nemo sit Dominus sui ipsius, quò pertinet illud *Ier.cap.10.v.23. Novi, Jehova, non esse penes Hominem viam ipsius; non esse penes virum ambulantem vel dirigere gressum suum.* *β.* νοθετικῶς, quòd nemo debeat juxta proprium suum placitum, aut propriæ rationis atque voluntatis dictamen, se in vita & morte componere; sed tantùm juxta Dei voluntatem, per hujus obsequium seu adimpletionem.

2. *Affirmativè*, *vers.8.* quòd vita & mors nostra sit in solius Dei ac nominatim CHRISTI, unici nostri DOMINI, potestate. Hoc dominium & potestatem Apostolus porrò probat & evincit argumento firmissimo à jure Redemptionis, à Christo peractæ,

ctæ, ſcil. morte Chriſti & reſurrectione, *verſ.9.* ubi occurrit tum τὸ

α. Ὅτι. *Chriſtus & mortuus eſt, & reſurrexit & revixit.v.9.a.* quod addit, *revixit*, ideò fit, ut innuatur, Chriſtum per reſurrectionem in ſtatum vitæ novæ & incorruptibilis fuiſſe translatum, (uti ſupra *cap.6.9.*) adeoque æternum ejus eſſe in nos imperium.

β. Διότι. *Ad hoc, ut & mortuis & viventibus dominaretur, v.9.b.* Sic indicat, Chriſtum pretio inæſtimabili ſui ſanguinis dominium ſibi acquiſiviſſe in nos, uti alibi, *1.Cor.6. 20. 1.Pet.1.18,19.* per Reſurrectionem autem in poſſeſſionem iſtius dominij translatum. *Mortuorum* autem & non tantùm *viventium* meminit, ut inſinuet, ne quidem per mortem tolli ejus in nos dominium: adeóq; *Chriſtum morte* (verba ſunt Calvini) *& reſurrectione ſua promeritum eſſe, ut tam in morte, quàm in vita gloriæ nominis ſui ſerviamus.*

Argumentum principale III. deſumptum eſt à *conſequente Eventu, Judicio* videlicet *extremo, v.10,11,12.* Apoſtolus enim mentione Judicii hujus injectâ, à præpoſteris judiciis Humanis vult revocare utroſque tùm *firmos* fide, ne infirmos contemnant; tùm *infirmos*, ne firmiores condemnent, ſed cogitent utrique, ſequuturum olim eſſe Judicium univerſale, coram quo omnes ſint ſiſtendi, & de ſe-ipſis rationem reddituri. Hoc Argumentum *Verſ.10, 11,12.*

α. *Proponitur, v.10,12.* per rationes graves deſumptas à conſideratione

1. Eorum, qui ſiniſtrè *judicantur*, quos nomine *fratrum* denotat: *v.10.a. Tu verò*, videlicet infirmus in fide, *cur condemnas fratrem tuum*, qui diſcrimen ciborum & dierum non attendit, ſed libertate Chriſtianâ utitur? *Aut etiam tu*, qui firmus es fide, & notitiam habes libertatis Chriſtianæ, *cur pro nihilo habes fratrem tuum*, qui nondum pollet hâc notitiâ, ſed in conſcientia ſua putat, ſe ex Lege adhuc diſcrimine illo teneri? Cùm fratres ſimus non ſolùm carnales, ſed & ſpirituales, adeóque in Dei Judicio æqualis ſimus ſortis, nullus alteri ſuo judicio aut præjudicio debet eſſe moleſtus.

v.13.a. Ne amplius igitur alii alios judicemus. Q. D. Cùm tàm firmi quàm infirmi fide sint servi unius Domini Christi; cùm infirmi ab eo stabiliri possint; cùm utrisque Dei gloria per obsequium voluntatis ejus & gratiarum actionem in usu τῶν ἀδιαφόρων sit proposita; cùm deniq; utrisque exspectandum sit Judicium extremum Christi, cui peræquè omnes sunt obnoxii: itaq; abstinendum est ab omnibus præposteris judiciis, ne videlicet vel firmiores fide alios infirmiores, qui libertatis Christianæ notitiam nondum habent, despectui habeant; ne've infirmi firmiores, qui libertate Christiana gaudent & utuntur, tanquam Legis contemptores, condemnent.

QUÆSTIONES
ex *Cap.* XIV. *vers.* 1——13. *a.*

Quæst. I. An omnes à fide vera deviantes sint tolerandi, & nulla ratione coërcendi ac reprimendi, per censuras tum Ecclesiasticas, tum politicas? *Rat. dubit.* ex *v.* 1. quia Apostolus vult *fide infirmum assumi*, & vitari διακρίσεις διαλογισμῶν.

Resp. I. Distinguendum esse inter errantes. 1. Alij errant per simplicem *ignorantiam*; alij ex *infirmitate*; alii ignorantiæ conjungunt *malitiam*, quam produnt petulanti veritatis, quam, si vellent, cognoscere possent contemptu, vel insuper quoque eorum, qui præcones sunt veritatis, persequutione, quales olim erant Pharisæi & Judæi. *Act.* 7. 51. 2. Alij errant contra fundamentum Religionis Christianæ, illudque subruere conantur: alii circa fundamentum, hoc interim in substantialibus salvo manente: alii præter fundamentum, in rebus levioribus, ad salutem minus pertinentibus: alij tantùm in abusu τῶν ἀδιαφόρων, rerum mediarum & indifferentium.

Errantes per simplicem *ignorantiam* non statim sunt damnandi, sed tolerandi & informandi. Similiter errantes ex *infirmitate*, quod Apostolus quoque postea admonet, *Cap. seq.* 15. *v.* 1. Errantes malitiose, contumaciter, cum scandalo & detrimento Ecclesiæ, nequaquā sunt tolerandi, sed modis, quibus fieri potest, omnibus coërcendi & reprimendi, ut ad frugem & mentem sanam per censuram, quà Ecclesiasticam, quà Politicam, revocari possint: quæ summa ipsis in hoc exhibebitur charitas.

Iam, qui errores fovent contra fundamentum Religionis, tamdiu, si gloria Dei & pax Ecclesiæ permiserit, tolerari possunt, donec redeant ad sanam mentem: quanquam interim à sacrorum communione sint arcendi, & aliorum seductione ipsis sit interdicendum. Et hactenus inter Christianos Iudæi, cœteris, ut ajunt, paribus, tolerari possunt, si nullis blasphemiis contra Christum, & pravis aliis molitionibus, pacem Ecclesiæ & Reipub. Christianæ turbaturi eant. Qui errant circa fundamentum, ita ta nen, ut hoc per ipsorum errores maneat nihilominùs immotum, habendi sunt ut Doctores olim inter Corinthios, qui lignum fœnum, stipulam, fundamento aureo aut argenteo superædificant. 1. *Cor.* 3. 12. & tolerandi eo modo, de quo mox dicam. Qui errant præter aut extra fundamentum in rebus levioribus, vel etiam in doctrina de libertate Christiana, quo ad usum τῶν ἀδιαφόρων, de his Apostolus heic agit principaliter, & indicat, ipsorum conscientias nequaquam esse constringendas & perturbandas.

II. Distinguendi quoque veniunt gradus, per quos incedendum in hoc negotio. Secundùm discrimen errantium in positivo, ut sic dicam, comparativo & superlativo gradu, quoque procedendum est distinctè. *Ignorantibus* adhibenda prudens medicina.

Infirmis

Resp. Ita est. Sed Romana Ecclesia non est Ecclesia Catholica, verùm hujus pars apostatica, diuturnâ eâq. lethali tabe infecta, à cujus contagione Ecclesiis aliis particularibus cavendum.

II. LUTHERANOS quod attinet, distinguo inter Auditores & Doctores. illorum aures plerumque sunt longe puriores, quàm horum labia. Distinguo item inter Doctores moderatos pacificos, & immoderatos sive *Lutheromanitas*, qui Magistrum suum in nulla re magis imitantur, quàm in intemperie affectuum & spermologia dicteriorum: itemque inter eos, qui zelo feruntur οὐ κατ' ἐπίγνωσιν, inconsiderato & immodico: & eos, qui nobis maledicunt contra conscientiam ex cacoëthe, mero odio, & calumniandi libidine. Quot sunt inter eos, qui digladiantur cum Calvinistis, tanquam cum umbris in proprio suo cerebro natis, quales nunquam fuerunt in rerum natura? Quot sunt, qui debacchantur in Calvinum, Zwinglium & alios nostratium, quorum scripta ne primis quidem labris degustarunt? qui buccas ex Magistellorum suorum, à quorum nutu, dictamine & pravo exemplo dependent, inflatas atque distentas habent omnis generis calumniis, sycophantiis, coccismis, anathematismis? Quanquam autem talium intemperies neque excusanda neque ferenda sit, tamen propterea non omnis Christiana pax eis est renuncianda: quin potius mansuetudine & charitatis officiis, quantum fieri potest, emolliendi sunt, precibus ad Deum fusis pro eorum illuminatione & emendatione. Pœnitere verò nescii, quibus cauteriata est conscientia, quorum multos, Pharisæorum more, *Matth.* 12.24,31,32. *Joh.* 8.48. in Spiritum S. peccare indubium est, judicio Dei sunt relinquendi.

III. ANABAPTISTÆ, qui in innumeras se sectas diffundunt, minore prorsùs sunt loco habendi, inprimis, qui contempto Dei Verbo, ejusque publico Ministerio, totos se enthusiasmo mancipant. Nam quia hi non solùm ab Ecclesiis nostris se separant, sed easdem anathemate feriunt, imò loco Spiritus S. nobis in Verbo loquentis, malunt Diabolo, in ipsorum mentibus se in Angelum lucis transformanti, aures præbere & fidem adhibere, nulla nobis cum ipsis pax constare potest: quanquam precibus quoque nostris apud Deum instandū sit, ut miserrimum hoc Hominum genus è fascino & laqueis Satanæ magis magisque eripere velit. Sed hæc obiter.

Quæst. III. Cur Apostolus *vers.* 2. *& seqq.* discrimen ciborum & dierum referat inter adiaphora seu res medias & indifferentes? *Rat. dubit.* quia alibi hoc discrimen reprehendit in Galatis, *Gal.* 4.10. & *Coloß.* 2.16,17. id refert inter umbras legales, quæ post Christi adventum evanuerint, imò *v.* 23. dicit, *nullius* ampliùs *esse pretii.*

Resp. 1. Distinguenda veniunt tempora. Tempus fuit ἀδιαφορίας ciborum & dierum, antequam videl. cultus ceremonialis fuisset per Synodicum Apostolorum decretum, *Act.* 15. & vastationem Urbis ac Templi Hierosolymitani plenè abrogatus ac veluti sepultus: quo temporis interstitio Judæi poterant propomodò discrimen ciborum & feriarum observare. At post prædictam sepulturam id ampliùs non licuit, ne Judaismus reveheretur in Ecclesiam Christianam cum obscuratione gratiæ Christi, & libertatis Christianæ ab ipso partæ, per ejusdem passionem ac mortem, jacturâ. 2. Discrimen ciborum atque dierum potest considerari vel cum vel absque adjuncta necessitate observationis: item cum vel absque adjuncto infirmorum scandalo. Si urgeatur hoc discrimen tanquam observatu necessariū, meritò rejicitur, tanquam per Christum jam abrogatum, eâque de causa Apostolus illud in *Epistol. ad Galat. & Coloß.* rejecit, propter Pseudo-Apostolos, qui illud tanquam necessarium obtrudebant, & Judaismum cum Christianismo permiscebant, insuperque Circumcisionem urgebant. Iterum, si attendatur scandalum, quod discriminis hujus neglectus apud infirmos olim pepererat,

hoc respectu non potest dici ἀδιάφορον, cum abusus rerum per se indifferentium, cum scandalo infirmorum conjunctus, malus sit, tanquam charitati contrarius, quod Paulus deinceps hoc Capite persequetur, & pluribus 1. *Cor.* 9. 19. *&c.* demonstravit, idque proprio suo exemplo, *qui omnibus omnia factus*, *ut quosvis posset servare* & lucrifacere. Hinc etiam, ut declinaret offensam Judæorum, Timotheum comitem sui itineris circumcidit, nempe ante plenariam abrogationem & sepulturam cultus Levitici. *Act.* 16. 3.

Object. Ergo hodie quoque discrimen dierum & ciborum, quod tenet Ecclesia Romana, nobis observandum, ne infirmis in ea simus scandalo?

Resp. 1. Si observatio hujus discriminis posset fieri absque superstitione aut illius contagione, vel etiam cum lucro animarum, utique esset tolerabilis. 2. Sed longe aliter se res habet. Nam discrimen hoc ἀγράφως in Papatu præcipitur & observatur tanquam pars necessaria cultus divini, cum obligatione & captivatione conscientiæ, contra libertatem à Christo partam: statuitur esse gratiæ Dei & salutis meritorium, cum diminutione unici meriti Christi. Hinc, qui in gratiam Papistarum hodie tale discrimen observare vellet, absque lucro & ædificatione eorum id præstaret; sed potius suam conscientiam læderet, & superstitiosos Homines in suis erroribus & ἐθελοθρησκείᾳ confirmaret, alios verò orthodoxos plurimùm offenderet. qua de causa etiam Paulus Petrum Antiochiæ palàm reprehendit, quòd in gratiam Judæorum, cum magno fidelium ex Gentibus scandalo, abstineret à cibis Gentilium, & hos suo exemplo velut *Judaizare cogeret*, *Gal.* 2. 12, 13, 14. neq; ipse in Judæorum, à falsis fratribus seductorum, gratiam Titum circumcidere voluit. *Ibid.* v. 3.

Quæst. IV. An omne de Hominum factis vel dictis judicium prohibitum sit? *Rat. dubit.* quia Paulus v. 4. propterea nolit judicari alienum famulum, *quòd suo Domino stet & cadat*: & quòd peræquè omnes olim simus judicandi à solo Judice, CHRISTO DOMINO, v. 10, 13.

Resp. 1. Paulus non simpliciter prohibet omne de fratribus judicium, sed tantùm temerarium, cum contemptu aut damnatione eorum conjunctum. Neque enim judicium *Ecclesiasticum* aut *Politicum* vult abolere, imò nequidem judicium ἐπανορθωτικὸν seu reprehensorium, quo quisque potest atque debet proximum suum in viam rectam revocare. *Matth.* 18. 15. 2. Loquitur Apostolus non tam de eo judicio, quod fit de *re*, quàm quod fit de *persona*, ut idem dicere videatur, quod Christus *Matth.* 7. 1. *& seqq.* 3. Adde, eum heic potissimùm loqui de eo judicio, quo frater aliquis judicatur circa usum rerum indifferentium.

Quæst. V. An omne dierum itemque ciborum discrimen nunc in Novo Testamen. pro ἀδιαφόρῳ seu indifferente sit habendum? *Rat. dubit.* 1. quia tenemur adhuc observantiâ præcepti 4. Decalogi, de sanctificatione Sabbati. 2. quia in Christianis etiam Reformatis Ecclesiis, Festis solennibus. v. g. Nativitatis Christi, Paschatis, Pentecostes, &c. locus est. 3. quia in Synodo Hierosolymitana non tota lex ceremonialis fuit abrogata, sed interdictum de abstinentia à sanguine & suffocato fuit continuatum. *Act.* 15. 29.

Resp. I. Indifferens aliquid potest haberi respectu *rei* ipsius, in se consideratæ: ast non respectu *circumstantiarum*, personarum, loci, temporis, modi, quo posteriore respectu potest res per se indifferens propter circumstantialem & accidentalem abusum

eo

fieri mala & damnabilis, v.g. neglectus discriminis ciborum & dierum: quod Apostolus hoc Capite monet. II. Quod dubia in specie attinet, respondetur

Ad *primum*, in præcepto 4. Decalogi *τὸ morale*, de tempore aliquo stato observando ad Dei cultum esse observandum & obligatorium: à *ceremoniali* autem & præcisa observatione diei septimæ in Septimana, quæ, tanquam ceremonialis & typica, pertinuit tantum ad Vetus Testamentum, nunc nos esse liberatos. Ac quanquam in locum Sabbati Judaici nunc transierit dies Dominica, quæ prima est, in memoriam Resurrectionis Domini, tamen neque ad illam adeò præcisè astrictæ sunt Ecclesiæ, ut, si pro libertate ἐθελοθρησκείᾳ Ecclesiæ alicui alium aliquem diem aut tempus, cultui divino assignare, ex gravibus causis, placeret; ea confestim esset anathemate ferienda, qualiter legimus furiosum Victorem Pont. Rom olim Constantinopolit. Episcopū in futili Controversia quarto-decimana anathematisasse.

Ad *secundum* dico, festa Christiana (non de Papanis loquor, sed de ijs, quæ etiamnum retinentur in Ecclesiis, quæ secessionem à Papatu fecerunt) neque institui, neque observari debere, tanquam à Deo, Christo aut Apostolis præcepta cum obligatione conscientiæ: sed tantùm, quatenùs ea, tanquam adminicula serviunt disciplinæ, decoro, ordini, paci, &, ut uno verbo comprehendam τῇ εὐταξίᾳ Ecclesiæ. Sicut enim in Reipubl. administratione ad pacem & salutem populi opus est Legibus: ita quoque in Ecclesiæ gubernatione. Hinc possunt certa tempora, dies, horæ, ad exercitia cultus Dei & pietatis constitui: ast non ad captivandam libertatem conscientiarum, cum prætextu necessitatis absolutæ, & tyrannica condemnatione prævaricantium: sed ad pacem Ecclesiæ, & ordinem in ea conservandum; adeòq; nō ad destructionem animarum, per conscientiæ captivationem, sed potius ad earum conservationem. Itaque dico, non solùm præpostere sed & temerè eos agere, qui Ecclesias illas, quæ non iisdem cum ipsis ceremoniis externis in Cultu Dei utuntur, & easdem ad suarum ceremoniarum conformitatem adigere nituntur, statim suis præjudiciis adobruunt, quasi videlicet in externis ceremoniis prora & puppis versaretur Religionis Christianæ, aut quasi in talibus ulla Ecclesia particularis alteri posset aliquid suo dictamine præscribere: & quasi incognitum esset, veterem quoque Ecclesiam Christianam in Asia, Africa, Europa, nunquam παναρμονίαν aut conformitatem omnium ceremoniarum tenuisse.

Ad *tertium* dico, interdictum de non edendo sanguine & suffocato fuisse temporarium, quod serviebat eò tantùm, ne Judæi inter Gentes dispersi, hærentes adhuc Legi, & libertatis Christianæ ignari, offenderentur: sed, juxta monitum Apostoli hoc in loco, aliquid ipsorum infirmitati condonaretur, exemplo ejusdem Apost. 1. *Cor*. 9. Hinc, offendiculo hoc postmodùm sublato, exspiravit quoque hoc interdictum.

Quæst. VI. Cur Paulus *vers*. 5. πληροφορίαν requirat non solùm à firmis in fide, discrimen dierum non curantibus, quibus videlicet Libertas Christiana cognita est: sed etiam ab infirmis, discrimen dierum observantibus? *Rat. dubit*. Quia infirmitas horum, imò error; & πληροφορία videntur esse ἀσύστατα.

Resp. Paulus πληροφορίαν ab utrisque exigens non tàm respicit certitudinem *rei aut objecti*, quàm certitudinem *personæ* aut *subjecti*, significare volens, neminem horum aliquid agere debere dubiâ, hæsitante aut trepidante conscientiâ: sed quemque apud se persuasum esse debere, quod dies vel non curando vel curando, id agat secundùm

Dei voluntatem, hincque nihil cupiat omittere vel agere contra suam conscientiam. v.gr. ne, qui Libertatem Christianam nondum habet exploratam, sed Lege discriminis dierum se teneri arbitratur, contra conscientiam suam discrimen hoc intermittat.

Quæst. VII. At, cùm conscientia præsupponat scientiam, error autem, qui est fallacis opinionis, non possit cum scientia, quæ est veritatis, consistere; qua ratione errans potest excusari, imò dici, (quod *vers.6.* asseveratur) utrumque diem curantem & non curantem, edentem & non edentem, Domino id agere, & ad ejus gloriam? *Rat. dubit.* Quia ex.gr. diem curans & edens versatur in superstitioso errore, quo Deus honorari non potest.

Resp. Fallacia est à dicto secundùm quid. Honoratur Deus non simpliciter per discrimen superstitiosum dierum & ciborum; sed tantùm eatenùs, quatenùs infirmus in fide, nondum scil. libertatis Christianæ gnarus, discrimen hoc observat ex reverētia Legis, nec vult lædere suam conscientiam. *Distinguere ergo* (verba sunt Calvini) *necesse est inter opinionem, quam de observandis diebus quis concepit, & observationem ipsam, cui se astringit. Opinio enim superstitiosa est, neq; id negat Paulus, qui & jam infirmitatis nomine eam damnavit, & statim apertiùs damnabit. Quòd autem is, qui tenetur ea superstitione, violare diei solennitatem non audet, illud approbatur Deo: propterea, quòd nihil audet dubiâ conscientiâ suscipere.*

Quæst. VIII. An vita nostra & mors in solius Dei potestate versetur? Ex *vers.7,8. Rat. dubit.* 1. Quia Paulus *cap. præced.* Magistratui politico gladium tributum dixit. 2. Quia innumeri Homines pereunt alienâ, imò non rarò per αὐτοχειρίαν propriâ suâ manu, vel per infortunium aliud.

Resp. 1. Causæ omnes secundæ vitæ & mortis nostræ pendent originaliter à Deo, ceu causa prima per modum vel effectionis, vel permissionis, gubernationis & directionis. 2. Potestas gladii Magistratui concessa est potestas ipsa Dei, cujus Magistratus utì nomen, ita vicariam gerit potestatem. 3. Paulus in loco præsenti loquitur de *jure*, non de *facto*. *Facti* respectu, contingunt innumeræ cædes humanæ, & αὐτοχειρία. *Juris* respectu nemini vel in alium vel in se-ipsum competit potestas vitæ & necis, sed soli Deo & Christo Domino nostro, jure tùm creationis, tùm redemptionis.

Quæst. IX. An Mors Christi & Redemptio pertineat ad omnes & singulos Homines? *Rat. dubit.* Quia Apostolus *vers.9.* dominium Christi universale, in mortuos & viventes, tanquam effectum, arguit ex Christi pro eis morte, tanquam causâ.

Resp. Apostolus agit hoc loco de fidelibus, quos distinxerat in firmos & infirmos, & indicare vult (verba sunt Hunnii in hunc locum) *cur in vita simul & morte fideles à complexu Domini avelli non possint, quia Christus ob hoc ipsum mortuus sit, & ad vitam immortalem resurrexerit, ut morte & resurrectione sua nos sibi, tanquam in peculium* (sicut alibi Paulus vocat λαὸν περιούσιον, *populum peculiarem, Tit.2.14.*) *redimeret, regnans super* FIDELES, *sive mortui illi sint, sive hanc corporalem vitam adhuc vivant.*

Objicitur. 1. Atqui Dominium Christi est universale in omnes & singulos Homines.

Resp. Ita est. Sed hinc non sequitur universalis omnium redemptio, nisi placeat per ἀναχόλουθον dicere, redemptionem Christi pertinere ad Diabolos quoque & omnes in toto Mundo creaturas, *Matth.28.18. Phil.2.10. Eph.1.21,22.* Itaque distinguendum inter Dominium sive Regnum Christi *universale*

versale, quod est *potentia*, ad quod pertinent omnes Homines; & *particulare*, quod est *gratia*, ad quod pertinet sola Ecclesia, & fideles in ea.

Objicit. 2. Vniversalitas potestatis judiciariç, cujus mentio fit *v.* 10, 11, 12. ut sensus sit, quorum Christus sit futurus Judex, eorum quoque fuerit Redemptor.

Resp. Nulla iterum est consequentia, à potestate universali Judiciaria Christi ad Redemptionem universalem singulorum Hominum. *Rat.* 1. Quia Paulus hoc loco expresse agit de fidelibus omnibus, quos *fratres* vocat *vers.* 10. sistendis coram tribunali Christi. 2. Vniversalitas judicandorum Hominum nequaquam arguit universalitatem redemptionis. Quanquam enim judiciaria potestas pendeat ab authoritate personæ Redemptoris, CHRISTI, *Joh.* 5.27. tamen nequaquam pendet à *gratia* & merito Redemptionis omnium & singulorum Hominum, cùm ipsi quoque Diaboli sint à Christo judicandi: sed potiùs à *justitia* vindicatricè, quæ Christo etiam quà Mediatori & *θεανθρώπῳ* competit, adversus omnes ipsius hostes, quamque ipse quoque jam in sua morte & resurrectione exequi cœperat.

Quæst. X. Recte'ne & commodè ab Apostolo (*vers.* 11.) ad Judicii ultimi demonstrationem proferatur locus, *Jes.* 45.22, 23. *Rat. dub.* 1. Quia in illo loco referuntur verba Dei communiter, quæ Paulus non debuerit restringere specialiter ad Personam Christi. 2. Quia in oraculo illo agitur de patefactione gloriæ Dei inter Gentes, quæ futura erat in Novo Testamento & jam est adimpleta. cùm constet, Gentes quoque olim alienigenas fuisse ad Christi & Evangelii obsequium toto Orbe adductas, quod Paulus Romanorum ipsorum exemplo suprà confirmaverat *Cap.* 1.8. & alibi, *Col.* 1.6. 3. Quia nonnulla videntur ab Apostolo mutata in illo loco, quæ in originali textu non occurrunt.

Resp. I. Quod de DEO dicitur communiter, mirum non est ab Apostolo accommodari Christo, tanquam ejusdem cum Patre & Spiritu S. essentiæ, potentiæ, majestatis & gloriæ: inprimis verò, quòd non nisi in Christo & per Christum Deus sibi vindicare velit gloriam hanc, cujus in oraculo mentio fit. *Joh.* 5.23. II. Distinguendum inter *inchoationem* patefactionis gloriæ Dei, cujus apud Prophetam fit mentio, & *consummationem*. *Illa* jam facta est: *hæc* demum fiet in ultimo judicio. *Rat.* Quia in hoc seculo Christus cum Evangelio suo semper futurus est σημεῖον ἀντιλεγόμενον Hostibus suis, donec altero suo adventu eos plene conteret sub pedibus suis. III. Mutatio in allegatione oraculi verbalis est tantum, non realis, sed tenax sensûs, v. g. quum apud Prophetam legitur: *Per me-ipsum juravi*; Apostolus habet, *Vivo ego, dicit Dominus*. Nulla hic ἀλλοφωνία. Dici posset Apostolum respexisse ad alia expressa verba, quæ occurrunt alibi, *Num.* 14.21, 28. *Ezech.* 3.11. imò *v.* 22. idem dicitur: *Ego sum Deus fortis & nullus præterea*; Sed tamen quid *per se-ipsum jurare* aliud designat, quàm Deum solum vivere, & nullum alium habere vitæ authorem, tanquam majorem, per quem jurare posset. *Heb.* 6.13. Legitur dehinc apud Prophetam: *Jurabit* (subaudi *mihi*) *omnis lingua*. In Pauli citatione habetur: *Omnis lingua confitebitur Deo*, id est, agnoscet, glorificabit Deum. Quid aliud est Juramentum legitimum, nisi cultus Deo & quidem soli debitus, tanquā Testi omnipotenti, omniscio, justo & fideli veritatis, cum ejusdem invocatione conjunctus, ut hinc apud Prophetas synecdochicè Cultus Dei veniat nomine *Juramenti Jes.* 19.18. & alibi.

Quæst. XI. An Christus secundùm suam *Humanitatem* sit adorandus? vel etiam respectu sui *Officii Mediatorii*? *Rat. quærendi*: Quia Paulus *v.* 11. ex Jesaja toti Christi Personæ, & quidem respectu potestatis ejus Judiciariæ, quæ pertinet ad officium ejus Mediatorium, quod θεανθρωπικόν est, cultum Divinum assignat.

Resp. Ad I. ex Symbolo Patrum Antiochenorum adversus Paul. Samosatenum

Totum Christum esse adorabilem etiam cum Corpore, sed non secundum Corpus esse adorabilem. Distinguendum ergo inter *totum Christum*, & inter *totum Christi*. Non quod de toto Christo, tanquam Persona indivisibili, dicitur, id quoque de toto Christi, id est, de Christo secundum utramque Naturam intelligendum. Ex. gr. de toto Christo rectè dico, eum passum & mortuum esse, quod de toto Christi, v.g. de divinitate dicere blasphemum esset. Hinc Petri distinctio, 1. *Epist.* 3 18. Θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι: *morte quidem affectus* (Christus) *carne, vivificatus autem Spiritu*. Pariter dico, adorationem ad totam Personam Christi θεανθρώπου dirigendam, quæ nequaquam est divellenda. Interim in adoratione distinguendum id, quod Christo competit non secundùm Humanitatem, sed Divinitatem, uti est *Adorabilitas*, ut sic loquar. cujus Humanitas capax esse non potest, cùm ea secundum se, & in ratione etiam Personali considerata, sit & maneat creatura.

Object. Ergo Humanitas nullo modo particeps erit adorationis.

Resp. 1. Per *negationem*. Cùm enim adoratio dirigitur ad totam Christi Personam, cui Humanitas personaliter & indivisibiliter unita est, non potest ea ab adoratione prorsus excludi, sed utique cum ea adoratur, uti ex Symbolo prædicto proposui: quod Veteres nonnulli similitudine adumbrarunt, dicentes, *Regem cum suo diademate, purpura, vestibus adorari, sic Christum cum sua Carne:* quanquam certum sit, hoc simile esse quoque in aliis multùm dissimile. 2. per *distinctionem*. Nam si Adoratio sumatur pro cultu soli Deo debito, agnitione videlicet & veneratione naturæ immensæ, æternæ, omnipræsentis, omnipotentis, omniscia, scimus; Humanitatem Christi in se & per se talis Adorationis non esse capacem, nisi velimus eam exæquare Divinitati. Quòd si verò Adoratio sumatur pro Honore debito Personæ Mediatoris, cujus Mediatorii officii utraque Natura particeps est; honoris hujus Objectum fuerit non tantum Divinitas, sed & Humanitas, distincto interim semper cum respectu, cùm gradus superior in Honore debeatur Divinæ, inferior Humanæ naturæ, manente tamen una indivisa adoratione, ad totam Personam directa.

Ad II. Vnde alterum quoque *Quæstionis* propositæ λῆμμα expediri potest. *An Christus respectu sui officii Mediatorii sit adorandus?* Cùm Christus quà Mediator adoratur, tota Christi Persona adoratur. Sed uti fides, in Christum Mediatorem directa, suos distinctos habet respectus, quibus distinctè agnoscit & tribuit Christo, quod in Mediatione Divinitatis & Humanitatis ipsius est: ita quoque Adoratio, quæ ex fide proficiscitur, suos distinctos respectus &, ut dixi, honoris gradus, Christo quà Deo, quà Homini, & quà θεανθρώπῳ ac Mediatori debitos, complectitur. Hinc alii distinguunt in Cultu Christi, honorem *Divinum, Humanum* & *Mediatorium*.

PARS II. CAPITIS XIV.

TRANSITIO. Hactenus Apostolus *priore* hujus Capitis *parte*, νουθεσίαν utilissimam instituit, de legitimo & decente usu Libertatis Christianæ circa τὰ ἀδιάφορα, aut *res medias*, v.g. *discrimen ciborum & dierum*, vel observandum, vel intermittendum. Monuit, cavendum esse ab intempestivo, supercilioso & præmaturo Fratrum *contemptu* & *condemnatione*. Nunc pergit, & dehortatur ab eorum *offensione* seu Scandalizatione. Quam quidem partem ita persequitur, ut commonefaciat tum *omittenda*, tum *facienda*.

x. *OMITTENDA.*

Apostolus seqq. verbis ea complectitur.

Vers.13.b. *Sed hic potiùs adhibete judicium, ut ne fratri proponatis quidpiam, ad quod impingat vel offendat.*

Vers.14. *Novi & persuasum habeo per Dominum* JESUM, *nihil esse impurum per se: sed ei, qui reputat aliquid esse impurum,* (id ei) *impurum* (esse.)

Vers.15. *Verùm, si propter escam frater tuus tristitiâ afficitur, non jam secundùm charitatem ambulas. Ne escâ tuâ illum perdito, pro quo Christus mortuus est.*

Vers.16. *Ne vestrum igitur bonum blasphemator.*

Occurrit in his verbis Admonitionis

I. *Propositio*, v.13.b. *Sed hic potius adhibete, &c.* Sensus est: ita in his externis esse procedendum, ne frater in fide debilis & infirmus offendatur. Hoc monitum tangit firmos in fide, quales erant fideles ex Gentibus, quibus doctrina de Libertate Christiana erat explorata & indubia; quòd scil. nunc in Novo Testam, lege discriminis ciborum & dierum non ampliùs tenerentur. Vult Apostolus, ne hac libertate abutantur ad scandalum infirmorum fidelium ex Judæis, quibus abrogatio Legis ceremonialis non ita cognita fuit: adeoque in infirmorum gratiam, ad eos confirmandos & lucrifaciendos sibi temperent, per abstinentiam à cibis olim in lege prohibitis: quod idem monitum fuerat Apostolorum communiter in Concilio Hierosolymitano, *Act.15.29.* quando etiam fidelibus ex Gentibus interdicebant *esu sanguinis & suffocati*: nempe ad evitandum scandalum Judæorum, qui in victu & alijs sese adhuc Legi, nondum plenè abrogatæ, sed, ut Augustinus loquitur, mox cum honore sepeliendæ, conformabant. Vers.13.b.

II. *Vindicatio* contra *Objectionem*, v.14. Vers.14.

Objicere aliquis potuisset: Atqui nullus cibus impurus est, tanquam creatura & donum Dei ad usum Hominis.

Respondet Apostolus

1. Per *Concessionem*: *Novi & persuasus sum, nihil esse impurum per se.* Τὸ ἐν κυρίῳ Ἰησοῦ potest accipi, tum de *persuasione* per Spiritum Christi: tum de *objecto* ipso persuasionis, videl. ciborum omnium puritate, *Rat.1.* quia, per Christi gratiam & beneficium omnes

omnes cibi, uti omnes creaturæ, sunt liberatæ à maledictione nobis propter peccatum ab iis impendente, ne possint noxiæ esse saluti nostræ. 2. quia Christus nobis peperit libertatem, ne teneamur amplius servitute Legis, ad discrimen ciborum præcisè observandum.

2. Per *distinctionem* inter τὸ *per se* & *per accidens*. *Per se*, inquit, *nullus est cibus impurus: per accidens* autem impurus redditur. Quomodo? 1. propter imaginationem infirmi fratris, qui adhuc legale ciborum discrimen impressum habet animo suo. 2. propter abusum istius cibi, cum neglectu charitatis, ad scandalum infirmorum, uti postea videbitur *ex v.20.*

Vers.15. III. *Confirmatio.* Apostolus argumentis validissimis utitur ad scandalum prædictum averruncandum, desumptis à consideratione

α. *Firmorum in fide.v.15.Verùm, si propter escam, &c.* quia firmus in fide escas omnes promiscuè edendo & discrimen ciborum negligendo; peccet contra Charitatem Christianam: dum scil. fratrem infirmum tristitiâ afficit, & conscientiam ipsius perturbat, quia fieri non potest, ut qui ex Lege, quam adhuc nescit abolitam, persuasus est, cibos aliquos esse immundos, non offendatur, si videat alium Lege hac insuper habitâ, promiscuè omnibus cibis vesci. Vult autem Apostolus, majorem esse habendam rationem *charitatis* erga proximum, quàm *libertatis* nostræ, cùm non nobis tantùm nati simus, sed & proximo: sicut etiam videmus membra omnia in Corpore Humano mutuas sibi invicem præstare & commodare operas, præsertim firmiora infirmioribus. Hinc alibi Paulus dicit; *Charitatem esse patienti animo, omnia tegere, omnia credere, omnia sperare, omnia tolerare. 1.Cor.13.4,7.* cujus ipse vivum exemplum infirmis fratribus factus est, *1.Cor.9.vers.4. & seqq.*

β. *Infirmorum*, quia hi perdantur, *v.15.b. Ne esca tua perdito, &c.* Damnum indicat, emergens ex abusu libertatis Christianæ: quia frater infirmus loco ædificationis perdatur, quando videl. conscientia ipsius percellitur, & occasio ei præbetur aliquid agendi contra suam conscientiam, vel dubitante conscientiâ, Christianam Religionem floccipendendi, vel etiam prorsus ab ea resiliendi. An ergo major escæ, quam fratris

tris sit habenda ratio? Num hinc possit apostasia sanctorum verè fidelium evinci, uti quidam volunt, dicam in *Quæstionibus.*

5. CHRISTI, quia is mortuus sit pro fratre infirmo. *Ibid. v. 15. Ne perdito illum, pro quo Christus mortuus est.* Ex quibus verbis geminum potest exstrui argumentum contra abusum libertatis Christianæ.

Argum. 1. Si Christus etiam vitam suam posuit & liquit pro fratre servando & ab exitio liberando: cur nos non deceat escam vitare & linquere in gratiam fratris, ne obstemus eius saluti? Atqui, &c. Ergo, &c.

Argum. 2. Quem Christus tanto amore & honore dignatus est, ut vitam suam pro eo contemnere & negligere voluerit: cur eum escâ nostrâ, id est, promiscuo ciborum usu, quo offenditur, quantum in nobis est, perditum vellemus? *Argumentum* validiss. quo ad charitatem erga proximum, tum exempli, tum meriti Christi respectu, inflammari, & ab omnibus iniuriis atque scandalis ad proximum redundantibus revocari nos oportet: nisi velimus esse injurii non solùm in proximum, sed & in Christum ipsum, & inæstimabile sanguinis ipsius pretium, quo fratres infirmos redemit, pessundare & in nihilum redigere. Utinam id hodie pensi haberent, qui non solùm intolerabilibus scandalis fratres alios offendunt, sed & propter præconceptas suas falsas atque erroneas opiniones de Religione, quibus Ecclesiam indesinenter turbare solent, horrendis suis anathematismis, eos, quos nolunt quidem agnoscere pro fratribus, interim fatentur morte Christi redemptos esse, Diabolo & omnibus furiis infernalibus mancipant!

6. *Libertatis Christianæ*, quia hæc per abusum blasphemetur, *v. 16.* *vers. 16.* *Ne vestrum igitur bonum blasphemator.* Argumentum est:

Illud nequaquam sub prætextu Libertatis Christianæ faciendum, per quod ea incurrit in blasphemiam & contemptum.

Atqui propter escam, sive promiscuum & cum scandalo infirmorum conjunctum usum ciborum, bonum hoc, sive beneficium Libertatis Christianæ adducitur in contem-

ptum & blasphemiam. *Rat.* quia infirmus hunc usum non alio habet loco atque contemptum & profanationem Legis divinæ.

Ergo nequaquam hoc est faciendum.

3. FACIENDA.

Apostolus ea comprehendit verbis seqq. usque ad finem cap.

Vers. 17. *Non enim est Regnum Dei esca & potus; sed justitia, & pax, & gaudium per Spiritum Sanctum.*

Vers. 18. *Nam qui per hæc servit Christo, gratus est Deo & probatus Hominibus.*

Vers. 19. *Nempe igitur, quæ ad pacem faciunt, sectemur, & mutuam ædificationem.*

Vers. 20. *Ne cibi causâ destrue opus Dei. Omnia quidem munda: sed malum est Homini, qui edens offendit.*

Vers. 21. *Bonum est non edere carnes, neq; bibere vinum, neq; quicquam* (facere) *in quo frater tuus impingit vel offenditur, vel infirmus est.*

Vers. 22. *Tu fidem habes: apud temet-ipsum habe in conspectu Dei. Beatus, qui non condemnat se-ipsum in eo, quod approbat.*

Vers. 23. *Qui verò dubitat, si ederit, condemnatus est, quoniam non* (edit) *ex fide: quicquid verò ex fide non est, peccatum est.*

Scandalo eliminato nunc Apostolus vult è contrario monere, cui *bono* sit incumbendum, mutuæ videl. paci & ædificationi. Summa huc redit:

Vers. 19. *Major.* Id quod facit ad pacem & ædificationem mutuam, omninò est fidelibus sectandum. Hæc propositio habetur *vers. 19. Nempe igitur quæ ad pacem, &c.*

Rat. 1. Quia ratio aut status Regni Dei hoc requirit. Quod *v. 17.* ostenditur ἀντιθετικῶς.

α. *Non* consistit Regnum Dei in *externis* & *corporalibus*, videlicet escâ & potu, sive in usu aut abstinentiâ à talibus externis: quasi Religionis & pietatis summa in iis conquiesceret.

β. Sed

f. *Sed* in *internis* & *spiritualibus* bonis, videl. *justitiâ, pace* & *gaudio per Spiritum Sanctum.* 1. Per *Justitiam* ad Regnum Dei pertinentem, cujus etiam alibi fit mentio à Christo, *Matth.6.33.* intelligi potest tum *justitia Christi* seu *fidei* nobis in Evangelio patefacta, suprà, *cap.1. v.17.* quâ solâ coram Dei tribunali consistere possumus: tum *justitia* in nobis per Spiritum S. *inchoata*, cujus studio nobis perpetim, quamdiu vivimus, incumbendum. 2. Per *Pacem* intelligitur Animi Humani & conscientiæ tranquillitas, quæ nascitur ex sensu amoris Dei & remissionis peccatorum: quæ tamen etiam secum trahit pacem cum proximo, inprimis verò fidelibus. 3. *Gaudium Spiritus S.* designat lætitiam cordis emergentem ex duobus prioribus beneficiis, & quidem per virtutem operantis & habitantis Spiritus S. in fidelibus. Itaque videntur his tribus nominibus insinuari tria Regni Dei beneficia, quæ gradatim in fideles descendunt, quorum unumquodque prius habet respectum causalem ad posterius: *Justitia* tum *imputata*, Christi; tum *inchoata* per Spiritum S. *Pax* cum Deo, cum conscientia, & inter fideles mutua, quę est ex justitia; *Gaudium* denique, ex justitia & pace resultans, per Spiritus S. operationem & efficaciam. quanquam quod de Spiritu S. dicit Apostolus, possit ad omnia tria referri, non solùm ad gaudium, sed & justitiam ac pacem, cùm omnium horum ipse in nobis sit author.

Rat.2. Quia, qui talibus incumbit, Christo serviat, *v.18.a. Nam* *Vers.18.* *qui per hæc servit Christo.* Servimus enim Christo, quum fide justitiam ejus apprehendimus, & per studium justitiæ Evangelio ejus obsequium præstamus: quum pacem conscientiæ colimus, & mutuæ inter nos paci citra aliorum offensionem studemus, *Joh.13.v.34,35.* quum denique omnem nostram lætitiam non in Mundo & rebus mundanis atque terrenis; v.g. in esca, potu & consimilibus, quærimus, sed in solo CHRISTO, & *per ipsum gloriamur sub spe gloriæ Dei. Rom.5. v.1, 2.*

Rat.3. Quia hac ratione nobis ipsis consulamus. Idcirco addit *v.18.b. qui per hæc Christo servit, gratus est Deo & probatus Hominibus.* Argum. ab effectis videl. *εὐαρεστίας*, tum

α. Apud *Deum*. Nam dum per talia quis Christo servit, non potest non Deo placere, cùm in Christo sit omnis Dei *εὐδοκία* & beneplacitum. *Matth.3 17.& 17.5.*

β. Apud *Homines*, dum se talibus reddit commendabilem. Id autem de Hominibus fidelibus & probis accipiendum: notum quippe est fideles Regni Dei studiosos improbis esse invisos, eorumque probris, contumeliis & persequutioni obnoxios, *2.Tim.3.v.12.* quantumvis non raro sancti Homines honesta sua & pacifica conversatione improborum ora possint obstruere, & multos ex iis lucrifacere. *1.Pet.2.12.*

Minor. Atqui

Vers.20. 1. *Esus quorumvis ciborum*, cum abusu Libertatis Christianæ, non facit ad pacem & ædificationem, sed potiùs ad destructionem. Ideò dicit Apostolus *vers.20.a. Ne cibi causa destrue opus Dei*, videl. in proximo, per ejus offensionem, quando videl, per abusum ciborum, per se liberorum, ejus fides & salus in discrimen adducitur, & hac ratione non solùm proximus sed & Deus ipse, tanquam author fidei & salutis proximi, injuriâ afficitur. Simul per prolepsin occurrit Apostolus objectioni, *v.20.b. omnia quidem munda, sed malum est Homini qui edens offendit.*

Object. Atqui cibus est mundus:

Resp. Etiamsi cibus sit mundus, tamen animus edentis non est mundus, quia edit cum offensione proximi, non habens rationem charitatis, quam debet infirmo fratri, hinc vitium est non in *re* cibo; sed in *persona* edente.

Vers.21. 2. E contrario *abstinentia à cibo* in gratiam fratris infirmi facit ad ædificationem & pacem, *v.21. Bonum est non edere carnes, &c.* Occurrit dehinc *v.22.* iterùm tacitæ objectioni: *Tu fidem habes, &c.*

Vers.22. *Object.* Dicere potuisset fidelis Romanus: Ego fidem habeo, videl. cognitionem libertatis Christianæ, quod mundis omnia sint munda. Cur ergo mihi non liceat fidem meam exercere, & omnibus sine discrimine vesci?

Respondet Apostolus duo.

α. Fidelem posse hanc fidem habere apud semet ipsum, quod sufficiat.

sufficiat. *Rat.* 1. quia hæc fides Deo sit cognita. Idcircò addit; *in conspectu Dei.* 2. quia saluti ejus nihil decedat: *Beatus, qui non condemnat seipsum in eo, quod approbat.* Neque enim hæc fides occupatur circa ea, quæ sunt ad salutem necessaria, qualia in gratiam proximi nequaquam sunt intermittenda: sed tantùm circa adiaphora, quę fidelis salvâ & illęsâ conscientiâ in gratiam infirmi fratris potest omittere.

8. Ita fidem habendam, ut caveatur ab infirmi fratris offensione & perditione. Nam si quis edat omnia & infirmum fratrem suo exemplo vel etiam contemptu velit ad suam libertatem cogere, quam ille nondum habet, propter fidei suæ infirmitatem, exploratam; facit ut infirmus peccet, alterum in edendo imitans. *Rat.* quia edat dubitanter & non cum fide, id est, absque solida & certa cognitione libertatis Christianæ: quod autem ex fide non fit, peccatum esse; & incurrere condemnationem, *v.23. Qui verò dubitat, si ederit, &c.* Argumentum est: *Vers.23.*

Nemo debet libertate Christiana abuti ad alterius offensam & damnum.

Atqui edens omnia libertate Christiana abutitur ad alterius offensam & damnum. *Offensam*, quia facit eum peccare, quum facit eum edentem dubitanter & absque fide. 2. *Damnum*, quia *si* infirmus *edat dubitanter condemnatus sit*, sive reatui condemnationis obnoxius, propter læsionem suæ conscientiæ & Dei.

Ergo, &c.

Conclusio. Ergo abstinentia à cibis promiscuis sectanda est.

QVÆSTIONES,
ex Cap. XIV. v.13.b. usq; ad fin. Cap.

Quæst. I. An certa sit & immobilis verè fidelium salus, neque ulla sit metuenda eorum finalis apostasia, hincque exitium æternum? *Rat. dubit.* Quia *vers.15.b. & 20.a.* innuitur, eos perdi posse. & *vers.23.* edens cibos cum διακρίσει, seu dubitatione, dicitur esse condemnatus.

Resp. I. Immobilem esse verè fidelium salutem, atque adeò fidem quoque eorum totaliter ac finaliter immobilem, Scriptura docet evidenter passim, *Ps.1.3.* & *125.1. Matth.24.24. Phil.1.6. 1.Pet.1.5. &c.* Neque ullum exemplum alicujus verè fidelis ab

Adversariis hactenùs proferri potuit, quo Apostasia sanctorum, eamque consequens æterna ipsorum damnatio, evinci potuerit. Nam quæcunque ex Scriptura apostatarum exempla objiciunt; ea extra sphæram eorum fidelium, qui justificante & salvifica fide præditi sunt, vagantur: & respiciunt tantùm vel historica fide præditos; vel fidei & veritatis externos professores; vel προσκαίρους & vertumnos, quos Christus *Matth.*13.20, 21. assimilat semini in terram petrosam conjecto.

II. *Possibilis* dici potest perditio vere fidelium, respectu tum infirmitatis ipsorum humanæ, cujus indicia sunt non raró tristes eorum lapsus, exe. Davidis, Salomonis, Petri, &c. tum tentationum Satanæ, exe. Petri, *Luc.*22.31. tum scandalorũ, à mundanis Hominibus, pravo exemplo; imò etiam à fidelibus ipsis per libertatis Christianæ abusum (de quibus Apostolus hoc loco expresse agit) datorum. *Impossibilis* dici potest respectu alio, tum decreti Divini, de fidelium in fide conservatione, hincque salute certa: tum meriti Christi ejusque efficaciæ invictæ. *Joh.*10.27.*&c.* tum virtutis, efficaciæ & assistentiæ perpetuæ Spiritus S. *Rom.*11.29. *Phil.*1.6. *Jes.*42.3.

III. Distinguendum inter perditionem Hominis alicuius fidelis *partialem & totalem, temporalem & æternam.* Perdi posse fidelem aliquem fratrem aliquo modo, est extra dubium. Fieri potest, ut vel per ignorantiam, vel per seductionem abripiatur ad syrteis errorum in fide & doctrina; quin etiam ad lapsus alios peccatorum in vita & moribus: Hinc fieri quoque potest, ut pravo aliorum exemplo aut suggestione possit ipsius cõscientia gravissime lædi & vulnerari, quin etiam multis Spiritus S. donis privari. *Totaliter* autem & *finaliter* ullum vere fidelem, infirmum licet, Spiritu interim sanctificationis donatum, fide sua excidere, Spiritum S. amittere, adeoque salutis æternæ jacturam incurrere posse, pernego. Secus decretum Dei de electorum fide donandorum salute foret mutabile: meritum Christi redderetur inefficax: Spiritus S. Hominem non tantùm convertentis per gratiam primam, sed eidem converso porró usque in finem assistentis, virtus non esset invicta, sed vinceretur majore aliqua Diaboli & Hominum resistentia. Quod ipsum Augustinus quoque cognovit scribens in *lib. de corrept. & grat. c.7. Electorum si quicquam perit, fallitur Deus. Sed* NEMO EORUM PERIT, *quia non fallitur Deus. Electorum si quicquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed* NEMO *eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.*

IV. Iam quod loca citata præsentia attinet, *Primò*, versus 15.b. *Ne escâ tuâ perdito, &c.* nihil concludit pro Sanctorum apostasia. Docet tantum seqq. 1. Nullum fidelem alteri infirmo fideli scandalum debere præbere, quo ipse posset à fide & via salutis abduci. 2. Eum qui hoc facit, quantum in ipso est, hoc ipsum tentare & moliri, adeoque per ipsum non stare, quò minùs alter pereat. 3. Et tamen hucusque offensam progredi posse, ut QUADANTENUS fidelis perdatur, videl. per vulnerationem ipsius conscientiæ, & seductionem ad facienda τὰ μὴ καθήκοντα. *Simil.* ut si dicam, Hominem perdi, quem alius aliquis malo suo exemplo & illicio in discrimen adducit ipsius sanitatis, hincque vitæ, nisi periculo maturé per remedia occurratur. 4. Hinc tantum abest, ut monita talia sint argumenta Apostasię sanctorum, ut potiùs sint media incentiva ad perseverantiam. Loquor autem non tantùm de Monitis ad fideles, sed etiam de Monitis ad eos, à quibus infirmi tentantur, quia talibus monitis Deus utitur non absque efficacia ad reprimendos tentantes.

Secundò. Eadem recurrit responsio ad *vers.*20. *Ne cibi causâ destrue opus Dei.* 1. Dehortatio est, non arguens possibilitatem, ut sic dicam, amittendæ fidei & salutis fidelium, plenè, finaliter: sed possibilitatẽ κατά τι. respectu infirmitatis fratrum infirmorum, & tentationis fratrum aliorum. 2. Dehortatio talis medium est efficax apud electos vere fideles, quo tum *infirmi* præservantur à lapsu, ne quid agant contra conscientiam: tum *firmiores* revocantur & absterrentur ab abusu libertatis Christianæ, ne per eundem infirmis occasionem præbeant lapsus.

Tertiò

Tertiò. Ad *verſ.23.* ubi *dubitanter edens* dicitur *eſſe condemnatus*, reſpondeo 1. verba expreſſa non dicere *theticè*, verè fidelem contra conſcientiam ſuam agere; ſed *hypotheticè*: ſi quis dubitet, *&c.* 2. Condemnationem non eſſe accipiendam de æterna condemnatione, quaſi fidelis, qui alterius exemplo ſeductus, dubitante conſcientia veſcitur carnibus aut aliis cibis, quos putat eſſe à Deo vetitos, ſtatim propterea ſit & maneat filius gehennæ: ſed *a.* de αὐτοκατακρισίᾳ propriæ conſcientiæ, quia enim quod agit, agit contra ſuam conſcientiam, jam damnatur à ſua conſcientia. 3. de reatu condemnationis, quem incurrit, quum, conſcientiæ ſuæ non habita ratione, facit ſe prævaricatorem voluntatis & legis Dei, ad cujus obſervantiam ſe teneri perſuaſum habet.

Quæſt. II. An Chriſtus pro ſolis electis mortuus ſit? *Rat. dubit.* Quia *verſ.15.* Chriſtus mortuus dicatur pro eo, qui perdatur. cui παράλληλος eſt locus 1. *Cor.* 8.11.

Reſp. I. Chriſtus *Joh.*10.*v.*11,15. dicit, ſe, tanquam *Paſtorem bonum, animam ſuam ponere pro ovibus*, quæ *verſ.*12. opponuntur *lupis* ſicut electi reprobis. Sicut ergo dici non poteſt, Paſtorem animam ponere pro lupis, ita dici non poteſt, Chriſtum animam ſuam poſuiſſe pro reprobis, de quibus alibi dicit, *quòd eos nunquam noverit*, id eſt, dilexerit, *Matth.*7.23. II. Idem *Joh.*10.28,29. dicit, *ſe ovibus ſuis dare vitam æternam, neq; quenquam eas è manu ſua rapturum, eò quod ſibi à Patre ſint datæ*, videlicet in electione. *qui major ſit omnibus.* Quos ergo Chriſtus ſua morte redemit, ii totaliter & finaliter perire nequeunt: niſi quis dicere velit, Diabolum, lupum infernalem, fortiorem eſſe in rapiendis ovibus, Paſtore Chriſto in eiſdem defendendis, & majorem Patre, qui eas Chriſto redimendas dedit. III. Locum quod attinet Apoſtoli, jam ad *Quæſtionem præcedent.* dictum eſt 1. non ſimpliciter dici eum, pro quo Chriſtus mortuus eſt, periturum; ſed tantùm, eum, qui offendit fratrem infirmum, quantum in ipſo eſt, ei gehennam ædificare, ſeu exitium ejus procurare. 2. iſtam perditionem, ſi in infirmum fratrem cadat, non de æterna ejus condemnatione intelligendam, ſed de lapſu temporali & læſione conſcientiæ. IV. Quanquam ſi quis velit hanc perditionem extendere ad alterum quoq; ſeculum, dici poſſit, multos fratrum à Chriſto redemptorum perire, qui tales fuerunt non ὄντως & ἀληθῶς, ſed tantùm δοξαστικῶς, qui ſcilicet propter externam fidei profeſſionem & communionem cum Eccleſia, pro fratribus fuerunt habiti: prout ab aliis reſpondetur. V. Eadem eſt ratio alterius loci Apoſtolici, 1. *Cor.*8.11. quanquam ibi oratio Pauli non ſit abſoluta, ſed ἐρωτηματικὴ, interrogativa. Neque dicit, quid futurum ſit, ſed quid debeat timeri à parte offendentis. Nam qui Hominis electi fidem pulſat valida tentatione, eum perdit, quantum in ſe eſt, etiamſi, ne id contingat, Deus nolit permittere.

Quæſt. III. An cultus Divinus ſit meritorius coràm Deo, ut volunt Pontificii? *Rat. dubit.* ex *verſ.*18. quia propter eum fidelis dicatur eſſe Deo εὐάρεστος.

Reſp. 1. Cultus noſter, cùm Deo ſit debitus, meritorius eſſe non poteſt. 2. neque mercenarius poſſet Hominem Deo reddere εὐάρεστον, ſed potiùs ingratum. 3. adde, nos Deum aliter colere non poſſe, niſi per gratioſam Spiritus ejus Sancti operationem in nobis. 4. Neque dicit Apoſtolus fidelem propter cultum eſſe Deo εὐάρεστον, ſed dicit, *eum* ἐν τούτοις, videlicet juſtitia, pace, gaudio, *per hæc* aut *in his ſervire Chriſto*, & gratum eſſe Deo, ut non indigitetur *cauſa* hujus εὐαρεστίας, ſed *modus*, quo rite poſſimus ſervire Deo. 5. Imò quia Apoſtolus εὐαρεστίαν hanc reſtringit ad fidelem Chriſto ſervientem, inſinuat non niſi in Chriſto & propter ipſum ejuſque meritum, quenquam poſſe placere Deo. 6. Tandem cultus iſte deſcribitur ut cultus ſervitutis, Chriſto ceu Domino & Redemptori debitæ, qualis cultus cum merito conciliari non poteſt.

Quæſt.

Quæst. IV. An in Pontificiorum gratiam, ne offendantur, ipsorum jejunia & discrimen ciborum sit observandum?
Ex *vers.* 21.

Resp. Jam suprà *pag.* 482. *Quæstio* hæc fuit expedita, & ostensum, aliam Pontificiorum, aliam Judæorum [illegible], de quibus hîc agit Apostolus, esse rationem. *Hi* enim discrimen ciborum observarunt ex conscientia Legis à Deo latæ, quam nondum sciebant fuisse abrogatam. *Illi* verò discrimen hoc observant ex conscientia Legis à Papa latæ, quæ non est Lex Dei, sed Antichristi, 1 *Tim.* 4.1,2,3. Idcircò non decet nos exemplo nostro ipsorum errores & superstitiones fovere: quippe qui petulanter Judaismum jam prorsus sepultum conantur in Ecclesiam reducere.

Quæst. V. An omne scandalum, quum proximus offenditur rebus aut actionibus nostris, prohibitum sit? *Rat. dub.* quia Apostolus eodem *vers.* 21. dicit, nil quicquam esse faciendum, in quo frater infirmus impingit vel offenditur.

Resp. 1. Distinguendum inter *scandalum datum* & *acceptum*. *Scandali dati* culpa hæret in *Dante*, quando is aliquid agit vel ἀνόμως, vel ἀτάκτως, vel ἀκαίρως, etiam in rerum indifferentium usu, cum offendiculo proximi & infirmorum: & de hoc loquitur Apostolus hoc in loco. *Scandali* verò *accepti* culpa est in *Accipiente* offenso, quando nec malè, nec intempestivè factum, à proximo ex maligno aliquo & sinistro affectu in occasionem offensionis rapitur, juxta illud Tertulliani: *Rebus bonis nemo offenditur, nisi cui mala mens est.* Tali scandalo noluit interdicere Apostolus: secus non solum abusu rerum indifferentium, sed etiam bonarũ usu interdixisset. 2. Itaque porrò discrimen faciendum inter proximum *infirmum*, à cujus offensione tum in malis tum in abusu τῶν ἀδιαφόρων cavendum: tum *malignum* & *Pharisaicum*, qui rebus etiam bonis, & licitis, vel ex ignorantia juris, vel ex malignitate cordis, vel ex superstitione aliqua prava & pharisaica offenditur: ut quum Pharisæi olim sanatione ægrotorum à Christo in Sabbato suscepta offendebantur. Tale scandalum nullo habendum est loco.

Quæst. VI. An fides vera & salvifica possit abscondita latere in corde insuper habita ejus confessione & patefactione? *Rat. dub.* quia Apostolus *vers.* 22. dicit; *qui fidem habet, debere eam apud se-ipsum habere in conspectu Dei.* Sufficiet ergo, dicet quis Pseudo-Nicodemita, veritatis cognitionem habere in corde, citra ejusdem confessionem publicam: & excusati erunt, qui in Papatu fidem integram retinent in corde, licet sacris Pontificiis sese misceant.

Resp. I. Fidem veram & salvificam non esse à confessione separandam docuit Apostolus supra *cap.* 1.16. suomet exemplo: *Non pudet me Evangelij Christi, &c.* nec non deinceps *cap.* 10. *v.* 9,10. Docuit idem Christus suos discipulos, *Matth.* 9.15,16. & *cap.* 10.32,33. *Marc.* 8.38. Ac sane sicut lux Solis ab ejusdem calore & influxu non potest separari, sic nec fides vera cordis à confessione oris. II. Locum præsentem Pauli quod attinet, dico cum Chrysostomo, in eo non agi de fide *dogmatica*, sive, quæ ad dogmata pertinet, sed de *apotelesmatica*, quæ versatur circa ἀδιάφορα. Hanc potest quis habere apud se in conspectu Dei integram & intemeratam, etiamsi eam non intempestivè exerceat & patefaciat coram Hominibus, per promiscuum rerum indifferentium usum aut potius abusum, cum scandalo infirmorum. III. Hinc longè alia ratio est Pseudo-Nicodemitarum in Papatu, qui cognitione veritatis imbuti, vel ex metu persequutionis,

quutionis, veritatem publicè dissimulant, & malunt Antichristi, quàm Christi castra sectari, quorum scelus grave est. Nam & vulnerant propriam conscientiam, veritatem intùs conditam extùs dissimulando aut abnegando: & Christo, cujus eos suppudet, probrum inferendo: & fideles alios, quibus cogniti sunt, scandalizando: & idololatras Antichristianæ Religioni addictos in sua impietate confirmando. Neque juvantur exemplo Nicodemi, qui noctu Christum adibat, *Joh.3.2.* Nam neque Nicodemi factum excusari potest, neque tantam ipse habuerat tùm temporis Christi cognitionem, quantâ pollent isti Hypocritæ, neque prorsus Synagogæ, quæ nondum sublata fuerat, renunciare potuit, sicut jubemur renunciare Babyloni, *Apoc.18.v.4.* neque ipse prorsus ἀμφοτέρως vixit. Nam & Christum in Synagoga defendit, *Joh.7.50,51.* & tandem ipsum in Cruce extinctum, operâ Josephi Arimathæensis adjutus, publicâ honestâ sepulturâ, neminem reformidans, condecoravit. *Joh.19.38, &c.*

Quæst. VII. An prava facinora, si fiant absque aliquo conscientiæ scrupulo, sint excusanda? *Rat. dubit.* Quia Apostolus *vers.22.b.* dicit, *eum beatum esse, qui non condemnat se-ipsum in eo, quod approbat.*

Resp. Cum Calvino *multùm interesse inter stuporem & judicium. Qui delectum habet in rebus, ille, si probè æstimata re & perpensa non mordetur malo conscientiæ testimonio, beatus est.* Alia eorum ratio qui malefactis *ignorantiam prætendunt, quum torpore & socordia implicitus sit eorum error*: ut taceam eos, qui ἀναισθήτως ac veluti cauteriatam habent conscientiam, ut ne quidem à sceleribus agnitis abhorreant.

Quæst. VIII. Quid sentiendum sit de operibus, quæ fiunt ante fidem ex libero Hominis arbitrio, & ex *puris*, ut vocant, *naturalibus*? Quid item de virtutibus politicis & moralibus gentilium? *Rat. quærendi*: quia Apostolus *vers.23.* dicit: *quicquid ex fide non est, peccatum esse.*

Resp. I. Sophistæ quidem docent, *Merita*, quæ vocant, *congrui* & præparationes ex libero Hominis arbitrio, antecedere fidem ejus & conversionem. Ast citiùs ex pumice aquam, quàm ex irregeniti Hominis arbitrio aliquod morale verè bonum expresseris. Si mortuus suis viribus se possit disponere & præparare ad recipiendam vitam: poterit ille, quem Scriptura dicit *mortuum esse in peccatis*, *Joh.5.25. Luc.15.32. Eph.2.1,5. Col.2.13.* aliquas habere inclinationes, motus & actus præparatorios ad sui conversionem. *Jer.13.23.* Et quanta est impudentia, jactare ante fidem in irregenito aliquod Meritum congrui? cùm nec quicquam in eo sit congruum Legi Dei, *Rom.3.19. & 7.7, &c.* imò non possit aliud quàm peccare, *Gen.6.5. & 8.21.* cùm arbor mala non nisi fructus malos proferre possit, *Matth.7.18.* neque si tale aliquid in ipso occurreret, posset alicujus *Meriti* habere rationem, cùm veniret in rationem *Debiti*, uti sæpè dictum.

II. Hinc quoque patet, quid de *virtutibus Gentilium* sentiendum veniat. Augustinus haud immerito eas vocat *splendida peccata*, quia sub fuco virtutis, tanquam moneta aliqua adulterina, auro superinducto extrinsecùs coruscans; occultant internam pollutionem: dum non fiunt ex fide, *absq; qua*, Apostolo teste, *quicquid fit, peccatum est.*

Excipitur à Pontificiis, 1. agi heic ab Apostolo non de fide in Christum, sed de fide particulari circa res adiaphoras: ut peccare dicatur, qui in earum usu vel abusu aliquid agit contra conscientiam, aliud intùs credendo, aliud foris agendo. 2. Aliud esse *agere* aliquid *sine fide*, quod non semper malum sit; aliud *agere contra fidem* & conscientiam.

Resp. 1. Concedi potest, Apostolum agere de fide particulari circa adiaphora: quò minùs autem ejus sententia extendi possit ac debeat ad fidem in Christum; nihil prorsus impedit. imò κατὰ διαφορὰ minori ad majus hæc valet

omnes cibi, uti omnes creaturæ, sunt liberatæ à maledictione nobis propter peccatum ab iis impendente, ne possint noxiæ esse saluti nostræ. 2. quia Christus nobis peperit libertatem, ne teneamur ampliùs servitute Legis, ad discrimen ciborum præcisè observandum.

2. Per *distinctionem* inter *τὸ per se & per accidens. Per se*, inquit, *nullus est cibus impurus: per accidens* autem impurus redditur. Quomodo? 1. propter imaginationem infirmi fratris, qui adhuc legale ciborum discrimen impressum habet animo suo. 2. propter abusum istius cibi, cum neglectu charitatis, ad scandalum infirmorum, uti postea videbitur *ex v.20.*

Vers.15. III. *Confirmatio.* Apostolus argumentis validissimis utitur ad scandalum prædictum averruncandum, desumptis à consideratione

α. *Firmorum in fide. v.15. Verùm, si propter escam, &c.* quia firmus in fide escas omnes promiscuè edendo & discrimen ciborum negligendo; peccet contra Charitatem Christianam: dum scil. fratrem infirmum tristitiâ afficit, & conscientiam ipsius perturbat, quia fieri non potest, ut qui ex Lege, quam adhuc nescit abolitam, persuasus est, cibos aliquos esse immundos, non offendatur, si videat alium Lege hac insuper habitâ, promiscuè omnibus cibis vesci. Vult autem Apostolus, majorem esse habendam rationem *charitatis* erga proximum, quàm *libertatis* nostræ, cùm non nobis tantùm nati simus, sed & proximo: sicut etiam videmus membra omnia in Corpore Humano mutuas sibi invicem præstare & commodare operas, præsertim firmiora infirmioribus. Hinc alibi Paulus dicit; *Charitatem esse patienti animo, omnia tegere, omnia credere, omnia sperare, omnia tolerare. 1. Cor. 13. 4, 7.* cujus ipse vivum exemplum infirmis fratribus factus est, *1. Cor. 9. vers. 4. & seqq.*

β. *Infirmorum*, quia hi perdantur, *v.15. b. Ne esca tua perdito, &c.* Damnum indicat, emergens ex abusu libertatis Christianæ: quia frater infirmus loco ædificationis perdatur, quando videl. conscientia ipsius percellitur, & occasio ei præbetur aliquid agendi contra suam conscientiam, vel dubitante conscientiâ, Christianam Religionem floccipendendi, vel etiam prorsus ab ea resiliendi. An ergo major escæ, quam fratris

tris sit habenda ratio? Num hinc possit apostasia sanctorum verè fidelium evinci, uti quidam volunt, dicam in *Quæstionibus.*

3. CHRISTI, quia is mortuus sit pro fratre infirmo. *Ibid. v. 15. Ne perdito illum, pro quo Christus mortuus est.* Ex quibus verbis geminum potest exstrui argumentum contra abusum libertatis Christianæ.

Argum. 1. Si Christus etiam vitam suam posuit & liquit pro fratre servando & ab exitio liberando: cur nos non deceat escam vitare & linquere in gratiam fratris, ne obstemus eius saluti? Atqui, &c. Ergo, &c.

Argum. 2. Quem Christus tanto amore & honore dignatus est, ut vitam suam pro eo contemnere & negligere voluerit: cur eum escâ nostrâ, id est, promiscuo ciborum usu, quo offenditur, quantum in nobis est, perditum vellemus? *Argumentum* validiss. quo ad charitatem erga proximum, tum exempli, tum meriti Christi respectu, inflammari, & ab omnibus iniuriis atque scandalis ad proximum redundantibus revocari nos oportet: nisi velimus esse injurii non solùm in proximum, sed & in Christum ipsum, & inæstimabile sanguinis ipsius pretium, quo fratres infirmos redemit, pessundare & in nihilum redigere. Utinam id hodie pensi haberent, qui non solùm intolerabilibus scandalis fratres alios offendunt, sed & propter præconceptas suas falsas atque erroneas opiniones de Religione, quibus Ecclesiam indesinenter turbare solent, horrendis suis anathematismis, eos, quos nolunt quidem agnoscere pro fratribus, interim fatentur morte Christi redemptos esse, Diabolo & omnibus furiis infernalibus mancipant!

4. *Libertatis Christianæ*, quia hæc per abusum blasphemetur, *v. 16. Ne vestrum igitur bonum blasphemator.* Argumentum est: *vers. 16.*

Illud nequaquam sub prætextu Libertatis Christianæ faciendum, per quod ea incurrit in blasphemiam & contemptum.

Atqui propter escam, sive promiscuum & cum scandalo infirmorum conjunctum usum ciborum bonum hoc, sive beneficium Libertatis Christianæ adducitur in contem-

ptum & blaſphemiam. *Rat.* quia infirmus hunc uſum non alio habet loco atque contemptum & profanationem Legis divinæ.

Ergo nequaquam hoc eſt faciendum.

2. FACIENDA.

Apoſtolus ea comprehendit verbis ſeqq. uſque ad finem cap.

Verſ. 17. *Non enim eſt Regnum Dei eſca & potus; ſed juſtitia, & pax, & gaudium per Spiritum Sanctum.*

Verſ. 18. *Nam qui per hæc ſervit Chriſto, gratus eſt Deo & probatus Hominibus.*

Verſ. 19. *Nempe igitur, quæ ad pacem faciunt, ſectemur, & mutuam ædificationem.*

Verſ. 20. *Ne cibi causâ deſtrue opus Dei. Omnia quidem munda: ſed malum eſt Homini, qui edens offendit.*

Verſ. 21. *Bonum eſt non edere carnes, neq; bibere vinum, neq; quicquam* (facere) *in quo frater tuus impingit vel offenditur, vel infirmus eſt.*

Verſ. 22. *Tu fidem habes: apud temet-ipſum habe in conſpectu Dei. Beatus, qui non condemnat ſe-ipſum in eo, quod approbat.*

Verſ. 23. *Qui verò dubitat, ſi ederit, condemnatus eſt, quoniam non* (edit) *ex fide: quicquid verò ex fide non eſt, peccatum eſt.*

Scandalo eliminato nunc Apoſtolus vult è contrario monere, cui *bono* ſit incumbendum, mutuæ videl. paci & ædificationi. Summa huc redit:

Verſ. 19. *Major.* Id quod facit ad pacem & ædificationem mutuam, omninò eſt fidelibus ſectandum. Hæc propoſitio habetur *verſ. 19. Nempe igitur quæ ad pacem &c.*

Rat. 1. Quia ratio aut ſtatus Regni Dei hoc requirit. Quod *v. 17.* oſtenditur ἀντιθετικῶς.

α. *Non* conſiſtit Regnum Dei in *externis* & *corporalibus*, videlicet eſcâ & potu, ſive in uſu aut abſtinentiâ à talibus externis: quaſi Religionis & pietatis ſumma in iis conquieſceret.

β. Sed

b. *Sed* in *internis* & *spiritualibus* bonis, videl. *justitiâ, pace* & *gaudio per Spiritum Sanctum.* 1. Per *Justitiam* ad Regnum Dei pertinentem, cujus etiam alibi fit mentio à Christo, *Matth.6.33.* intelligi potest tum *justitia Christi* seu *fidei* nobis in Evangelio patefacta, suprà, *cap.1. v.17.* quâ solâ coram Dei tribunali consistere possumus: tum *justitia* in nobis per Spiritum S. *inchoata*, cujus studio nobis perpetim, quamdiu vivimus, incumbendum. 2. Per *Pacem* intelligitur Animi Humani & conscientiæ tranquillitas, quæ nascitur ex sensu amoris Dei & remissionis peccatorum: quæ tamen etiam secum trahit pacem cum proximo, inprimis verò fidelibus. 3. *Gaudium Spiritus S.* designat lætitiam cordis emergentem ex duobus prioribus beneficiis, & quidem per virtutem operantis & habitantis Spiritus S. in fidelibus. Itaque videntur his tribus nominibus insinuari tria Regni Dei beneficia, quæ gradatim in fideles descendunt, quorum unumquodque prius habet respectum causalem ad posterius: *Justitia* tum *imputata*, Christi; tum *inchoata* per Spiritum S. *Pax* cum Deo, cum conscientia, & inter fideles mutua, quę est ex justitia; *Gaudium* denique, ex justitia & pace resultans, per Spiritus S. operationem & efficaciam. quanquam quod de Spiritu S. dicit Apostolus, possit ad omnia tria referri, non solùm ad gaudium, sed & justitiam ac pacem, cùm omnium horum ipse in nobis sit author.

Rat.2. Quia, qui talibus incumbit, Christo serviat, *v.18.a.* *Nam qui per hæc servit Christo.* Servimus enim Christo, quum fide justitiam ejus apprehendimus, & per studium justitiæ Evangelio ejus obsequium præstamus: quum pacem conscientiæ colimus, & mutuæ inter nos paci citra aliorum offensionem studemus, *Joh.13.v.34,35.* quum denique omnem nostram lætitiam non in Mundo & rebus mundanis atque terrenis; v.g. in esca, potu & consimilibus, quærimus, sed in solo CHRISTO, & *per ipsum gloriamur sub spe gloriæ Dei. Rom.5. v.1, 2.* *Vers.18.*

Rat.3. Quia hac ratione nobis ipsis consulamus. Idcirco addit *v.18.b. qui per hæc Christo servit, gratus est Deo & probatus Hominibus.* Argum. ab effectis videl. ἐυαρεστίας, tum

α. Apud *Deum*. Nam dum per talia quis Christo servit, non potest non Deo placere, cùm in Christo sit omnis Dei *εὐδοκία* & beneplacitum. *Matth.3.17. & 17.5.*

β. Apud *Homines*, dum se talibus reddit commendabilem. Id autem de Hominibus fidelibus & probis accipiendum: notum quippe est fideles Regni Dei studiosos improbis esse invisos, eorumque probris, contumeliis & persequutioni obnoxios, *2.Tim.3.v.12.* quantumvis non rarò sancti Homines honesta sua & pacifica conversatione improborum ora possint obstruere, & multos ex iis lucrifacere. *1.Pet.2.12.*

Minor. Atqui

Vers.20. 1. *Esus quorumvis ciborum*, cum abusu Libertatis Christianæ, non facit ad pacem & ædificationem, sed potiùs ad destructionem. Ideò dicit Apostolus *vers.20.a. Ne cibi causa destrue opus Dei*, videl. in proximo, per ejus offensionem, quando videl, per abusum ciborum, per se liberorum, ejus fides & salus in discrimen adducitur, & hac ratione non solùm proximus sed & Deus ipse, tanquam author fidei & salutis proximi, injuriâ afficitur. Simul per prolepsin occurrit Apostolus objectioni, *v.20.b. omnia quidem munda, sed malum est Homini qui edens offendit.*

Object. Atqui cibus est mundus:

Resp. Etiamsi cibus sit mundus, tamen animus edentis non est mundus, quia edit cum offensione proximi, non habens rationem charitatis, quam debet infirmo fratri, hinc vitium est non in *re* cibo; sed in *persona* edente.

Vers.21. 2. E' contrario *abstinentia à cibo* in gratiam fratris infirmi facit ad ædificationem & pacem, *v.21. Bonum est non edere carnes, &c.* Occurrit dehinc *v.22.* iterùm tacitæ objectioni: *Tu fidem habes, &c.*

Vers.22. *Object.* Dicere potuisset fidelis Romanus: Ego fidem habeo, videl. cognitionem libertatis Christianæ, quod mundis omnia sint munda. Cur ergo mihi non liceat fidem meam exercere, & omnibus sine discrimine vesci?

Respondet Apostolus duo.

α. Fidelem posse hanc fidem habere apud semet ipsum, quod sufficiat.

ſufficiat. *Rat.* 1. quia hæc fides Deo ſit cognita. Idcircò addit; *in conſpectu Dei.* 2. quia ſaluti ejus nihil decedat: *Beatus, qui non condemnat ſeipſum in eo, quod approbat.* Neque enim hæc fides occupatur circa ea, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, qualia in gratiam proximi nequaquam ſunt intermittenda: ſed tantùm circa adiaphora, quę fidelis ſalvâ & illęſâ conſcientiâ in gratiam infirmi fratris poteſt omittere.

8. Ita fidem habendam, ut caveatur ab infirmi fratris offen- *Verſ.23.*
ſione & perditione. Nam ſi quis edat omnia & infirmum fratrem ſuo exemplo vel etiam contemptu velit ad ſuam libertatem cogere, quam ille nondum habet, propter fidei ſuæ infirmitatem, exploratam; facit ut infirmus peccet, alterum in edendo imitans. *Rat.* quia edat dubitanter & non cum fide, id eſt, absque ſolida & certa cognitione libertatis Chriſtianæ: quod autem ex fide non fit, peccatum eſſe; & incurrere condemnationem, *v.23. Qui verò dubitat ſi ederit, &c.* Argumentum eſt:

Nemo debet libertate Chriſtiana abuti ad alterius offenſam & damnum.

Atqui edens omnia libertate Chriſtiana abutitur ad alterius offenſam & damnum. *Offenſam*, quia facit eum peccare, quum facit eum edentem dubitanter & absque fide. 2. *Damnum*, quia *ſi* infirmus *edat dubitanter condemnatus ſit*, ſive reatui condemnationis obnoxius, propter læſionem ſuæ conſcientiæ & Dei.

Ergo, &c.

Concluſio. Ergo abſtinentia à cibis promiſcuis ſectanda eſt.

QVÆSTIONES,
ex Cap. XIV. v.13.b. usq; ad fin. Cap.

Quæſt. I. An certa ſit & immobilis verè fidelium ſalus, neque ulla ſit metuenda eorum finalis apoſtaſia, hincque exitium æternum? *Rat. dubit.* Quia *verſ.15.b. & 20 a.* innuitur, eos perdi poſſe. & *verſ.23.* edens cibos cum διακρίσει, ſeu dubitatione, dicitur eſſe condemnatus.

Reſp. I. Immobilem eſſe vere fidelium ſalutem, atque adeò fidem quoque eorum totaliter ac finaliter immobilem, Scriptura docet evidenter paſſim, *Pſ.1.3. & 125.1. Matth.24.24. Phil.1.6. 1.Pet.1.5. &c.* Neque ullum exemplum alicujus vere fidelis ab

Adversariis hactenùs proferri potuit, quo Apostasia sanctorum, eamque consequens æterna ipsorum damnatio, evinci potuerit. Nam quæcunque ex Scriptura apostatarum exempla objiciunt; ea extra sphęram eorum fidelium, qui justificante & salvifica fide præditi sunt, vagantur: & respiciunt tantùm vel historica fide præditos; vel fidei & veritatis externos professores; vel *πρόσκαιρους* & vertumnos, quos Christus *Matth.* 13.20, 21. assimilat semini in terram petrosam conjecto.

II. *Possibilis* dici potest perditio vere fidelium, respectu tum infirmitatis ipsorum humanæ, cujus indicia sunt non raró tristes eorum lapsus, exe. Davidis, Salomonis, Petri, &c. tum tentationum Satanæ, exe. Petri, *Luc.* 22.31. tum scandalorũ à mundanis Hominibus, pravo exemplo; imó etiam à fidelibus ipsis per libertatis Christianæ abusum (de quibus Apostolus hoc loco expressè agit) datorum. *Impossibilis* dici potest respectu alio, tum decreti Divini, de fidelium in fide conservatione, hincque salute certa: tum meriti Christi ejusque efficaciæ invictæ. *Joh.* 10.27. *&c.* tum virtutis, efficaciæ & assistentiæ perpetuæ Spiritus S. *Rom.* 11.29. *Phil.* 1.6. *Jes.* 42.3.

III. Distinguendum inter perditionem Hominis alicujus fidelis *partialem & totalem, temporalem & æternam*. Perdi posse fidelem aliquem fratrem aliquo modo, est extra dubium. Fieri potest, ut vel per ignorantiam, vel per seductionem abripiatur ad syrteis errorum in fide & doctrina; quin etiam ad lapsus alios peccatorum in vita & moribus: Hinc fieri quoque potest, ut pravo aliorum exemplo aut suggestione possit ipsius cõscientia gravissime lædi & vulnerari, quin etiam multis Spiritus S. donis privari. *Totaliter* autem & *finaliter* ullum vere fidelem, infirmum licèt, Spiritu interim sanctificationis donatum, fide sua excidere, Spiritum S. amittere, adeoque salutis æternæ jacturam incurrere posse, pernego. Secus decretum Dei de electorum fide donandorum salute foret mutabile: meritum Christi redderetur inefficax: Spiritus S. Hominem non tantùm convertentis per gratiam primam, sed eidem converso porró usque in finem assistentis, virtus non esset invicta, sed vinceretur majore aliqua Diaboli & Hominum resistentia. Quod ipsum Augustinus quoque cognovit scribens in *lib. de corrept. & grat. c.* 7. *Electorum si quisquam perit, fallitur Deus. Sed* NEMO EORUM PERIT, *quia non fallitur Deus. Electorum, si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed* NEMO *eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.*

IV. Iam quod loca citata præsentia attinet, *Primò*, versus 15. b. *Ne escâ tuâ perdito, &c.* nihil concludit pro Sanctorum apostasia. Docet tantum seqq. 1. Nullum fidelem alteri infirmo fideli scandalum debere præbere, quo ipse posset à fide & via salutis abduci. 2. Eum qui hoc facit, quantum in ipso est, hoc ipsum tentare & moliri, adeoque per ipsum non stare, quò minùs alter pereat. 3. Et tamen hucusque offensam progredi posse, ut QUADANTENùs fidelis perdatur, videl. per vulnerationem ipsius conscientiæ, & seductionem ad facienda *τὰ μὴ καθήκοντα*. *Simil.* ut si dicam, Hominem perdi, quem alius aliquis malo suo exemplo & illicio in discrimen adducit ipsius sanitatis, hincque vitæ, nisi periculo maturè per remedia occurratur. 4. Hinc tantum abest, ut monita talia sint argumenta Apostasię sanctorum, ut potiùs sint media incentiva ad perseverantiam. Loquor autem non tantùm de Monitis ad fideles, sed etiam de Monitis ad eos, à quibus infirmi tentantur, quia talibus monitis Deus utitur non absque efficacia ad reprimendos tentantes.

Secundò. Eadem recurrit responsio ad *vers.* 20. *Ne cibi causâ destrue opus Dei.* 1. Dehortatio est, non arguens possibilitatem, ut sic dicam, amittendæ fidei & salutis fidelium, plenè, finaliter: sed possibilitatẽ *κατά τι*. respectu infirmitatis fratrum infirmorum, & tentationis fratrum aliorum. 2. Dehortatio talis medium est efficax apud electos vere fideles, quo tum *infirmi* præservantur à lapsu, ne quid agant contra conscientiam: tum *firmiores* revocantur & absterrentur ab abusu libertatis Christianæ, ne per eundem infirmis occasionem præbeant lapsus.

Tertiò

Tertiò. Ad *vers.* 23. ubi *dubitanter edens* dicitur *esse condemnatus*, respondeo 1. verba expressa non dicere *theticè*, vere fidelem contra conscientiam suam agere; sed *hypotheticè*: si quis dubitet &c. 2. Condemnationem non esse accipiendam de æterna condemnatione, quasi fidelis, qui alterius exemplo seductus, dubitante conscientia vescitur carnibus aut aliis cibis, quos putat esse à Deo vetitos, statim propterea fit & maneat filius gehennæ: sed *a.* de αὐτοκατακρισίᾳ propriæ conscientiæ, quia enim quod agit, agit contra suam conscientiam, jam damnatur à sua conscientia. 3. de reatu condemnationis, quem incurrit, quum conscientiæ suæ non habita ratione, facit se prævaricatorem voluntatis & legis Dei, ad cujus observantiam se teneri persuasum habet.

Quæst. II. An Christus pro solis electis mortuus sit? *Rat. dubit.* Quia *vers.* 15. Christus mortuus dicatur pro eo, qui perdatur, cui παρόμοιος est locus 1. *Cor.* 8. 11.

Resp. I. Christus *Joh.* 10. *v.* 11, 15. dicit, se, tanquam *Pastorem bonum, animam suam ponere pro ovibus*, quæ *vers.* 12. opponuntur *lupis* sicut electi reprobis. Sicut ergo dici non potest, Pastorem animam ponere pro lupis, ita dici non potest, Christum animam suam posuisse pro reprobis, de quibus alibi dicit, *quòd eos nunquam noverit*, id est, dilexerit, *Matth.* 7. 23. II. Idem *Joh.* 10. 28, 29. dicit, *se ovibus suis dare vitam æternam, neq; quenquam eas è manu sua rapturum, eò quod sibi à Patre sint data*, videlicet in electione. *qui major sit omnibus.* Quos ergo Christus sua morte redemit, ii totaliter & finaliter perire nequeunt: nisi quis dicere velit, Diabolum, lupum infernalem, fortiorem esse in rapiendis ovibus, Pastore Christo in eisdem defendendis, & majorem Patre, qui eas Christo redimendas dedit. III. Locum quod attinet Apostoli, jam ad *Quæstionem præcedent.* dictum est 1. non simpliciter dici eum, pro quo Christus mortuus est, periturum; sed tantùm, eum, qui offendit fratrem infirmum, quantum in ipso est, ei gehennam ædificare, seu exitium ejus procurare. 2. istam perditionem, si in infirmum fratrem cadat, non de æterna ejus condemnatione intelligendam, sed de lapsu temporali & læsione conscientiæ. IV. Quanquam si quis velit hanc perditionem extendere ad alterum quoq; seculum, dici possis, multos fratrum à Christo redemptorum perire, qui tales fuerunt non ὄντως & ἀληθῶς, sed tantùm δοξαστικῶς, qui scilicet propter externam fidei professionem & communionem cum Ecclesia, pro fratribus fuerunt habiti: prout ab aliis respondetur. V. Eadem est ratio alterius loci Apostolici, 1. *Cor.* 8. 11. quanquam ibi oratio Pauli non sit absoluta, sed ἐρωτηματικὴ, interrogativa. Neque dicit, quid futurum sit, sed quid debeat timeri à parte offendentis. Nam qui Hominis electi fidem pulsat valida tentatione, eum perdit, quantum in se est, etiamsi, ne id contingat, Deus nolit permittere.

Quæst. III. An cultus Divinus sit meritorius corám Deo, ut volunt Pontificii? *Rat. dubit.* ex *vers.* 18. quia propter eum fidelis dicatur esse Deo εὐάρεστος.

Resp. 1. Cultus noster, cùm Deo sit debitus, meritorius esse non potest. 2. neque mercenarius posset Hominem Deo reddere εὐάρεστον, sed potiùs ingratum. 3. adde, nos Deum aliter colere non posse, nisi per gratiosam Spiritus ejus Sancti operationem in nobis. 4. Neque dicit Apostolus fidelem propter cultum esse Deo εὐάρεστον, sed dicit, *eum* ἐν τούτοις, videlicet justitia, pace, gaudio, *per hæc* aut *in his servire Christo*, & gratum esse Deo, ut non indigitetur *causa* hujus εὐαρεστίας, sed *modus*, quo rite possimus servire Deo. 5. Imò quia Apostolus εὐαρεστίαν hanc restringit ad fidelem Christo servientem, insinuat non nisi in Christo & propter ipsum ejusque meritum, quenquam posse placere Deo. 6. Tandem cultus iste describitur ut cultus servitutis, Christo ceu Domino & Redemptori debitæ, qualis cultus cum merito conciliari non potest.

Quæst.

Quæst. IV. An in Pontificiorum gratiam, ne offendantur, ipsorum jejunia & discrimen ciborum sit observandum?
Ex *vers.* 21.

Resp. Jam suprà *pag.* 482. *Quæstio* hæc fuit expedita, & ostensum, aliam Pontificiorum, aliam judæorum ἀσθενούντων, de quibus hic agit Apostolus, esse rationem. *Hi* enim discrimen ciborum observarunt ex conscientia Legis à Deo latæ, quam nondum sciebant fuisse abrogatam. *Illi* verò discrimen hoc observant ex conscientia Legis à Papa latæ, quæ non est Lex Dei, sed Antichristi, 1 *Tim.* 4.1,2,3. Idcircò non decet nos exemplo nostro ipsorum errores & superstitiones fovere: quippe qui petulanter Judaismum jam prorsus sepultum conantur in Ecclesiam reducere.

Quæst. V. An omne scandalum, quum proximus offenditur rebus aut actionibus nostris, prohibitum sit? *Rat. dub.* quia Apostolus eodem *vers.* 21. dicit, nil quicquam esse faciendum, in quo frater infirmus impingit vel offenditur.

Resp. I. Distinguendum inter *scandalum datum & acceptum. Scandali dati* culpa hæret in *Dante*, quando is aliquid agit vel ἀνόμως, vel ἀτάκτως, vel ἀκαίρως, etiam in rerum indifferentium usu, cum offendiculo proximi & infirmorum: & de hoc loquitur Apostolus hoc in loco. *Scandali* verò *accepti* culpa est in *Accipiente* offenso, quando nec male, nec intempestive factum, à proximo ex maligno aliquo & sinistro affectu in occasionem offensionis rapitur, juxta illud Tertulliani: *Rebus bonis nemo offenditur, nisi cui mala mens est.* Tali scandalo noluit interdicere Apostolus: secus non solùm abusu rerum indifferentium, sed etiam bonarũ usu interdixisset. 2. Itaque porrò discrimen faciendum inter proximum *infirmum*, à cujus offensione tum in malis tum in abusu τῶν ἀδιαφόρων cavendum: tum *malignum & Pharisaicum*, qui rebus etiam bonis, & licitis, vel ex ignorantia juris, vel ex malignitate cordis, vel ex superstitione aliqua prava & pharisaica offenditur: ut quum Pharisæi olim sanatione ægrotorum à Christo in sabbato suscepta offendebantur. Tale scandalum nullo habendum est loco.

Quæst. VI. An fides vera & salvifica possit abscondita latere in corde insuper habita ejus confessione & patefactione? *Rat. dub.* quia Apostolus *vers.* 22. dicit; *qui fidem habet, debere eam apud se-ipsum habere in conspectu Dei.* Sufficiet ergo, dicet quis Pseudo-Nicodemita, veritatis cognitionem habere in corde, citra ejusdem confessionem publicam: & excusati erunt, qui in Papatu fidem integram retinent in corde, licet sacris Pontificiis sese misceant.

Resp. I. Fidem veram & salvificam non esse à confessione separandam docuit Apostolus supra *cap.* 1.16. suomet exemplo: *Non pudet me Evangelij Christi, &c.* nec non deinceps *cap.* 10. *v.* 9,10. Docuit idem Christus suos discipulos, *Matth.* 9.15,16. & *cap.* 10.32,33. *Marc.* 8.38. Ac sane sicut lux Solis ab ejusdem calore & influxu non potest separari, sic nec fides vera cordis à confessione oris. II. Locum præsentem Pauli quod attinet, dico cum Chrysostomo, in eo non agi de fide *dogmatica*, sive, quæ ad dogmata pertinet, sed de *apl oristica*, quæ versatur circa ἀδιάφορα. Hanc potest quis habere apud se in conspectu Dei integram & intemeratam, etiamsi eam non intempestivè exerceat & patefaciat coram Hominibus, per promiscuum rerum indifferentium usum aut potius abusum, cum scandalo infirmorum. III. Hinc longè alia ratio est Pseudo-Nicodemitarum in Papatu, qui cognitione veritatis imbuti, vel ex metu perse-

quutionis,

quutionis, veritatem publicè dissimulant, & malunt Antichristi, quàm Christi castra sectari, quorum scelus grave est. Nam & vulnerant propriam conscientiam, veritatem intùs conditam extùs dissimulando aut abnegando: & Christo, cujus eos suppudet, probrum inferendo: & fideles alios, quibus cogniti sunt, scandalizando: & idololatras Antichristianæ Religioni addictos in sua impietate confirmando. Neque juvantur exemplo Nicodemi, qui noctu Christum adibat, *Joh.3.2.* Nam neque Nicodemi factum excusari potest, neque tantam ipse habuerat tùm temporis Christi cognitionem, quantâ pollent isti Hypocritæ, neque prorsus Synagogæ, quæ nondum sublata fuerat, renunciare potuit, sicut jubemur renunciare Babyloni, *Apoc.18.v.4.* neque ipse prorsus ἀμέμπτως vixit. Nam & Christum in Synagoga defendit, *Joh.7.50,51.* & tandem ipsum in Cruce extinctum, operâ Josephi Arimathæensis adjutus, publicâ honestâ sepulturâ, neminem reformidans, condecoravit. *Joh.19.38.&c.*

Quæst. VII. An prava facinora, si fiant absque aliquo conscientiæ scrupulo, sint excusanda? *Rat.dubit.* Quia Apostolus *vers.22.b.* dicit, *eum beatum esse, qui non condemnat se-ipsum in eo, quod approbat.*

Resp. Cum Calvino *multùm interesse inter stuporem & judicium. Qui delectum habet in rebus, ille, si probè æstimata re & perpensa non mordetur malo conscientiæ testimonio, beatus est.* Alia eorum ratio qui malefactis *ignorantiam prætendunt, quum torpore & socordia implicitus sit eorum error*: ut taceam eos, qui ἀναισθήτως ac veluti cauteriatam habent conscientiam, ut ne quidem à sceleribus agnitis abhorreant.

Quæst. VIII. Quid sentiendum sit de operibus, quæ fiunt ante fidem ex libero Hominis arbitrio, & ex *puris*, ut vocant, *naturalibus*? Quid item de virtutibus policitis & moralibus gentilium? *Rat.quærendi*: quia Apostolus *vers.23.* dicit: *quicquid ex fide non est, peccatum esse.*

Resp. I. Sophistæ quidem docent, *Merita*, quæ vocant, *congrui* & præparationes ex libero Hominis arbitrio, antecedere fidem ejus & conversionem. Ast citiùs ex pumice aquam, quàm ex irregeniti Hominis arbitrio aliquod morale verè bonum expresseris. Si mortuus suis viribus se possit disponere & præparare ad recipiendam vitam: poterit ille, quem Scriptura dicit *mortuum esse in peccatis, Joh.5.25. Luc.15.32. Eph.2.1,5. Col.2.13.* aliquas habere inclinationes, motus & actus præparatorios ad sui conversionem. *Jer.13.23.* Et quanta est impudentia, jactare ante fidem in irregenito aliquod Meritum congrui? cùm nec quicquam in eo sit congruum Legi Dei, *Rom.3.19. & 7.7.&c.* imò non possit aliud quàm peccare, *Gen.6.5. & 8.21.* cùm arbor mala non nisi fructus malos proferre possit, *Matth.7.18.* neque si tale aliquid in ipso occurreret, posset alicujus *Meriti* habere rationem, cùm veniret in rationem *Debiti*, uti sæpè dictum.

II. Hinc quoque patet, quid de *virtutibus Gentilium* sentiendum veniat. Augustinus haud immerito eas vocat *splendida peccata*, quia sub fuco virtutis, tanquam moneta aliqua adulterina, auro superinducto extrinsecùs coruscans; occultant internam pollutionem: dum non fiunt ex fide, *absq; qua*, Apostolo teste, *quicquid fit, peccatum est.*

Excipitur à Pontificiis, 1. agi heic ab Apostolo non de fide in Christum, sed de fide particulari circa res adiaphoras: ut peccare dicatur, qui in earum usu vel abusu aliquid agit contra conscientiam, aliud intùs credendo, aliud foris agendo. 2. Aliud esse *agere* aliquid *sine fide*, quod non semper malum sit; aliud *agere contra fidem* & conscientiam.

Resp. 1. Concedi potest, Apostolum agere de fide particulari circa adiaphora: quò minùs autem ejus sententia extendi possit ac debeat ad fidem in Christum; nihil prorsus impedit. imò κατὰ βίασμα à minori ad majus hæc valet

CAPUT XV.

CAPUT hoc duas comprehendit partes.

I. *ADMONITIONEM* de *Officio* nostro erga Fratres infirmos.

II. *PERORATIONEM* seu *Conclusionem* Epistolæ, quæ postea *Capite seq.* continuatur.

PARS I. CAPITIS.

ADMONITIO continetur *v.1—13.* Superiore Capite cœpta fuerat: nunc prima hujus Capitis parte continuatur, eo tamen cum discrimine, quòd *Capite praeced.* fuerit *specialior*, quando Apostolus docuit fideles, quomodo in usu rerum indifferentium, ac nominatim ciborum dierumque festorum, se gerere debeant, ut scil. caveant sibi tum à fratrum aliorum vel contemptu vel condemnatione: tum à scandalisatione sive offensione infirmorum.

Hujus autem Capitis Admonitio est *generalior*, ostendens *in genere*, quomodo qui in fide sunt robustiores alios ἀσθενοῦντας seu infirmos tractare debeant. Est autem hæc *Admonitio* gemina, eaq; repetita, non tamen ταυτολόγως sed ἐξηγητικῶς, per suberiorem declarationem & confirmationem.

PRIOR ADMONITIO.

Apostolus eam comprehendit verbis seqq.

Vers.1. *Debemus autem nos, qui firmi* (sumus,) *infirmitates imbecillorum portare, ac non indulgere nobis ipsis.*

Vers.2. (Itaque) *unusquisque nostrum proximo placeat* (ipsius) *bono,* (id est) *ad* (ejus) *ædificationem.*

Vers.3. *Etenim Christus non placuit sibi-ipsi, sed sicut scriptum est:* Convitia eorum, qui conviciantur tibi, in- Psal.69.10.
ciderunt in me.

Vers.4. *Nam quæ ante scripta sunt, ad nos docendos ante scripta sunt: ut per tolerantiam & consolationem Scripturarum spem retineamus.*

Verſ.5. *Deus autem* (author) *tolerantiæ & conſolationis det vobis, ut itidem alij in alios affecti ſitis, ſecundùm Chriſtum Jeſum.*

Verſ.6. *Vt concorditer uno ore glorificetis Deum ac Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

His verbis Apoſtolus *Admonitionem* ſuam 1. *Proponit.* 2. *Confirmat.* 3. *Concludit* voto.

Verſ.1.& 2. I. *Propoſitio* habetur *verſ.1.& 2.* Ubi Apoſtolus monet,

α. *Quid* agendum. *Fide firmi debent portare aliorum infirmitates*, id eſt, non debent propter infirmitates eos contemptim habere, abijcere vel etiam condemnare; ſed cum manſuetudine & lenitate Spiritus eos tractare, & in id potiùs incumbere, ut ſubleventur & confirmentur. Per *infirmitates* autem poſſunt intelligi infirmitates, tum

1. *Fidei*, ne infirmos in fide confeſtim abijciamus. Tales ſunt 1. qui adhuc debilem habent rerum fidei *cognitionem*, & in multis ceſpitant ac dubii hærent: quales erant, qui ex ignorantia libertatis Chriſtianæ diſcrimen ciborum & dierum religiosè obſervabant. 2. debilem habent *fiduciam*, in cruce atque tentationibus pavidos & proſtratos ſe exhibent.

2. *Vitæ*, ut qui ex infirmitate carnis labuntur in varia peccata, de quibus etiam alibi agit Apoſtolus, *Gal.6.1,2.*

β. *Quomodo* infirmi portandi ſint. Dupliciter,

1. Per *abnegationem Noſtri ipſius*, ſive depoſitionem & abjectionem τῆς φιλαυτίας, nobis congenitæ, quò reſpicit Apoſtolus, quum *v.1.b.* monet, *ne placeamus aut indulgeamus nobis ipſis.* Sic vult, Medicorum prudentium inſtar, curam inchoare à remotione cauſæ morbi. Quæ enim alia cauſa, quod infirmi ab aliis contemnantur & abijciantur, quàm quòd hi ſibi nimis placeant & indulgeant, id eſt, quòd non ſolùm ſint, ut loquuntur, *præſumptuoſi*, & nimiùm ſibi imaginentur ac polliceantur de ſua ſcientia & fide; ſed & *ſupercilioſi*, & neglecto aut inſuper habito proximo, ſuarũ tantùm rerum & libertatis ſatagant, quod fecerant fideles inter Romanos, qui ſibi in fide, ſive cognitione libertatis Chriſtianæ uſque adeò placebant, ut non habita infirmorum ratione, non ſolùm diſcrimen ciborum & dierum ne-

rum negligerent, sed & fideles inter Judeos, illius observantes, contemnerent.

2. Per *curam aut sanationem Fratris infirmi*, v.2. *Unusquisque nostrûm proximo placeat, &c.* Sensus est, ut quisque se per aliquam συγκατάβασιν accommodet infirmitati proximi fratris infirmi, & studeat ipsi satisfacere.

Διότι. Ibid. εἰς τὸ ἀγαθὸν πρὸς οἰκοδομήν: ne Apostoli sententia videretur eò usq; extendenda, quasi nostrâ conniventiâ aut permissione, vel exemplo, ipse in re aliqua per se mala & à Deo expressè prohibita, confirmandus esset: quæ quidem non foret *ædificatio*, sed destructio proximi.

II. *Confirmatio* continet *Argumenta*, quæ desumpta sunt à consideratione

α. *Fidelium*, qui fortes sunt in fide, v.1. Ὀφείλομεν, *Debemus autem nos, qui firmi sumus, &c.* Itaq; argumentum ducitur ab adjuncta firmitate fidei, ut sensus sit: Æquum est, ut qui robustiores sunt in fide, aliorum infirmitates portent. propterea enim robur à Deo acceperunt, ut non solùm sibi ipsis, sed & fratribus infirmis consulant & adjumento sint. [*Simil.*] sicut, qui doctrinæ, sapientiæ, imò etiam temporalium bonorum, v.g. divitiarum, ubertatem præ aliis nacti sunt; talia bona & dona non solùm ad proprium sed & proximi alterius egentis necessitatem & commodum adhibeant: ad instar fontis alicujus, qui ex scaturigine aquam haurit nō tantùm pro se, sed pro omnibus viatoribus. *Simile* aliud: sicut etiam videmus in corpore Humano membrum sanum & validum succurrere membro alteri infirmo & ægroto.

β. CHRISTI ejusque *exempli*, v.3. *Etenim Christus non placuit sibi ipsi, &c.* Sic vult ratiocinari Apostolus: Vers.3.

Quod Christus egit erga nos, id nobis quoque agendum incumbit erga fratres. Ipsius enim actio nostra est institutio. Cur discipulus non imitetur Magistrum, servus Dominum?

Atqui Christus sibi ipsi non placuit, id est, sui, propter nos, aut salutis nostræ causâ, non habuit rationem, sed ut alibi loquitur Apostolus, *Phil. 2. v. 6. &c. quùm in forma esset Dei & par Deo, ἑαυτὸν ἐκένωσε*, se ipsum *inanivit*.

formâ servi acceptâ,&c. & magna cum patientia toleravit infirmitates nostras, *tentatus in omnibus similiter nobiscum, absque tamen peccato. Heb.4.15.*

Ergo æquum est, ut ipsum imitemur, & alii aliorum infirmitates portemus.

Major Propositio ab exemplo Christi est fundatissima. Nam si Filius Dei ἀναμάρτητος toleravit nostras infirmitates; cur nos hanc tolerantiam negaremus infirmis fratribus, qui in eodem adhuc luto infirmitatum hæremus cum ipsis? *Jac.3.2.* Si Filius Dei nostrûm, tanquam inimicorum, sustinuit omnia opprobria & maledictiones usque ad mortem horrendam crucis: cur nos refugeremus, exiguas infirmitates fratrum nostrorum portare? Cur, quod Filius Dei nostro loco & bono portavit cum suo damno, id nos non portaremus magno nostro cum lucro?

Minor Propositio ab Apostolo probatur *v.3.b.* ex oraculo, quod extat *Psal.69.v.10. Zelus domus tua exedit me, & opprobria probris afficientium te acciderunt mihi.* Ubi Christus in persona Davidis, ceu typi, conqueritur se (in passione videl. sua) convitia Hostium suorum & Patris sui cœlestis sustinuisse, dum scil. peccatorum nostrorum & opprobriorum, quibus Deum offendimus, pœnas sustinuit, *Jes.53.* factus ipse opprobrium, vermis, ludibrium & contemptus populi, *Psal.22.7.*

Vers.4. *Observ.* heic Apostolum *proleptice* voluisse occurrere tacitæ *Objectioni*: Quid ad nos hoc oraculum & exemplum? de Christo dicitur, non de nobis.

Respondet Apostolus, *v.4.* omninò ad nos quoque pertinere: *Nam quæ ante scripta sunt, &c.* Significat, meo judicio, non solùm quæ ante fuerunt prædicta, tanquam eventura; sed &, quæ tanquam jam gesta olim perscripta sunt, (uti monebo deinceps in *Quæstionibus*) etiam ad nostrum usum pertinere, ut serviant nostræ institutioni, admonitioni, consolationi.

γ. DEI OPT. MAX. *Patris cœlestis*, tum

Vers.5. 1. *Exempli, v.5.* Vocatur enim *Deus τῆς ὑπομονῆς καὶ παρακλήσεως, Deus tolerantiæ & consolationis*, sicut alibi, *2.Cor.1.v.3.* Si DEUS inenarrabili bonitate in nostra creatione, tolerantia in nostra

ſtra conſervatione, & miſericordia in noſtra per Filium ſuum Jeſum Chriſtum redemptione uſus fuerit; & in ſingula momenta nos non ſolùm infirmiſſimos,ſed & propter peccata quotidiana indigniſſimos Homines,ſuâ μακροθυμίᾳ, tolerantiâ & beneficentiâ dignetur: cur proximo & fratri infirmo guttam aliquam charitatis noſtræ,quæ Oceano bonitatis divinæ reſpondere nequit,denegaremus?

2. *Gloria*, cujus intereſt, *verſ.6. Vt concorditer uno ore glorificetis Deum,&c.* Hoc argumentum urget Apoſtolus, ut medeatur ſchiſmati, quod tum temporis gliſcebat inter Gentiles & Judæos converſos. Sanè nulla re magis cultus veri *Dei*, qui *Pater eſt Domini noſtri Jeſu Chriſti*, & conſiſtit in ejusdem invocatione & glorificatione, turbatur; quàm mutuis rixis, contentionibus & animorum diſtractionibus: ſicut in Muſica vocum aut cordarum ἀσυμφωνία aufert omnem illius gratiam, & nauſeantes occupat auditores. *Rat.* Quia fideles 1. ſibi ipſis ſunt obſtaculo. 2. offendunt alios infirmos. 3. infidelibus & adverſariis occaſionem præbent ad blaſphemiam & maledicentiam, quod,proh-dolor! hodie nimiùm docet experientia. *Verſ.6.*

III. *Concluſio.* Εὐχῆ, *Voto*,claudit Apoſtolus *priorem* Admonitionem *v.5,6. Neceſſitas* hujus *Voti* inde patet,quod ex nobis ipſis non ſimus idonei ad officium noſtrum præſtandum, inprimis ad mutuam pacem colendam, cùm naturâ ſimus uti στυγητοί, odioſi, ita μισοῦντες ἀλλήλους, *alii alios odio proſequentes, Tit.3.3.* ſed omnis noſtra ἱκανότης ex Deo ſit, *2.Cor.3.5.* Indicat itaque Apoſtolus *Verſ.5.6.*

1. *Ad quem* votum ſuum dirigat. Ad *Deum*, quem vocat *Deum tolerantiæ & conſolationis, v.5.a.* ab *effectu* · quia is nobis author eſt tolerantiæ & conſolationis. Sic alibi, *2.Cor.1.3,4.*

2. *Quid* hoc voto à Deo petat: Ὅτι. mutuam fidelium ὁμοφροσύνην, conſenſionem & concordiam, *v.5.b. Det vobis* (Deus) *ut itidem alii in alios affecti ſitis.* Addit, *ſecundum Jeſum Chriſtum*, ut inſinuet vinculum iſtius concordiæ, quæ non poteſt locum habere niſi in Chriſto, extra quem nulla nobis neque cum Deo, neque inter nos ipſos mutua conſenſio: cùm *in ipſo* ſolo ἀνακεφαλαίωσις *facta ſit omnium, tum quæ in cœlis ſunt, tum quæ in terra. Eph.1.10. Col.1.20.*

3. *Quo fine.* Διότι. ad Dei gloriam videlicet nominis ipſius celebratio-

brationem, *v.6. Vt concorditer uno ore glorificetis Deum,&c.* Vbi enim mutua fervet animorum diſſenſio, *δοξολογία* Dei locum habere nequit, ſicut nec in inſtrumento Muſicali concentus & melodia grata locum habere poteſt, in quo *διαφωνία* & diſſonantia cordarum occurrit, uti jam dictum.

ADMONITIO POSTERIOR.

ADMONITIO POSTERIOR habetur in verbis ſequentibus.

Verſ.7. *Propterea aſſumite alii alios, ſicut & Chriſtus aſſumpſit nos in gloriam Dei.*

Verſ.8. (Illud) *autem dico, Jeſum Chriſtum Miniſtrum fuiſſe circumciſionis, pro Dei veritate, ut confirmaret promiſſiones Patrum.*

Pſal.18.50. Verſ.9. *Et ut Gentes pro miſericordia glorificent Deum, ſicut ſcriptum eſt: Propterea celebrabo te inter Gentes, & nomini tuo pſallam.*

Deu.23.48. Verſ.10. *Et rurſum dicit: Gaudete Gentes cum populo ejus.*

Pſal.117.1. Verſ.11 *Et rurſum: Laudate Dominum omnes Gentes, & collaudate Deum omnes populi,*

Jeſ.11.10. Verſ.12. *Et rurſum Eſajas dicit: Erit radix Jeſſe, & qui exurgat ad imperandum Gentibus: in ipſo Gentes ſperabunt.*

Verſ.13. *Vtinam verò Deus ſpei impleat vos omni gaudio & pace credendo, ut ſpe abundetis per virtutem Spiritus Sancti.*

Ea eſt naturæ noſtræ ſegnities & torpedo, ut opus habeamus continuis calcaribus ac ſtimulis, quibus incitemur ad curſum pietatis erga Deum & charitatis erga proximum. Eâque de cauſa non contentus Apoſtolus, ſemel admonuiſſe fideles ad mutuam pacem & concordiam colendam, nunc repetit, & magis inſuper firmat Admonitionem præmiſſam in his verbis, idque eodem, quo priùs uſus eſt, ordine. Occurrit enim in his verbis.

I. *Propoſitio*, quæ complectitur Admonitionis ſummam, quam Apoſtolus (quod particula Διὸ arguit) ex præcedentibus concludit *v.7.a.* Διὸ προσλαμβάνεσθε ἀλλήλους: *Propterea aſſumite alii alios.* Conſiderand.

1. Quos

1. *Quos* admoneat sui officii. Non aliquos tantùm alloquitur, sed omnes, videlicet fideles ex *Gentibus*, quales erant Romani, & *Judæis*: tùm eos, qui *fortes*, tùm qui *infirmi* sunt in fide, ut utrique sui officii meminerint.

2. *Quid* ab iis exigat, ut *assumant se invicem*, utì suprà *Cap.14.1.* *Assumere* autem est, non abjicere vel per contemptum vel per condemnationem. Nam utrumque vitium, ut suprà monitum, gliscebat tunc in Ecclesia Romana. Fideles, fortiores fide ex *Gentibus*, contemnebant infirmos ex *Judæis*, propter discrimen ciborum & dierum, quod inter ipsos vigebat. Rursum *Judæi* fideles ex *Gentibus* judicabant, tanquã contemptores & transgressores Legis Mosaicæ: quia nondum plenam Libertatis Christianæ in rebus adiaphoris cognitionem erant assequuti. Vult ergo Apostolus, ut cesset inter ipsos dissensio, & sese mutuò in Christo tolerent & complectantur, per studium pacis, concordiæ & charitatis. Vtinam verò tam præclara & necessaria Apostoli admonitio hodie locum invenire posset in Ecclesia Christiana, inprimis, quæ Papatui valedixit! non tot scandalosis & deploratis dissensionibus atque schismatibus ea distraheretur ac veluti discerperetur.

II. *Confirmatio*, quæ iterum petitur ab exemplo CHRISTI, uti supra *v.3.* Hoc exemplum ab Apostolo *Vers.6.7.*

ℵ. *Proponitur, v.7.b. sicut & Christus assumpsit nos in gloriam Dei.* Quatuor hinc eliciuntur argumenta, invitantia ad obedientiam Admonitionis Apostolicæ, desumpta à consideratione

1. *Personæ assumentis*, CHRISTI videlicet. *Ipse* enim dicitur *nos assumpsisse*, qui vult nos se imitari, *Matth.16.24.* Cujus ipsum non puduit, cur nos suppuderet? Nunquid ipse major nobis? Is Deus est, nos Homines: ipse Filius Dei naturalis, nos adoptivi in ipso: ipse innocens, nos nocentes.

2. *Personæ assumptæ.* *Assumpsit* NOS, scilicet tum ex *Gentibus* tum ex *Judæis*, quorum utrique fuerant conclusi sub peccato, maledictione Legis & ira Dei, *Rom.3.9,19. & 11.32.* An eorum ergo nos pudere oporteret, quos Christus sua assumptione, misericordia & amore dignatus est? Itaque

do ab eorum gente descendit, *Rom. 9.3. &c.* inter ipsos natus, educatus, vixit, docuit, signa edidit, intra fines eorum sese continuit, inter ipsos denique mortuus, sepultus & resuscitatus est.

b. Quod Christus, quantumvis eorum fuerit Dominus & Rex ille olim promissus, tamen eò usq; se submiserit, ut factus fuerit eorum *Minister*. Nam & servi formam assumpsit, & in ea non sibi ministrari sed aliis ministrare voluit, *Matt.* 20.28. adeò ut Discipulis suis etiam pedes lavare haud fuerit dedignat⁹, *Joh. 13.4. &c.* & tandem pro fratribus suis animam posuerit. Monentur ergo ab Apostolo fideles ex Gentibus, ne Judeos, quos Christus suo ministerio dignatus fuit, abijciant & contemnant.

2. Διότι. Ne Judæi propter hanc suam prærogativam insolescerent & Gentilibus insultarent, Apostolus porrò eam asscribit tantùm fidei & *veritati Dei*, sive constantiæ Dei in promissionibus, ut auferat ipsis omnem præsumptionem propriæ dignitatis & meritorum. Ideò addit *v. 8. b. pro Dei veritate, ut confirmaret promissiones Patrum*, id est, Patribus factas, videl. de Christo, MESSIA, semine ex ipsis orituro, & quidem secundùm gratiosum Dei fœdus, cum ipsis initum. *Vers. 8. b.*

B. Ad GENTES postea descendit, ne *Judæi* putarent CHRISTUM ad ipsos tantùm pertinere, *vers. 9. &c. Et ut Gentes pro misericordia, &c.* Ubi Apostolus indicat: *Vers. 9. a.*

1. Ὅτι, *Gentes* quoque post *Judæos fuisse à Christo assumptas.*

2. Διότι: Eum in finem, *ut Deus ab ipsis glorificetur.* Ac ne *Gentes* propter suam assumptionem, inprimis post repudium & abjectionem *Judæorum*, superbirent, & typho aliquo suæ dignitatis aut meritorum inflarentur, addit: *pro misericordia* ut innuat, eorum assumptionem esse immeritum & indebitum opus ac beneficium solius gratiæ & misericordiæ Dei, sicuti etiam supra *cap. 11.15.* dixerat, *eorum assumtionem nihil aliud fuisse, quàm vitam ex mortuis:* quippe qui jacuerant in horrendis tenebris ignorantiæ, idololatriæ, & mortui fuerant in peccatis & omnis generis abominatio-

nibus,de quibus suprà egerat Apostolus *Cap.1.v.24,&c.* Sic *Eph.2.1,& 4.18.* & *Col.2.13.*

3. Ne *Judæi*, quod dixerat de *Gentium* assumptione, existimarent esse absonum, probat id Apostolus ex quatuor S.Scripturæ oraculis.

Vers.9. b.& 10.& 11,& 12. *Primum* occurrit *Psal.18.v.50. Celebrabo te in Gentibus, & nomini tuo psallam.* Repetitur *2.Sam.22.50.* David hoc loquutus fuit moribundus, ut non possit aliter accipi, quàm quòd typicè in Persona Christi ex ipso nasciturі loquutus fuerit, per quem nomen tandem Dei,post præconium Evangelij inter Gentes,fuit celebratum.

Secundum habetur *Deut.32.vers.43. Cantate* (Paulus ex LXX. Gaudete) *Gentes, populus ejus.* Apud Paulum inter vocabulum *Gentes* & *populum ejus*,(Dei) intercurrit copula *καὶ, &*, quâ notare voluit conjunctionem Judæorum & gentium in unum corpus Ecclesiæ, per *φραγμὸν τοῦ μεσοτοίχου*; *rupturam maceriæ inter Judæos & Gentes*, de qua alibi, *Eph. 2.vers.14.*

Tertium extat *Psal.117.1. Laudate Jehovam omnes Gentes; collaudate eum omnes populi.* Quæ alia foret laudis materia, quàm communio ejusdem salutis in Ecclesia ex Judæis & Gentibus congregata?

Quartum habetur *Jes.11.10. Erit autem die illo radix Jesse* (sic vocatur CHRISTUS, tanquam filius Davidis, ex succisa stirpe Jesse, seu Isai, Patris Davidis, nasciturus, *Jes.11.1.*) *qui consistet, ut signum sit populis. Ad ipsum Gentes consultum venient, eritq; requies ejus gloriosa.* Paulus hunc locum concisiùs allegavit,sed satis & plenè ad scopum, quia evidentissimè commendat Vocationem Gentium ad communionem Regni Christi.

Vers.13. III. *Conclusio* constat iterum *Voto*, quo finitur *secunda Admonitio,v.13. Utinam verò Deus spei impleat vos,&c.* Admonitionem stipat & suffulcit de novo precibus & voto ex imo pectore profecto, quia opis Humanæ non est,verbo Dei morem gerere,sed doni & gratiæ Divinæ. *Observand.*

1. Ad

1. *Ad quem votum dirigatur.* Ad DEUM, qui omnium nostrorum votorum & precum est unicum asylum. Vocat ipsum θεὸν τῆς ἐλπίδος, *Deum spei*, quod potest intelligi partim *objectivè*, quia omnis nostra spes & fiducia in eo solo est collocanda: partim *effectivè*, quia sperata juxta suas promissiones implet & largitur.

2. *Quid voveat* & precetur. *Utinam impleat vos omni gaudio & pace, &c.* Indicat Apostolus

   α. Τὸ ποῖον, *Quale.* Bona præclara spiritualia, in quibus Regnum Dei antea *Cap.14.v.17.* collocatum esse dixerat: videl.

   Gaudium, Pacem, Fidem, Spem, quæ omnia sunt connexa & sibi inicem mutuò consecutiva.

   Gaudium est spirituale, quo gaudemus in Deo & Christo, gratia videl. Dei & salute per Christum parta.

   Hoc Gaudium nascitur ex *Pace*, videl. nostra cum Deo reconciliatione, & mutua inter nos Charitate.

   Pax oritur ex *Fide*, & Fides postea secum trahit *Spem.*

   β. Τὸ πόσον, *Quantum*: prædictorum spiritualium donorum continuum incrementum. Ideò dicit: *Deus impleat vos.* Item: *ut abundetis.* Continuo enim augmento fidelibus opus est.

3. *Per quod medium* ista dona sint conferenda & obtinenda: *per virtutem Spiritus Sancti*: Neque enim ulla est nostra ἱκανότης *ex nobis-ipsis, sed omnis ex Deo, 2.Cor.3.5.* tanquam *Patre Luminum, à quo omnis donatio bona desuper descendit, Jac.1.17.* & quidem per Spiritum ejus Sanctum, qui operatur omnia in omnibus. *1.Corinth.12.vers.6.*

QVÆSTIONES,

ex Cap.XV.vers.1----13.

Quæst. I. An connivendum sit ad omnium fidelium infirmitates & lapsus? *Rat. dubit.* pro *affirmativa* sententia. 1. quia Paulus *vers.1.* nos vult *portare* sive tolerare *infirmitates imbecillorum.* 2. quia dehinc *v.2.* vult *unumquemque debere placere suo proximo.* & alibi seipsum sistit in exemplum, *1.Cor.10.33.* Pro *negativa* videtur militare locus contrarius, *Gal.1.10. An ego quæro Hominibus placere, &c.*

Resp. Jam supra ad *Cap.XIV.v.1. Quæst.1, & 2. pag.478. & seq.* monitum est

de tolerantia τῶν ἀδιαφόρων in rebus fidei. Nunc aliquid monebo de tolerantia fidelium, qui suas infirmitates & nævos produnt in vita & moribus per varios lapsus.

I. Distinguo inter Lapsûs tum *causas* tum *gradus*. Lapsus contingunt vel ex ignorantia mentis, vel ex infirmitate carnis, vel ex malitia cordis. Lapsus *ignorantiæ* non petulantis condonari potest uti novimus Christum tolerasse in Discipulis multos ignorantiæ nævos. Lapsus *infirmitatis* consimiliter, cum in multis impingamus omnes. *Jac.* 3.2. & idem ignoscendi & tolerandi jus ex charitatis regula, *Matth.* 7. *v.* 12. debeamus proximo, quod nobis ab ipso deberi existimamus. *Malitiæ* autem, præsertim obstinatæ, lapsus in nullo fideli tolerandus, sed modis omnibus coërcendus, cùm aliorum malitiam non debeamus fovere nostra lenitate. Jam *Gradus* quod attinet, Lapsus alij sunt *leviores*, vacantes scandalo, qui tolerari possunt: alij *graviores*, conjuncti cum scandalo eoq; vel leviori, quo offenduntur pauci; vel graviori, quo offenduntur multi, & non rarò integra aliqua Ecclesia. Hejc prudentia dictabit, quid magis vel minùs, vel prorsus non sit ferendum.

II. Distinguo inter tolerantiam. 1. Ratione *Objecti*. Alia est labentis & peccantis personæ; alia lapsus ipsius. Persona labens & peccans per charitatem ferri & tolerari potest absque præjudicio condemnationis nostræ: lapsus interim uti in se sunt damnabiles, ita nobis quoque debent esse detestabiles. 2. Ratione *Modi*. Tolerantia alia est *indulgentiæ* & veniæ, quâ proximo condonamus ejus infirmitates ac nævos, quod utique æquitatis & charitatis est: alia est *negligentiæ*, quum intermittitur officium debitæ correctionis & emendationis peccantis fratris; inprimis ab ijs, quos ex vocatione speciali id præ alijs facere par est. Hæc tolerantia damnabilis est, qualis damnatur in cæcis & pigris Pastoribus, *Jes.* 56.10. *Ezech.* 13.18 *& seqq.* alia denique *imitationis* & *conformitatis*, quâ ita peccantes tolerantur, ut quis se conformet ipsorum genio & moribus ad aucupandum vel retinendum ipsorum amorem ac favorem, & declinandum eorum odium & inimicitiam. Talis tolerantia est longe deterrima, quando per eam non solum proximus in suis peccatis obfirmatur, sed etiam ille, qui se ipsi conformat, eidem cum eo gurgiti se immergit ejusdem exitij. *Rom.* 12.2. 1. *Cor.* 11.32.

III. Locum hunc Pauli *Rom.* 15. *vers.* 1 2. quod attinet, loquitur Apostolus non de quibusvis infirmitatibus fidelium, sed de ea infirmitate, quâ fidelis ex libertatis Christianæ ignorantia superstitiosum & solicitum se exhibet in observando discrimine ciborum, uti nexus hujus & præcedentis Capitis evincit, & in Analysi pluribus est declaratum. Hinc idem Apostolus fideles monet *v.* 2. ut in gratiam infirmorum, adhuc in talibus Judaizantium, restringant suam libertatem, eum in finem, ut possint eos lucrifacere. Hinc statim addit: εἰς ἀγαθὸν, πρὸς οἰκοδομήν: satis innuens, non in rebus per se malis & illicitis condescendendum esse ad proximi infirmitates, sed tantùm in abstinentia & usu rerum ἀδιαφόρων aut mediarum, quò etiam collimat exemplum Apostoli citatum ex 1. *Cor.* 10.33. quod *Capite* IX. *praced.* pluribus explicuerat. Hinc tandem locus. *Gal.* 1.10. nequaquam in contrarium militat, quia ibi Paulus non agit de vita & moribus, sed de doctrina Evangelij, in cujus prædicatione indicat se non agere, ut dici solet, placentinum, qui se magis Hominum placitis, quam veritati Divinæ accommodare, magis aliorum favorem, quàm officii sui Apostolici integritatem conservare velit.

Quæst. II. Rectè ne ab Apostolo *vers.* 3. citetur locus ex *Psal.* 69.10? *Rat. dubit.* 1. Quia David ibi loquitur de se: Paulus autem refert ad Christum. 2. Quia Apostolus ex illo loco, exemplo Christi, qui portarit nostra peccata, vult commonefacere fideles, ut portent aliorum infirmitates. Atqui videtur Psaltes ibi loci, quum dicit, *opprobria convitiantium Deo in se recidisse*; nihil aliud voluisse dicere, quàm quòd, propter blasphemias ab Hostibus suis in Deum con-

jectas,

jectas, summâ fuerit affectus tristitiâ: vel quòd, cogitando de istis blasphemiis, non aliter fuerit affectus, ac si ipsemet ab iis fuisset impetitus. Hinc præmittit verba:

Zelus domus tuæ exedit me.

Resp. De conveniente allegatione & accommodatione loci Davidici à Paulo, tanquam θεοπνεύστῳ, non est dubitandum. 1. Loquitur quidem David in illo Psalmo, sed in Persona Christi, tanquam illius typus. Hinc quoque verba antecedentia de *Zelo Domûs Dei* alibi applicantur Christo, *Joh.2.v.18.* 2. Nulla in Apostolica allegatione & applicatione occurrit tortura. Quanquam enim David ibi Zelum suum erga Dei honorem & gloriam contra Hostium opprobria asserat: tamen non obstat, quò minus locus accommodetur ad Christum, qui nostra pertulit opprobria atque peccata: cùm analogia sit evidentissima.

Rat. 1. Quia, sicut David innocens opprobrijs ita fuit impetitus ab hostibus, ut propter illa fuerit habitus ab aliis nocentissimus: sic Christus propter nostra peccata, opprobria & blasphemias, habitus fuit pro peccatore & blasphemo, quia nostra peccata in eum fuerunt conjecta, *Jes.53.4,5.* nostra opprobria & blasphemiæ, quibus Dei majestatem læsimus, ipsi fuerunt imputatæ, ut tanquam blasphemus necesse habuerit ad mortem condemnari, *Matth.26.65.* 2. Sicut David Zelo & dolore affectus propter illa opprobria, non tam suæ gloriæ & honoris, quàm Dei gloriæ ratione habuit; quippe qui noverat, Dei gloriam per suum, tanquam Vncti ejus, latus peti: ita Christus dolore affectus fuit, propter nostra peccata & opprobria in ipsum conjecta, quia noverat Deum Patrem in ipsius, tanquam Filij Dei, persona blasphemari. 3. Imò, quod majus est, & in quo ipso longè superavit Davidem, quòd voluntariè opprobria omnia voluit sustinere nostro loco propter Dei gloriam, ut videl, hac ratione posset justitiæ Dei satisfieri, sicut alibi Paulus scribit: *Deum eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecisse, ut justitia Dei fieremus in ipso. 2.Cor.5,v.ult.* 4. Hinc per consequentiam validissimam Apostolus vult concludere: cùm Christus, innocens licèt, propter gloriam & patefactionem justitiæ Dei, voluerit nostra, qui Hostes Dei & ipsius fueramus, opprobria atque peccata portare: nos etiam, qui in multis adhuc sumus nocentissimi, haud dedignari debere, aliorum fidelium & fratrum infirmitates portare, neque eos confestim abijcere.

Quæst. III. Cur Apostolus, *v.4. tolerantiam & consolationem Scripturæ* tribuat: quam tamen utramque postea *v.5. Deo* videtur appropriare, quum eum vocat *Deum tolerantiæ & consolationis.*

Respon. brevis & facilis est. Deo tribuitur tanquam causæ efficienti principali, Scripturæ autem, tanquam instrumentali. *Solus* enim *Deus* (verba sunt Calvini) *patientiæ & consolationis author est, quia utramque cordibus nostris instillat per Spiritum suum: verbo tamen suo velut instrumento ad id utitur. Docet enim primò, quæ sit vera consolatio, & quæ sit vera patientia: deinde illam doctrinam animis nostris inspirat ac inserit.*

Quæst. IV. An nulla prorsus dissensio inter fideles possit aut debeat tolerari? Ex *v.5. & 6.*

Resp. Distinguendum esse inter *dissensionem animorum & cordium.* Illa est discre-

discrepantia judicij de re quacunq; in quęstione de veritate vel falsitate: hæc affectuum, quæ secum trahit iram, invidiam, odium, inimicitiam, maledicentiam, lites atque discordias, per quas societas aliqua turbari vel etiam dissolvi solet, uti sunt v.g. schismata in Ecclesia.

α. *Consensus animorum & ὁμοφρόνησις* in omnibus rebus obtineri nequit, iuxta illud *πολυθρύλλητον: quot capita, tot sensus.* Sed heic iterum distinguendum inter res circa quas vel consensus vel dissensus occupatur. 1. In rebus v.g. Philosophicis, œconomicis, politicis, mechanicis, negotiatorijs, (quando non periclitatur gloria Dei, salus publica, & proximi, vel etiam mea propria conscientia, cum prorsus nihil contra conscientiam sit agendū, iuxta dictamen Apostoli, *c.14.præc.v.22,23.*) inter se dissentire incolumi semper licuit amicitia. 2. In spiritualibus, quæ pertinent ad hominis salutē, quæq; à Deo in Verbo ipsius nobis revelata sunt, dissentire minùs licet. Attamen & heic grano salis opus est, ad hoc rectè percipiendum. Quæ in S. scriptura (ea enim sola est & nobis esse debet Verbum Dei) occurrunt θεμέλια & fundamentalia gloriæ Dei & salutis nostræ, v.g. Articuli fidei; ea ὁμοθυμαδὸν, ut loquitur heic Apostol. *v.6.* sive unanimi consensu sunt recipienda. Quæ verò non sunt fundamentalia, id est, quæ fundamentum Religionis Deo gloriosæ & nobis salutaris, non proximè attingunt, vel attingunt absque noxa, ariete aliquo frustraneo, inprimis præter militantium scopum, ex aliqua ἀκρασίᾳ τῆς διανοίας, multo minus prorsus subruunt: in talibus, inquam, non semper consensus obtineri adeóque dissensio tolerari potest.

Quò jam quoque refero diversas locorum variorum S. Scripturæ interpretationes, quæ analogiæ fidei non sunt contrariæ: quales passim occurrunt non solùm apud recentes, sed & veteres Ecclesiæ Doctores; imò apud Adversarios nostros ipsosmet, cùm Pontificios, tùm Lutheranos & Vbiquitarios, quibus tamen & solenne & volupe est, nobis exprobrare Spiritus, quibus regamur, contrarietatis & innumerarum distractionum, de quo convitio non attinet nunc pluribus disserere. παναρμόνιον in omnibus quis unquam exspectabit? Itaque varietas ista partim in quibusdam sententijs, extra sphęram sive eclipticam fundamentalium *dogmatum* Religionis, excurrentibus; partim in *Ceremoniis* externis, quæ spectant λειτουργίαν publicam: nequaquam debet obstare paci Ecclesiæ, aut ulli schismati fenestram aperire, ut quum olim VICTOR ille furiosus, Pontif. Rom. Ecclesias Græcas anathemate feriit, quòd Pascha decimaquartâ Lunâ celebrassent. Sic Aegidius Hunnius ausus fuit impudenter Calvino dicam Judaismi scribere, quòd nonnulla S. Scripturæ loca, quæ vulgò accommodari, & non rarò rapi & torqueri solent ad Divinitatem Christi probandam, aliter interpretatus fuerit: ne videl. Religio Christiana Judæorum ludibrio exponatur, & hi in sua impietate & pertinacia magis obfirmentur. Satis autem ejus coccysmi & strophæ à Clariss. Pareo, Theolog. Heidelberg. olim fuerunt profligatæ in Calvino ejus orthodoxo.

β. Jam quod attinet *consensum Cordium*, stant quidem in pari bilance pax & veritas, *Zach.8.19.* Sed interim veritas non est coarctanda ac veluti captivanda intra septa quorumvis circa veritatem dissentientium. Pontificiis nunquam concessimus, ut Conciliorum suorum authoritate & præjudicio nos gravarent; cùm ipsi veteris Ecclesiæ Doctores sani tali præjudicio se teneri non passi fuerint. Quanto minùs hodie patientur Reformati, & cum ipsis omnes sani, quibus mica aliqua salis in cerebro est, ut capistro Formulæ Concordiæ, Pandoræ, inquam, Germanicæ, à paucis Theologis olim consarcinatæ, & dehinc aliis Ecclesiis obtrusæ, se ita captivari & frænari patiantur ut, propter denegatam subscriptionem pax ipsis debeat vel politica vel Ecclesiastica denegari & renunciari, quod quidem jam longo tempore à malè feriatis Adversariis est factitatum? frustraneo interim, Deo sit laus, cum impetu & conatu. Quanto enim majore cum favore ipsi sub prætextu Augustanæ Confessionis, tanquam ab ipsorum tantùm parte stantis (contradicentibus interim non solùm Reformatis Principibus & Theo-

Theologis, sed & ipsismet Pontificijs) Reformatos uti pace, ita polo & solo Germanico excludere fategerunt: tanto majore eorum cum pudore & rubore per novissimum Instrumentum Pacis in Germania, omnes ipsorum tot annorum spatiis tentatæ machinationes, fuerunt profligatæ dissipatæ & in fumum tandem redactæ, ut locum hejc habeat illud Propheticum: *Inite consilium & irritum fiet: loquimini verbum & non existet. Nam hejc est IMMANUEL. Jes. 8.10.*

Sciendum itaque, *pacem*, juxta superius Apostoli monitum *Cap. 12. 18. & Heb. 12. 14. quantum fieri potest colendam esse cum omnibus*, etiam in Religione à nobis dissentientibus: & ne quidem charitatem fraternam, per quam filii Dei mutuò inter se in Christo coalescunt, simpliciter omnibus talibus denegandam: si modò per eorum ἐπιοδοξίαν fundamentum Religionis inconcussum & salvum maneat, cui interim ipsi suas errorum stipulas superstruere solent; quin potiùs tales Spiritu mansuetudinis, tolerantiæ & miserationis fovendi, precibus nostris, apud Deum juvandi & omnibus officiis charitatis lucrifaciendi & in viam veritatis revocandi sunt. Quid enim? An sanum in Corpore membrum ægrum aliud abjiciat statim & abscindat, ac non potiùs modis omnibus ejus ægritudini medeatur? An Christus abjecit Discipulos, non solùm ante sed & post Resurrectionem suam multis adhuc erroribus imbutos? Et nos abjiciamus fratres ὁμοπίστους, errantes & cespitantes in multis? Imo an illi, qui scotomate laborant variorum errorum, &, dum lyncei sibi videntur, talpis sunt cæciores, quales sunt Adversarij nostri; abjiciant & condemnent nos, quorum oculis illucet plenus fulgor veritatis Evangelicæ?

Placet hejc attexere, quæ doctissimus Theologus, Martinus Bucerus, in præfatione suarum Enarrationum in quatuor Evangelia scripsit: *Si antiqui Veteratoris fascinatio obtineat, tot habebimus Ecclesias, quot capita. Nemo siquidem hic vivit absque errore, nullus est, cui non in sacris quoque videatur sapè, quod à vero absit quàm longissimè. Si jam velis Spiritu Christi destitutum judicare, quicunque non idem censeat; & hostem veritatis, qui quod existimat falsum, confutare in animum induxerit; quem, quæso fratrem agnosces? Nam ne unum equidem unquam par Hominum vidi, quod per omnia eadem sentiret, etiam in sacris. Proinde, qui instaurando corpori Christi sese volet, ut par est, accommodare, & in domo Dei cum fructu ac citra offendiculum versari; is probè semper cogitet, tum sibi tum aliis omnibus præter Spiritum Christi & Carnis Spiritū adesse, atque ab hoc sapè illum sic effingi, ut quique sanctissimi hujus sapè figmenta pro oraculis Christi amplectantur. Tum animadvertat, Paulum æquè scripsisse neminem posse profiteri aut prædicare Dominum Jesum, nisi per Spiritum Sanctum; atque scripsit, neminem per Spiritum S. loquentem dicere Dominum Jesum anathema. Denique non illicò Dominum Jesum reijci & anathema fieri, si quid veritatis per ignorantiam oppugnetur.* In eadem *Præfatione*, quam inscripsit Professoribus & Auditoribus Marpurgensibus sic porrò loquitur: *Plerique vestrûm unà cum sanctissimo Principe nihil ad summam diligentiam* (videl. in Colloquio Marpurgensi Anno 1529. instituto) *reliquum faciebatis, quò, dum per omnia in dogmatis convenire non posset, alii alios tamen fratrum loco haberent. Quod quidem charissimi symmystæ & fratres nostri, Zuinglius, Oecolampadius, Hedio ac alii haudquaquam pauci, non solùm haud gravatim à se impetrari passi sunt, sed eam etiam alijs conditionem ultrò obtulerunt, tam non diffisi, propterea doctrinam suam ex Spiritu Dei esse, quàm hoc ipso animo hac facilitate Christi se spiritu doceri & formari, certò planeq; declararunt. Quo autem agantur Spiritu, qui hunc candorem, hanc facilitatem, nunc per Epistolas, quas undique spargunt, argumentum interpretantur, ne dicam calumniantur, animi sibi de veritate parùm conscij visi viderint. Neque enim certum veritatis documentum est tradere mox satanæ, quicunque à sententia contradixerint, cum hoc nemo unquam æquè strennuè fecerit, atque Mahometani & Pontifices aliquot Romani, huicq; obnoxij Episcopi atque Academiæ, & ante hos, ut D. Chrysostomus in laudibus Babylæ meminit, cultores Idolorum: nulli verò minùs atq; Christus, Apo-*

stoli & Patres, omnium testimonio laudatiores. Neque enim ad perdendum sed sanandum intentus est Christi Spiritus, in quocunque fuerit.

Neque tamen hęc eò pertinent, ut nullis irrepentibus aut invalascentibus in Ecclesia erroribus obex ponatur, libertas, quam vocant, prophetandi omnibus permittatur, & cuilibet licitum esse debeat, suis ἑτεροδοξίαις & contradictionibus Ecclesias atque Scholas turbare. Exemplo enim ipsius Apostoli Pauli, apud Corinthios, Galatas, Colossenses aliasvè Ecclesias, monentur omnes Pastores Ecclesiarum & Doctores Scholarum, tanquam Vigiles, ut intentes habeant oculos in turbatores, uti pacis ita veritatis, ut sanctè & intemeratè *teneant* τὴν ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων, *& praclarum hoc depositum custodiant*, 2. *Tim*. 1. 13, 14. & modis omnibus caveant, ne sana Ecclesiæ alicujus doctrina atque Confessio, Verbo Dei consentanea, per varias κακοδοξίας & κενοδοξίας, multo minùs δοξομανίας, uti hodie, prohdolor! passim fieri solet etiam in Reformatis Ecclesiis, in periculum adducatur, hincque dissidiis & schismatibus corpus Domini laceretur. Multo minùs hoc agitur, ut qui superciliosè, arroganter, petulanter & perseveranter suis, quos conceperunt vel etiam jam pepererunt & disseminarunt, erroribus indulgent; ad munia & officia publica in Ecclesiis & Scholis evehantur, hincque impunè talibus dicere, disputare liceat, quod ipsis collibitum fuerit: à talibus enim tanquam à pestilenti *gangrana* cavendum. 2. *Tim*. 2. 17. Sed eò tantum νουθεσία prædicta collimat, ne Ecclesiis & fidelibus, quibus vel ignorantia mentis, quâ adhuc laborant, vel infirmitas & impotentia animi ex affectibus, non permittit, ut δὶς διὰ πασῶν in omnibus Religionis capitibus nobiscum consentiant; interim uni nobiscum fundamento per fidem in Jesum Christum, tanquam unicum nostrum Mediatorem ac sospitatorē, agglutinati sunt, & in quibus Spiritus Christi salutaria dona deprehenduntur; ne, inquam talibus omnem pacem & fraternitatem denegemus, sed mutuò alii alios per charitatem toleremus, donec, quantum lucis & veritatis nobis concessum est, infirmis quoque fratribus à Deo impertiatur.

Quæst. V. Quo sensu Christus ab Apostolo *vers.* 8. vocetur Διάκονος περιτομῆς, *Minister Circumcisionis?*

Resp. In Analysi id jam prælibatum fuit. 1. quòd *Circumcisionis* nomine metonymicè intelligantur *circumcisi*, id est *Judæi*. 2. quòd Christus vocetur eorum *Minister*, propter Ministerium sui Officii, quo inter Judæos olim fuit defunctus, juxta proprium suum effatum, *Matth*. 15. 24. & superius Pauli mõnitum, *Rom*. 9. 4, 5. & quidem cum summa συγκαταβάσει & humilitate ita, ut Judæi hactenùs prærogativam habuerint prę Gentibus. 3. quòd Paulus hac ratione Libertatis Christianæ in rebus indifferentibus abusum inter Romanos, & alios fideles ex Gentibus, voluerit sufflaminare, & exemplo Christi eos revocare, ne ἀδιαφορίας ex Judæis despectui haberent aut abjicerent; sed cum humilitate & mansuetudine eos tolerarent, & alii aliorum servos sese exhiberent.

Animadverto autem in sequiorem declinare sententiam Doctiss. Franciscum Junium, qui in *Parallel. lib.* 2. *Parall.* 27. *Circumcisionis* vocem accipit non de *circumcisis* per metonymiam adjuncti; sed de ipsa *circumcisione*, attamen non corporali, sed ἀχειροποιήτῳ ac spirituali, cujus alibi Paulus meminit, *Col.* 2. 11. Itaque dicit, Christum esse Ministrum factum circumcisionis omnibus tàm Gentibus, quàm Judæis: quia, cùm omnes fuerint naturâ peccatores, hincque filii iræ, in Christo omnes per spiritualem circumcisionem à communi malo fuerint liberati: ut hinc neque Judæi Gentilibus, neque Gentiles Judæis debeant insultare, sed mutuâ tolerantiâ & charitate se invicem fovere, inprimis, quòd *Judæis* hoc beneficium contigerit ex Promissionibus hæreditariis olim Patribus ipsorum à Deo factis: *Gentibus* autem ex hactenus insolita

erga

erga ipsas Divina misericordia. Interpretatio hæc uti arguta est, ita nihil sapit pietati ac veritati contrarium. Mihi autem cum aliis plerisque Interpretibus ea, quam attuli, interpretatio videtur esse simplicissima & scopo Apostoli convenientissima, quod ex Analysi patere potest. Lectoris judicio id permitto.

PARS II. CAPITIS XV.

vers. 14. & seqq. usque ad fin.

EPILOGUS EPISTOLÆ.

TRANSITIO. Hactenus habuimus in Capitibus præcedentibus EXORDIUM & ΕΡΓΑΣΙΑΝ Epistolæ Paulinæ, uti monitum id fuit supra, *pag. 7, 8.* Nunc restat EPILOGUS ac PERORATIO, in qua Apostolus

1. *Monita particularia* aliquot præmittit, pertinentia, partim ad suam *Personam*, partim ad *fideles Romanos*, seq. Cap. XVI.
2. *Voto* & *Gratiarum actione* totam Epistolam claudit.

MONITA PARTICULARIA APOSTOLI.

MONITA hæc quod attinet, & quidem attinentia *Apostoli Personam*, ea digeruntur Parte secunda hujus *Capit.* XV. Agit enim Apostolus,

A. *De sua* EPISTOLA, *quam hactenus scripserat ad* ROMANOS.

Vers. 14. ***Persuasum autem habeo & ipse ego de vobis, Fratres mei, quòd ipsi per vos pleni sitis bonitate, impleti omni cognitione, & qui possitis etiam vos mutuò admonere.***

Vers. 15. *Audaculè verò scripsi vobis, Fratres, aliquatenùs veluti commonefaciens vos, propter gratiam, quæ data est mihi à Deo.*

Vers. 16. *Ad hoc, ut sim Minister Jesu Christi apud Gentes, operans Evangelio Dei, ut oblatio Gentium fiat accepta, sanctificata per Spiritum Sanctum.*

Apostolus nullam aliam prolixiorem, quàm ad Romanos, scripsit Epistolam, non absque causa. Noverat enim Romanorum genium, qui & potentiæ & sapientiæ præsumptione turgebant, propter Urbis & Imperii Romani majestatem & potentiam. Fortè deprehendit nonullos inter ipsos *πεφυσιωμένους*, qui potuissent obstrepere: Quid opus fuerit tam prolixa disputatione de Religionis Christianæ primariis Capitibus, nec non exhortationibus ad vitæ & morum honestatem? An Paulus dubias aliquas aut sinistras de ipsis cogitationes conceperit? An, cùm Homo esset extraneus & barbarus, videl. Judæus, falcem veluti in alienam messem immittere voluerit?

Itaque talibus cogitationibus in verbis istis vult occurrere

Vers. 14. I. Per *remotionem Causæ falsæ*, indicans se non dubitare de ipsorum pietate & charitate, *v. 14. Persuasum autem habeo de vobis, &c.* Q. D. Quòd *τολμηρότερον*, fusè, audacter ad vos scribam, & tam confidenter vos officii vestri commonefaciam, non tribuetis præposteræ alicui meæ suspicioni, quasi dubitarem de dotibus & gratiis, quibus polletis & ornati estis, & quibus coruscat vestra Ecclesia in toto Orbe, uti supra quoque *Cap. 1. 8.* indicaverat. Scio enim vos per Dei gratiam abundare

1. *Bonitate, ἀγαθωσύνῃ*, sive benignitate, humanitate, mansuetudine, quâ possitis fratres infirmos (de quibus in præcedentibus egerat) tolerare.
2. *Prudentia*, cognitione, ut noveritis, quomodò oporteat cum talibus conversari.
3. *Dexteritate, ἱκανότητι*, quâ sufficiatis vobis ipsis ad mutuas cohortationes.

Nihil ergo imputabitis sinistro alicuj & maligno affectui, quo ferar vel contra vos, vel pro mea gente.

Vers. 15. 16. II. Per *assertionem Causæ veræ*, quam arcessit Apostolus à Munere suo Apostolico, v. 15. b. *ἐπαναμιμνήσκων ὑμᾶς, aliquatenus veluti commonefaciens vos; propter gratiam, quæ data est mihi à Deo. Vers. 16. Ad hoc ut sim Minister, &c. Ratiocinatio* Apostoli huc redit:

Maj. Quod ago ex officio mihi concredito, id mihi vitio verti non debet.

Min. Atqui prolixius & liberiùs ad vos scribendo ago id, quod mei est officij. *Rationes.*

1. Quia non curro à memet-ipso, sed à Deo vocatus.

2. Quia

2. Quia gratiam, seu dotes Spiritus S. à Deo ad hoc accepi. Hinc vocat *χάριν τὴν δοθεῖσαν, gratiam sibi datam, vers.15.*

3. Quia expressè destinatus sum Gentibus, quales Romani, *vers.16. ad hoc ut sim Minister Jesu Christi apud Gentes.* De hoc Ministerio alibi quoque agit, *Galat.2. vers.2,7,8.*

4. Quia partes exequor Ministerij mihi demandati, *ἱερουργῶν τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ, operans Evangelio Dei*, id est, ejus prædicationi, metaphoricè per similitudinem, desumptam à Sacerdotibus Vet. Test. ut seqq. verba insinuant.

5. Quia id præsto magno cum fructu: *vers.16.b. ut oblatio Gentium*, id est Gentes, (metonymicè) inter quas Romani, *fiat*, mediante mea prædicatione, *sacrificium Deo acceptum per Spiritum S.* seu virtutem & efficaciam Spiritus S. Evangelio Apostoli conjunctam.

Concl. Ergo id vitio mihi verti non debet.

Observanda hejc elegans descriptio Officii Pauli Apostolici: Occurrunt in ea seqq.

α. *Efficiens* causa *principalis*, DEUS: *impulsiva, Gratia Dei*, ut vocant, *gratis dans*, quam præsupponit gratia data, cujus mentio fit *v.15.*

β. *Subjectum.* Apostolus Paulus, cum adjunctis dotibus & gratiis à Deo ipsi datis. *vers.15.*

γ. *Objectum, tum personale, Gentes*: tum *reale, Evangelium Dei. v.16.*

δ. *Modus* & *forma*, voce 1. *Λειτουργοῦ*, quum se vocat *Ministrum Jesu Christi*: tum *vocationis* suæ ad Apostolatum, tum *administrationis* ejus respectu. 2. *ἱερουργίας*, quâ significat, se in sacro opere annunciationis publicæ Evangelii occupatum esse.

ε. *Finis. Gentium immolatio per Spiritum Sanctum.* Intelligitur autem Gentium conversio, reconciliatio cum Deo, justificatio & salus.

ζ. *Adjunctæ* præclaræ *Virtutes*, quibus Apostolus in Ministerio suo studuit, ex. gr.

a. *Modestia* singularis, imò *humilitas*, quâ temperavit & moderatus est suas admonitiones, veluti cum aliqua sui subaccusatione, quum dicit: *Audaculè*

scripsi vobis. Noluit Apostolica sua gravitate abuti ad Romanorum, ipso longè inferiorum, contemptum.

b. *Humanitas, charitas, mansuetudo*, quâ non solùm superiores admonitiones reprehensionibus & invectivis permixtas mitigat; sed & repetita compellatione fraternum suum animum ipsis testificatur: *Fratres mei, v.14.* Item: *Fratres, v.15.*

c. *Prudentia* admirabilis, quę passim in Epistolis Paulinis elucescit in mixtura & temperamento tum gravitatis & authoritatis Apostolicæ; tum συγκαταβάσεως & moderationis, quâ sese noverat insinuare in amorem fidelium quorumcunque. Ea sanè hoc in loco eminenter perspicitur. Ex. gr. 1. quum dicit, se de Romanorum, quos tamen antea nonnihil flagellasse videbatur, *bonitate, &c.* non dubitare, imò eos de meliore nota commendat: ut scil. ipsos haberet benevolentiores. 2. quum veluti se excusat, quòd τολμηρότερον, *audaculè* ipsis scripserit, non (NB) accusando aliquam suam temeritatem & delictum, sed juvando infirmitatem: ut, quum Medicus apud ægrotum se excusat, propter propinatum aliquod medicamentum austerum, quòd tamen sanitati ipsius sit conducibile. 3. Quum dicit *v.15.* ἐπαναμιμνήσκων, innuens, quòd magis memoriam ipsorum suaviter excitando, quam corda ipsorum dolenter pulsando, cum ipsis agere voluerit.

B. *De Pauli* OFFICIO.

Altera Commonefactio Pauli est de OFFICIO *Apostolatus ipsius inter Gentes*, verbis seqq.

Vers. 17. *Habeo igitur quod glorier per Christum Jesum in iis, quæ ad Deum* (pertinent.)

Vers. 18. *Non enim sustinuerim quicquam loqui, quod non effecerit Christus per me,* (adducendis) *ad obedientiam Gentibus verbis & factis.*

Vers. 19.

Verſ.19. *Virtute ſignorum ac prodigiorum, virtute Spiritus Dei: ut ab Hieroſolymis & circumjacentibus* (regionibus) *uſque ad Illyricum, impleverim prædicandi Chriſti munus.*

Verſ.20. *Ita porrò contendens evangelizare, non ubi nominatus eſſet Chriſtus, ut ne ſuper alienum fundamentum ædificarem.*

Verſ.21. *Sed, ſicut ſcriptum eſt: Quibus non eſt annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent.* Jeſ.52.15.

Occaſionem, de Officio ſuo diſſerendi, ſumpſit Apoſtolus ex verbis præcedentibus, in quibus cauſam reddidit ſuæ ſcriptionis ad Romanos, deſumptam ab Apoſtolatu ſibi commiſſo inter Gentes. Itaque, ne Apoſtolatus ejus vilipenderetur apud Romanos, præſertim jam converſos, παρέβασιν inſtituit in his verbis ad illius commendationem, non ex captandæ gloriæ ſtudio, ſed ex pio Zelo, & ſcopo optimo, ne videl. ejus Evangelium & Epiſtola apud Romanos contemptim haberetur. Occurrunt autem hejc ſeqq.

I. *Propoſitio*, *v.17. Habeo igitur quod glorier, &c.* Vbi Apoſtolus duo indicat: *Verſ.17.*

1. Se habere, quòd glorietur in iis, quæ ſunt Dei, πρὸς θεόν. Intelligit hoc α de Apoſtolatu ſibi Divinitùs concredito, β. de ejus fideli adminiſtratione per gratiam à Deo conceſſam, γ. & denique conjuncta ei Divina efficacia & fructu.
2. Addit, *per Chriſtum Jeſum*: ne ſuis viribus aliquid videretur arrogare, ſed ut gloria omnis redundaret ad Chriſtum, à quo ad Miniſterium Apoſtolatus fuerat vocatus.

II. *Confirmatio*, à fructu & efficacia Miniſterii ejus Apoſtolici, cujus efficaciæ Apoſtolatus indigitat *Verſ.18.& 19.*

1. *Authorem*, Chriſtum, quum *verſ.18.* dicit, *ſe nihil voluiſſe loqui, quod Chriſtus non effecerit per ipſum.*
2. *Modum*, videl. Converſionem Gentium: *adducendo Gentes ad obedientiam*, *ibid.* nimirum fidei, uti ſupra, *Cap.1.5.*
3. *Media*, α. tum *verba*, videl. prædicationem Evangelii; tum *facta*, *ibid.* videl. *Signa & prodigia. verſ.19.* miracula omnis

la omnis generis, ad obsignandam Evangelij doctrinam: quæ ne videretur sibi attribuere, addit, *virtute Spiritus Dei. Ibid.*

4. *Subjecta* loca & Regiones. *Ab Hierosolyma & circumjacentibus regionibus usque ad Illyricum. Ibid.* Terminus *a quo*, denotatur *Hierosolyma*, ex qua *verbum Jehova* primùm *prodire debuit, Jes. 2.3.* & *sceptrum è Zione, Psal 110.2.* Terminus *per quem* insinuatur voce κύκλῳ, quâ Hierosolymam & Judæam circumjacentes regiones variæ intelliguntur, Cilicia, Cappadocia, Pisidia, Troas, Bythinia, &c. Terminus *ad quem*, vocatur *Illyricum*, Regio Europæ longissimè ab Hierosolyma distans. Annotavit Clariss. Pareus, si rectâ lineâ Paulus Hierosolymâ *Illyricum* per Cyprum & Græciam perrexisset, eum circiter 350. milliaria confecturum fuisse. Atqui omnes quoque provincias in circuitu luce Evangelij collustravit, ut haud immeritò plus reliquis Apostolis omnibus laborasse dicatur, *1. Cor. 15.10.* Hinc supra *pag. 4.* in περιτλείοις hujus operæ non immerito ejus φιλοτιμία ex Chrysostomo fuit commendata.

Vers. 20. & 21. III. *Confutatio* objectionis tacitæ per prolepsin *v. 20. & 21.*

Objici potuisset, facile fuisse Paulo has Regiones implere Evangelio, siquidem alios ejus in illis habuerit prænuncios, & messem tantùm instituerit post aliorum sementem.

Respondet Apostolus 1. *Negando, v. 20.* quia studuerit Evangelizare, ubi de Christo priùs non fuisset auditum, ne videretur super alienum fundamentum ædificare. 2. *probando* hoc ipsum *v. 21.* ex oraculo *Jes. 52.15.* ubi sic legitur: *Quod non narratum fuerat eis, videbunt, & quod non audiverant, intelligent.* Quod hejc in genere prædictum fuit de annunciatione Evangelij inter Gentes, id Apostolus indicat impletum fuisse in sua persona & ministerio Apostolico.

C. *De* ADVENTU *Apostoli ad Romanos.*

Postrema commonefactio, ad Personam Apostoli pertinens, quæ agit

agit de *ejus ad Romanos* ADVENTU, instituitur ab eo per modum

I. *Excusationis*, quando dicit

Ver. 22. *Qua propter etiam sæpè inhibitus sum venire ad vos.*

Quòd hactenùs Apostolus Romanos non inviserit, causam repetit ex verbis præcedentibus, quam insinuat particula Διὸ. Indicat enim, voluntatem sibi non defuisse, sed facultatem: quia impeditus fuerit in aliis locis & regionibus ab Hierosolyma Illyricum usque, annunciando Evangelio, & Ecclesias in iis fundando.

II. *Promissionis*, quâ adventum suum Romanis pollicetur verbis seqq.

Vers. 23. *Nunc verò, quum non ampliùs habeam locum in his regionibus, summum autem desiderium habeam veniendi ad vos à multis annis.*

Vers. 24. *Quando proficiscar in Hispaniam, veniam ad vos. Spero enim fore, ut* (istac) *præteriens conspiciam vos, & à vobis deducar illuc: si tamen vestra consuetudine priùs impletus fuero.*

Vers. 25. *Nunc autem proficiscar Hierosolymam ministrans sanctis.*

Vers. 26. *Libuit enim Macedoniæ & Achajæ conferre aliquid in pauperes sanctos, qui sunt Hierosolymis.*

Vers. 27. *Libuit enim* (eis, inquam) *& debitores eorum sunt. Nam si spiritualia ipsorum* (bona) *Gentibus communicata sunt, debent etiam* (ipsæ) *in carnalibus ejs ministrare.*

Vers. 28. *Hoc igitur ubi perfecero, & ejs consignavero hunc fructum, abibo istac in Hispaniam.*

Vers. 29. *Scio verò me, quum veniam ad vos, cum plena benedictione Evangelii Christi venturum.*

In his verbis agit Apostolus de Adventus sui ad Romanos Causa, Tempore, Modo & Fructu.

א. *Causam* indicat sui adventus, *vers. 23.* Vers. 23.

1. Quia nihil ampliùs obstet: quippe, qui officio suo in Regionibus prædictis jam abundè sit perfunctus, ut legatio illa non possit sibi ampliùs esse obstaculo.

2. Quia summum habeat desiderium veniendi ad ipsos, & quidem non recens, sed diuturnum à multis annis. Ita Apostolus suam benevolentiam & amorem testificatur, quo prosequatur Romanos, uti quoque initio Epistolæ, *Cap.1.vers.10.* Διότι. ut ipsos ad ἀντιφίλησιν & sui quoque desiderium hac ratione pelliceret.

Quæst. Quæ causa tanti desiderii?

Resp. Eam supra jam indigitaverat, *Cap.1.v.11,12* & dehinc *Cap.15.29.* nẽpe partim *Sui* causâ, ut intuendo ipsos & percipiendo ipsorũ fidẽ, charitatem, &c. exhilararetur. Sanctis enim Dei servis nullum majus gaudium, quàm Ecclesias videre in pace optimoq; statu florentes. 2. *Romanorum* causâ, ut his posset prodesse, eosq; in fide, & aliis Christianismum decentibus virtutibus, magis magisq; stabilire.

3. *Tempus* indicat, quando sit venturus.

Vers.24. 1. Ὅτι. *vers.24.* videl. quando sit profecturus in Hispaniam. Promittit autem

α. Cum *spe*, partim, quia non habuit certam aliquam de hoc adventu à Deo revelationem, absque qua nihil in futurum est temerè præsumendum: partim, quia iter erat longinquum & maritimum, & incertum adhuc fuerat Apostolo, rectóne an obliquo cursu ad eos proficisci posset.

β. Cum *postulato* comitatus & deductionis quorundam ex Romanis in Hispaniam, cum quibus in itinere posset se sanctis colloquiis magis oblectare, eosque ædificare.

γ. Cum *conditione*, si priùs ex parte, sive aliquantulùm, pro re nata, consuetudine ipsorum & familiaritate expletus fuerit: ne videl. putarent Romanì, eum tantùm ὡς ἐν παρόδῳ & desultoriè aliud agendo eos salutaturum. Ita modis omnibus Apostolus mutuam suam benevolentiam Romanis contesserare voluit.

2. Διότι. *Rationem* deinceps reddit, cur non ante illam profectionem, aut nunc statim ad ipsos iter suum dirigat: desum-

desumptam ab alia necessaria & fructuosa profectione, quam interea temporis suscipere debeat, videl. Hierosolymitana. Itaque hujus profectionis indicat

α. *Terminum ad quem*. scil. Hierosolymam, *v.25.a.* *Vers.25.*

β. *Causam finalem*, *ut ministret sanctis*, *vers.25.b.* id est, ut fidelibus Judæis officium suum impendat, perferendæ ad eos pecuniæ, in ipsorum usum atque levamen collectæ.

γ. *Causam impulsivam*: propter beneficentiam Ecclesiarum in Macedonia & Achaja, quæ collectâ aliquâ paupertati fidelium illorum voluerunt succurrere, *v.26.* Hanc porrò beneficentiam Apostolus amplificat, ab ejus tum *Vers.26.*

a. *Promptitudine v.27.a.* Εὐδόκησαν γάρ: animo hilari & prompto id egerunt. *Vers.27.*

b. *Æquitate*. *Debitores eorum sunt. v.27.b.* Hujus æquitatis causam simul reddit, nempe communicationem spiritualium beneficiorum, quæ Ecclesiæ Græcæ perceperant ab Ecclesia Hierosolymitana. *Argumentum* huc redit:

Æquum est, ut, qui ab aliis spiritualia beneficia acceperunt, rependant ipsis carnalia: cum spiritualia beneficia longè majora sint carnalibus. Sic alibi quoque Apostolus, *1.Cor.9.11.* sicut anima ejusque salus longè est præstantior & preciosior, quàm corpus ejusque sustentatio: & vita spiritualis, quàm animalis.

Atqui Hierosolymitani Græcis, id est, Gentibus, spiritualia impenderunt, videlic. Verbum Evangelii, quod juxta oraculum, *Jes.2.* primùm ex Zijone debuit prodire, & per Apostolorum, qui ex Judæa & Hierosolyma profecti fuerunt, præconium diffundi ad Gentes.

Ergo æquum est, ut Gentes quoque in carnalibus ministerio suo adsint Judæis & Hierosolymitanis.

Quæritur: Cur Apostolus hanc Græcorum beneficentiam tantopere commendet coram Romanis?

Resp. Voluit pro sua prudentia Romanis aurem vellicare, &

Græcorum exemplo tacitè eos admonere sui officij, eosque in societatem istius beneficentię vocare; & indicare, si Ecclesiæ Græcæ tam beneficas se exhibuerint, Romanos easdem debere imitari; præsertim, quòd hi Græcis longè fuerint locupletiores. Conferatur locus 2. Cor. 9, vers. 2.

Vers. 28. A. *Eventum vers. 28.* videl. subsequuturam suam profectionem in Hispaniam per Romanos, post officiũ suum sanctis Hierosolymitanis impensum.

Vers. 29. 2. *Modum & Fructum* Adventus sui, *vers. 29. Scio vero me, &c.* Indicat Apostolus: 1. se ita venturum, ut apud ipsos non sit futurus otiosus, multo minus indulgeat delitiis; sed venturum, tanquam Apostolum Jesu Christi, qui suum officium fideliter apud ipsos sit peracturus, confirmando eos in fide, admonendo & consolando. 2. Hoc conjunctum fore cum magno & copioso fructu. 3. Ne quid sibi videretur tribuere, meminit *benedictionis*, id est, beneficæ operationis Dei. Omnia ista complectitur verbis, quum dicit: *se cum plena benedictione Evangelij Christi venturum.*

Eventus respondit, ut videre est *Act. 28. v. 12. & seqq.* Quantumvis enim multi ex Judæis ei obstiterint; tamen messis ei copiosa non defuit, ut videre est *ibid. vers. 24. usque ad fin. cap.*

III. *Petitionis.* Hanc instituit Apostolus ad Romanos verbis seqq.

Vers. 30. *Precor autem vos, Fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, & per charitatem Spiritus, ut concertetis mihi* (vestris) *pro me apud Deum orationibus.*

Vers. 31. *Ut liberer ab iis, qui non obediunt* (sermoni) *in Judea: utq́; ministerium hoc meum erga Hierosolymam acceptum sit sanctis.*

Vers. 32. *Ut cum gaudio veniam ad vos per voluntatem Dei, unaq́; vobiscum refociller.*

Apostolus his verbis indicat

Vers. 30. 1. *Quid petat* & exigat à Romanis. Intercessionem eorum per preces apud Deum, *v. 30. b.* Vtitur verbo συναγωνίσασθαι, concertandi. *Certaminis* vocabulum arguit angustias, quibus pressus

pressus fuerat. *Concertationis* voce indicare vult, ut fideles in precando suam veluti personam, angustiam & necessitatem in se suscipiant, adeoq; suas preces, cum Apostoli precibus, tanquam arma utrinque jungendo, fortiter cum ipso dimicent.

2. *Quomodo petat: per Dominum nostrum Jesum Christum, & per charitatem Spiritus*, id est, per mutuam illam conjunctionem, quâ Spiritus Sanctus animos nostros invicem devincit, & colligat. *vers. 30.* Sic indicat Apostolus, partim, quàm intensè & efflictim *Ipse* hanc petitionem urgeat: partim, quàm prompti & alacres *Romani* esse debeant ad ipsi gratificandum. 1. quia hoc intersit gloriæ ipsius Jesu Christi, Domini nostri, cujus ipse agat Apostolum. 2. quia hoc exigat dilectio Spiritus & mutua communio per Spiritum sanctum.

3. *Qua de causa petat*: sive propter quę, sibi à Deo conferenda, beneficia. *Vers. 31.*

α. Ut liberetur ab insidiis lethalibus infidelium Judæorum, qui odio Vatiniano & internecino ipsum persequebantur. *vers. 31. a.*

β. Ut ministerium & labor collectæ possit esse gratus sanctis Hierosolymæ. *v. 31. b.*

Hinc ergo patet; 1. Apostolum, uti jam ante expertus fuerat, ita quoque prævidisse maximas insidias & pericula à Judæis, de quibus etiam mentionem fecerat propheticam apud seniores Ephesinos, *Act. 20. 22 & seqq.* de quibus etiam experientia & eventus testificatus est, uti pluribus videre est *Act. cap. 21.---26* ubi enarrantur innumera pericula, quæ Paulo Hierosolymis & in Judęa erant sustinenda. 2. Apparet Apostoli magnanimitas. Prævidens licèt insidias & pericula magna, tamen propositum profectionis suæ Hierosolymitanæ mutare noluit, quod generoso cum pectore quoque significavit loco prædicto, *Act. 20. v. 24, 26.* 3. Simul voluit Apostolus indicium facere suæ benignitatis & mansuetudinis erga Fratres. Quanquam enim dubius erat, an ipsius adventus Hierosolymitanis (propter nationis suæ erga ipsum odium) gratus

futurus esset, hincque ministerium pro fidelium inter ipsos levamine & refocillatione: tamen & *Sanctos* vocat, & laborem suum apodemicum admodum molestum & periculosum ipsis vult impendere.

Vers.31. 4. *Quo fine debeant intercedere.* Vt tantò quietiùs & lætiùs possit venire ad ipsos, *vers.32.* Addit ibidem duo. α. ut hoc fiat *secundùm voluntatem Dei*, quæ semper est præsupponenda nobis in negotiis, carentibus particulari aliqua Dei promissione. *Jac.4.15.* β. Vt hoc fiat cum mutua sua & Romanorum *συναναπαύσει*, *refocillatione.*

IV. *Voti*, pro Romanorum incolumitate, quo concludit & finit suam *Commonefactionem.*

Vers.33. *Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.*

Optat ipsis Apostolus 1. *Pacem cum Deo*, quem vocat *Deum pacis*, videl. ut ipsis quoque sit Deus pacis. 2. *Pacem mutuam*, quâ fideles, tanquam Filii Dei, inter se debent esse colligati & devincti.

QVÆSTIONES,
ex Cap. XV. *vers.14. usque ad fin. Cap.*

Quæst. I. An perfectio sanctitatis & sapientiæ possit hoc in seculo cadere in sanctos? *Rat.dubit.* ex *vers.14.* quia Apostolus Romanos vocet *plenos bonitate*, *&* *impletos omni cognitione.*

Resp. I. Apostolus nomine τῆς ἀγαθωσύνης non intelligit ἀγαθοεργίαν, sed comitatem, humanitatem & ad mutuam concordiam pronum affectum: neque per γνῶσιν intelligit omnem sapientiam cœlestem; sed prudentiam & consilii dexteritatem, cujus utriusque virtutis facultate, uti confestim explicat, Romani *possint sesesos mutuò admonere.* II. Neque tamen hinc utriusque virtutis, multo minus omnis sanctitatis & sapientiæ omnimoda perfectio, quæ in sanctos hoc in seculo cadere possit, argui potest, sed tantùm κατά τι, quantum videl. in hac vita, pro infirmitatis nostræ modulo, & gratiæ Dei mensura, fieri potest. Nam Scriptura alibi imperfectionis arguit & sanctitatem nostram, *Job.*4.18,19. *&* 9.30,31. *Psal.*19.13. *&* 130.3. *&* 143.2. *Proverb.*20.9. 1.*Joh.*1.8. & cognitionem, 1.*Cor.*13.12. quod ipsum vel *Fidei* vox insinuat, quæ certam quidem, authoritati Dei ejusque verbi innitentem, attamen semi plenam τῶν γνῶσιν cognitionem denotat, olim plenâ sapientiâ per immediatum Dei intuitum in cœlis perficiendam. *Phil.*3.12,13,14. 2 *Cor.*5.*v.*7.

Quæst. II. Quomodo laus, quam Apostolus *vers.*14. Romanis tribuit, conveniat cum superioribus admonitionibus & invectivis. *Cap.*14. *vers.*4, 10,13,15?

Resp. Distinguendum inter bonos & malos, laudabiles & culpabiles in una aliqua

aliqua Ecclesia. Apostoli encomium, quo Romanos ornat, restringendum ad laude dignos, quantumvis is ἐν πλάτει id pro more extendat ad totum Ecclesiæ illius corpus, quod à meliore sui parte æstimatur. Similis locus occurrit alibi, 1. *Cor.* 1. *v.* 5. ubi Corinthios ita commendat, ut tamen deinceps eos gravissime perstringat, v.g. *Cap.* 3. *vers.* 1. 2. 3.

Quæst. III. Nunquid Paulus elevet authoritatem Epistolæ suæ, quòd dicat, (*v.* 15.) *se scripsisse ad Romanos τολμηρότερον, audacius? Rat. dubit.* quia videtur, semetipsum subaccusare, quasi τὸ πρέπον non per omnia observasset.

Resp. Paulus nequaquam semetipsum *accusat* aut *subaccusat*, sed παῤῥησίαν suam in admonendis & corripiendis Romanis *excusat*, cum *authoritate* officii sui Apostolici, quo debuit ipse perfungi apud Gentes: tum *necessitate* salutis Romanorum, uti patet ex verbis seqq. *v.* 15, 16, 18. Hincque vult omnem alicujus culpæ suspicionem à se amoliri, quam de ipso Romani, præsertim qui potentiæ & sapientiæ nomine inter ipsos inflatiores erant, concipere potuissent. adeò ut Apostolus hejc potius suam tum *modestiam* & *humilitatem*, tum *prudentiam* διαῤῥήδην patefecerit. Dignissima sunt Chrysostomi annotata ad hunc locum, quæ huc referantur: *Vide*, inquit, *humilem animum Pauli, vide sapientiam, quemodo & profundam fecerit incisionem, per ea, quæ jam ante dixit, & postquàm quæ voluit correxit, multo rursus utatur remedio. Ad remittendum quippe contentiosum illorum vigorem, unum hoc sufficit, etiam prater illa, quæ dicta sunt* (scil. *v.* 14.) *quòd audacius scripsisse se fatetur. Hoc & ad Hebræos scribit dicens.* Persuasi sumus autem meliora de vobis, dilecti, salutique propiora, tametsi ad eum modum loquamur. *Et ad Corinthios iterùm eodem modo scribit:* Laudo vos, *inquit*, quod in omnibus mei memores estis, & traditiones ita servatis, quemadmodum vobis illos tradidi. *Galatis verò scribens dicit:* Confido de vobis, quod nihil aliud sensuri sitis. *Vbique verò in illius Epistolis consideratione istam copiosè licet invenire; hic autem plus etiam, quàm alibi. Erant si quidem Romani majore dignitate præditi: unde oportebat tumidam eorum mentem sedare, non solum stringendo, sed & remittendo. Nam diversimodè hoc facit. Vnde & hic dicit:* Audacius scripsi vobis, *& neque hoc contentus adjecit* ex parte, *nec hic consistit, sed quid dicit?* Veluti submonefaciens vos. *Non dicit*, veluti docens vos, *neque*, velut admonens vos: *sed*, veluti submonefaciens vos, *hoc est*, *modicum quid admonens. Vides, quomodo finis Epistola proœmio conveniat? &c.*

Quæst. IV. An Scriptura Sac. sit tantùm commonitorium aliquod, & quidem imperfectum, supplendum per traditiones Ecclesiæ, hincque adeò non sit habenda pro regula fidei & doctrinæ? Pro affirmante sententia pugnare solent Pontificii ex *v. eod.* 15.

Resp. 1. Scriptura Sac. non tantùm est πυρακλητικὴ, & παιδευτικὴ; sed principaliter διδακτικὴ, & dehinc ἐλεγχτικὴ. 2. *Tim.* 3. *vers.* 16. & quidem ad Hominis Dei τελείωσιν, perfectionem. *Ibid. vers.* 17. Hinc nullo alio traditionum Humanarum supplerorio indiget. 2. Cùm Scriptura sit Verb. Dei θεόπνευστον, 2. *Tim.* 3. *v.* 16. 2. *Pet.* 1. 21. adeoque commonitorium non Humanum sed Divinum; meritò pro Regula fidei & morum habenda est. Hinc enim Bellarmino ipsi veritas hanc extorsit confessionem; *quòd Prophetici & Apostolici Libri sint verum Verbum Dei, & certa ac stabilis regula Fidei. Lib.* 1. *de Verbo Dei cap.* 1. 3. Paulus hoc *vers.* 15. Scripturam Sac. neque facit tantùm commonefactoriam, neque monitorium aliquod tantùm partiale aut imperfectum,

ctum. Non *illud*, quia ἐπαναμιμνήσκων, cujus meminit, non intelligitur de doctrina fidei in hac Epistola digesta; multo minus de omni Pauli doctrina, diffusâ per omnes ipsius Epistolas; minimum verò de omni fidei doctrina in Scriptura Sac. comprehensa: Sed de commonefactionibus practicis, quibus hoc & præcedentibus Capp. Romanos officii sui admonuerat, pertinentibus ad vitam Christianam, & mutuam inter fratres concordiam & tolerantiam. Non *hoc*: quia τὸ ἀπὸ μέρους, *ex parte*, referendum est ad præcedens, τολμηρότερον ἔγραψα, *audacius ex parte*, vel aliquantulùm, *scripsi vobis*: non, per fallaciam divisionis & compositionis, conjungendum cum sequentibus verbis: ὡς ἐπαναμιμνήσκων, tanquam commonefaciens: quod satis insinuat comma, quo in exemplaribus Græcis, τὸ ἀπὸ μέρους, distinguitur à verbis seqq. quam ipsam distinctionem quoque Vulgatus Interpres observavit. Vana sunt igitur Pontificiorum glossemata.

Quæst. V. An & quatenus Sacerdotium conveniat Novo Testamento? *Ex vers.16.*

Resp. Distinguendum venit inter Sacerdotium *propriè* & *impropriè sic dictum*. *Propriè* dictum Sacerdotium consistit in sacrificando, quando videl. res aliqua externa & corporalis Deo offertur ad eum placandum & honore afficiendum: quò inprimis pertinet Sacrificium ἱλαστικὸν, seu propitiatorium, quod Deo immolandum per mactationem & effusionem sanguinis, *absque qua non fit ulla remissio peccatorum*: *Heb.*9.22. Tale olim erat Sacerdotium *Veteris Testam.* quando Sacerdotes victimas mactabant, Deoque immolabant ut Deum pro seipsis & pro populo placarent: quanquàm non nisi typicè; quia ipsorum sacrificia omnem suam virtutem & efficaciam mutuabantur à subsequuturo unico Sacrificio Christi.

I. In *Novo* itaque Testamento unicum est *propriè* dictum *Sacerdotium CHRISTI*, tanquam unici nostri Mediatoris & Sacerdotis, qui semetipsum in ara crucis pro nostris peccatis Deo Patri obtulit in mortem: de quo Sacerdotio præclarè & prolixè agitur, in *Epistola ad Hebræos*, & dignitas Sacerdotii ejusque sacrificii Christo asseritur præ Sacerdotio Aaronico; ejusque sacrificium describitur ut unicum, perfectissimum, nunquam ampliùs iterandum, uti fieri consueverat in Veteri Testam. Hinc Augustinus quoque *Enchirid.cap.*33. & 62. Sacrificium Christi vocat *singulare & unum, quod multæ in Lege victimæ præfigurarint*. Sic alibi. *Tom. VII. contra duas Epist. Pelag. ad Bonifac. Lib.*1.*Cap.*6. *verum & unicum sacrificium pro peccatis, non solùm his, quæ universa in Baptismo diluuntur; verùm etiam his, quæ post ex hujus vitæ infirmitate surrepunt, propter quæ quotidie universa Ecclesia sit orandum: Dimitte nobis debita nostra.* Quin & *Lib.*2.*contra Parmenian.* *Antichristi vocem fore*, testatur, *si quis Episcopum inter Deum & Homines Mediatorem faciat*.

II. Hinc refelli potest *Missaticum Sacrificium*, & *Sacerdotium Papanum*, quod Sacrificuli in Ecclesia Romana sibi usurpant. Volunt enim haberi proprie sic dicti Sacerdotes, qui in Sacramento & Missa Christum de novo creent ex Pane & Vino, & dehinc Corpus & Sanguinem Christi realiter, verè & propriè, sub speciebus Panis & Vini, Deo quotidie offerant pro peccatis viventium & mortuorum. Hoc *Sacerdotium Missaticum* est purum putum sacrilegium, quo dignitas Sacerdotalis, soli Christo in Novo Testamento competens, flagitiose invaditur, & Sacrificii ejus semel in cruce oblati pro omnibus nostris peccatis, perfectio & efficacia aboletur, & Apostolus mendacii arguitur, qui *Heb.*9.*v.*24,25,26. dicit, *Christum SEMEL se tantùm obtulisse, & SEMEL in consummatione seculorum, ad abolendum peccatum, per immolationem sui esse patefactum*. Et *Cap.*10.*v.*12,14. *VNAM pro peccatis oblatam victimam IN PERPETVVM, quâ unicâ oblatione consummati sint in perpetuum, qui sanctificantur.*

Objectio

Objicere quidem Pontificii solent *Patres*, à quibus S. Cœna fuerit vocata *Sacrificium*. Ast id non intellexerunt de Sacrificio ἱλαστικῷ, *propriè* sic dicto; sed vocem *Sacrificii* in καταχρηστικῶς *impropriè* usurparunt. 1. quia S. Cœna est Sacrificium μνημονικὸν & εὐχαριστικὸν, tanquam μνημόσυνον Sacrificii Christi. 2. quia in ea fideles Deo semet ipsos consecrant & offerunt ad novam obedientiam. 3. quia olim cum administratione Cœnæ Eleemosynas conjungebant, quibus Deo litarunt ad consolationem pauperum. Atque hoc sensu quoque Sacram Cœnam vocarunt *Sacrificium incruentum*; & Mensam, *Altare*; & Ministros, *Sacerdotes*; & totam actionem, *Oblationem*.

III. Jam ergo si de *impropriè* dicto Sacrificio sermo sit, negari non potest, illud novo Testamento competere, idque respectu gemino, tum *Ministerii Ecclesiastici*, tum *Ecclesiæ totius & fidelium omnium*.

א. Nam *Ministerium* quod attinet, quanquam Ministri Ecclesiæ nullibi in Novo Testamento specialiter & κατ' ἐξοχὴν vocantur *Sacerdotes*, tamen sano sensu nomen hoc ipsis accommodari potest: quia successerunt in locum Sacerdotum Veteris Testamenti: quia nomine totius Ecclesiæ sacrificia precum, laudis & gratiarum actionis Deo offerunt: quia mysteria passionis Dominicæ dispensant, & memoriam ejus concelebrant: quia denique Homines Deo mactant & offerunt per ἱερουργίαν Evangelii.

Atque huc respexit Apostolus *vers.16.* quando dicit, *se constitutum esse λειτουργὸν, Ministrum Iesu Christi apud Gentes, ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, operantem Evangelio Dei*, scil. per ipsius publicam & solennem annuntiationem; *ut προσφορὰ τῶν ἐθνῶν. Oblatio gentium, fiat εὐπρόσδεκτος, accepta per Spiritum S.* Λειτουργίαν & ἱερουργίαν sibi tribuit Apostolus, hoc est, publicam sacrorum administrationem. Q.D. *Ipsum enim mihi Sacerdotium est*, verba sunt Chrysostomi in hunc locum, *prædicare & Evangelizare. Machæra siquidem mea Evangelium est, prædicationis scil. sermo. Hostia seu oblatio sunt Gentes. Acceptabilis ea fit Deo per Spiritum Sanctum. Nam in isto Sacrificio neque lignis, neque igne, neque gladio opus est. Omnia ista nobis est Spiritus Sanctus; propterea omnia facio, ne ignis iste extinguatur. Hoc etenim & in mandatis habeo.*

ב. *Ecclesia tota* vocatur ab Apost. Petro, 1. *Epist.2.* βασίλειον ἱεράτευμα, *Regale Sacerdotium*: & *fideles omnes* dicuntur à Christo *facti Reges & Sacerdotes Deo & Patri suo*, *Apoc.1.6.* idque respectu *Sacrificiorum* spiritualium, quæ Deo offerunt, videl.

1. *Cordis*, uti est, abnegatio suipsius, contritio cordis. *Psal.51.19.* cum tristitia secundum Deum, *2.Cor.7.9,10.* fides denique, per quam continuè Christus veluti immolatur in cordibus fidelium, per indesinentem & gratam ἀνάμνησιν passionis & mortis ipsius. Unde Ambrosius *Lib.2. de Virginit. ad Damas.* *Neque*, inquit, *dubitaverim vobis ponere altaria, quorum mentes altaria Dei confidenter dixerim, in quibus quotidie pro redemptione corporis Christus immolatur.* Quò pertinet & illud Hieronymi: *Christum semper oblatum iis, qui credunt.*
2. *Oris*, uti sunt *sacrificia labiorum*, *Heb.13.v.15.* quæ etiam *vituli labiorum* vocantur, *Hos.14.3.* Intelliguntur autem preces, gratiarum actiones, δοξολογίαι fidelium, quibus Deum quotidie concelebrant, cum publica confessione nominis ipsius.
3. *Operis*, quò pertinet, α. *Mortificatio Carnis*, *Col.3.v.5.* seu Crucifixio Veteris Hominis, conjuncta cum tolerantia crucis. β. *Oblatio nostri ipsius*, quoad animam & corpus, ad gratum Deo cultum, servitium & obedientiam. *Rom.12.1.* γ. *Beneficentia* erga proximum, & *Eleemosynæ* in pauperes erogatæ, quæ propterea etiam vocantur προσφοραὶ, *oblationes*, *Act.24.17.* δ. Huc referri etiam possunt Sanctorum

variæ *afflictiones, persequutiones*, inprimis *martyria*, quibus se & vitam suam Deo offerunt & consecrant in mortem, ad conservandam & propagandam gloriam ejus, veritatis cœlestis obsignationem, & Ecclesię ædificationem, exemp. Apostoli, *Phil.2.17.*

Quæst. VI. An Paulus nullam prorsùs habuerit rationem, in officio sui Apostolatus, eorum fidelium, qui ab aliis Apostolis jam fuerant instituti? *Rat. dubit.* ex *v.20.* quia dicit, *se contendisse evangelizare, ubi nondum nominatus fuisset Christus.*

Resp. Distinguendum inter Pauli ἔργον & πάρεργον, primariam & secundariam, peculiarem & communem in Apostolatu curam & laborem. Loquitur hoc loco de τοῦ ἔργου & primaria cura, quæ ipsi ex officio Apostolatus incumbebat, quà Evangelium ei seminandum fuerat, ubi nondum erat prædicatum. Hoc enim primarium fuit & proprium munus Apostolorum, tanquam fundatorum Ecclesiæ, juxta Christi mandatum, *Matth.28.19,20. Marc.16.15. Act.1.8.* Hanc curam & laborem primarium non sustulit cura posterior, in Ecclesiis aliis, quæ Evangelium jam receperant, occasione præsertim peregrinationum, visitandis, consolandis, confirmandis, vel coràm vel per Epistolas. Quod satis patet ex Actis Apostolicis, & ex hac ipsa Epistola Pauli ad Romanos, quos constat, jam ante Pauli ad ipsos adventum fuisse conversos.

Quæst. VII. Quia Paulus *eod. v.20.* scribit, *se non ædificasse super alienum fundamentum:* annon alibi sibi videatur contradicere, *Eph.2.20.* imò Christo ipsi, *Joh.4.38?*

Resp. 1. Paulus per fundamentũ ἀλλότριον, alienum, hoc in loco non intelligit fundamentum *aliud* à fundamento suæ doctrinæ, cùm hoc sit & fuerit unicum in Vet. & Novo Test. & alibi anathema dicatur vel Angelo alicui, aliud Evangelium annunciaturo, *Gal.1.8.* sed fundamentum *ab alio* jactum aut positum, adeoque non *rei* fundatæ, sive doctrinæ, sed *personæ* fundantis, id est, docentis, respectu. 2. Comparationem hoc loco instituit tantùm inter se & alios Apostolos Novi Testamenti & ostendit, se, ad authoritatem sui Apostolatus asserendam, nequaquam in fundandis Ecclesiis aliorum fuisse σύνεργον aut ὑπόδοχον successorem, sed ἐργοδιώκτην & primum fundatorem, quod alibi quoque *Gal. Cap.2.v.2. & seqq.* gravissimè pertendit. 3. Hinc loca in contrarium allata nullam inferunt contradictionem, quia in iis comparatio instituitur non inter Apostolos & Apostolos, sed inter Apostolos Novi, & Prophetas Vet. Testam. quorum hos Christus *Joh.4.cap.* comparat *Satoribus*, illos *Messoribus*: & Paulus unum quidem in ædificando utrorumque agnoscit fundamentum, *Eph.2.20.* interim non negat diversum fundationis modum. Nam Prophetæ fundamentum jecerunt, CHRISTUM, tanquam venturum, prænunciando; Apostoli verò eundem, tanquam jam præstitum atque exhibitum, annunciando.

Quæst. VIII. An Sancti demortui pro nobis apud Deum intercedant; eaque de causa sint invocandi? *Rat. dub.* quia Paulus *v.30.* petit se adjuvari fidelium precibus apud Deum quo pertinent alia similia loca. *Eph.6.19. 1.Thess.5.25. 2.Thess.3.1. Col.4.3. & Heb.13.18.*

Resp. Miserum est Invocationis sanctorum defunctorum patrocinium, quod Papistæ

Papistæ Ἀγιόδουλοι ex talibus locis arcessunt. I. Distinguend. inter sanctos τοὺς ἐπουρανίους, cœlites, & τοὺς ἐπιγείους, in terris adhuc nobiscum commorantes: ut taceam eos, de quibus alicubi Hieronymus: *Multi in cœlis, tanquam sancti, adorantur, quorum animæ cruciantur in inferno.* Sancti in terris (quorum in Apostolicis locis tantum fit mentio) precibus suis nos juvare possunt ac debent. *Possunt* quia necessitates nostras cognoscere possunt. *Debent*, quia ad id ex lege charitatis & mandato Dei tenentur. Cœlitum alia ratio, de quibus *Jes.63.18. Abraham nescit nos, Israël non agnoscit nos: Tu verò es Pater noster & Vindex noster à seculo*; cui propterea soli debetur invocatio. Nam hoc restringere velle ad Patres Veteris Testam. in Limbo versantes, est impudentis Pontificiorum commenti: quanquam impudentia eò usque ipsos corripuerit, ut ausint, ex Parabola de Divite & Lazaro, *Luc.16.v.24.* exemplo Epulonis, ex flammis infernalibus Abrahamum ad levamen cruciatuum invocantis, Sanctorum defunctorum invocationem exsculpere. Adde, alibi ex professo populum reprehendi, quòd pro viventibus mortuos consulat. *Jes.8.19.*

II. Pariter distinguend. inter Invocationem *civilem* & *religiosam*. Paulus in locis prædictis agit de civili, quæ locum habet inter utrinque in terris viventes: quanquam vox ipsa invocationis hoc sensu in Verbo Dei sit ἄγραφος. Pontificii autem loquuntur de Invocatione, adeoque Cultu religioso Sanctorum, qui non solùm est ἄγραφος, sed & ἀντίγραφος, qualis etiam est commentitia ipsorum distinctio inter δουλείαν sanctis, ὑπερδουλείαν Mariæ Virg. & λατρείαν soli Deo & Christo debitam: quæ nihil aliud est, quàm stramineum & arenosum Idolomaniæ ipsorum fundamentum, de quo quidem nunc non attinet pluribus disserere.

Quæst. IX. An Deus preces Sanctorum semper exaudiat? *Rat. dubit.* quia Romani, juxta Pauli petitionem (*v* 30.) pro libertate ejus intercessérunt apud Deum, *vers.*31. nec tamen Paulus hanc libertatem obtinuit, sed Hierosolymam veniens, juxta vaticinium Agabi, *Act.*21.10.11. à Judæis fuit in Templo comprehensus. *Ibid.v.*27.*&c.* & vinctus dehinc Romam adductus, *Act.*27.*&* 28.

Resp. I. Dici potest, eò usque Paulum liberatum, ut è manibus Judæorum per Tribunum cohortis eriperetur, qui in ipsius necem conspiraverant, ne ab ipsis occideretur, *Act.*21.31,32. II. Semper Deus Sanctorum preces exaudit, petita vel non dando, vel dando. *Dando*, quando novit ea cedere in ipsorum bonum. *Non dando*, quando novit, ea ipsis magis obfutura, quàm profutura. Ita nihilominus exaudit eorum preces, quia has, præsertim in rebus ad vitam præsentem spectantibus, semper concipiunt, saltem concipere debent, cum reservatione voluntatis Dei, exemplo Christi, *Matth.*26.39. & leprosi, *Marc.*1.40. Hinc, si sanctis mala eveniant pro bonis, Deus ea in ipsorum salutem vertere solet. Sic vincula Pauli servierunt martyrio Evangelii, quod Paulo vincto mansit liberum & invictum, 2.*Tim.*1.*vers.*8. *&* 2.*vers.*9,10. *Act.*28.*vers.*30,31.

Quæst. X. Cur Romani, monente Paulo, (*v.*30.31.) debuerint instare suis precibus apud Deum, ut collecta Græcorum (*v.*26.) sanctis Hierosolymitanis posset esse εὐπρόσδεκτος, *accepta? Rat. quær.* quia pauperibus eleemosyna non potest non, tanquam necessaria, accidere grata.

Resp. Caussæ petitæ hujus intercessionis possunt afferri tres, desumptæ 1. à

persona *Christianorum inter Judaos*, quorum complures erant adhuc zelotæ Legis, infenso erga Paulum animo, quem, calumniis æmulorum præoccupati, hostem Legis arbitrabantur, *Act* 21. v. 21. 2. à persona *infidelium Hierosolymitanorum*, quos heic v. 31. vocat ἀπειθοῦντας, non obedientes Evangelio, ne videl. ab iis comprehensus prohiberetur hac ratione collectam fratribus Hierosolymitanis cum pace reddere. 3. à persona *fidelium Græcorum*, ne propter gentilitatem, Judæis antiquitus exosam, collecta eorum minus haberetur accepta, sed potiùs amor Ecclesiæ Judaicæ erga Gentiles hoc pacto inflammaretur. Conferantur alia loca, 2. *Corinth*. 9. *vers*. 12, 13. *Phil*. 4. *vers*. 10. *& seqq*.



CAPVT XVI.

TRANSITIO. Superiùs indicatum pag. 515. Apostolum à *vers*. 14. *Cap*. XV. inchoasse EPILOGUM seu *Perorationem* hujus Epistolæ, præmittendo primùm *MONITA* quædam *particularia*, partim ad *Pauli Personam*, partim ad *Romanos* pertinentia: & tandem finiendo totam Epistolam *Voto* & *Δοξολογίᾳ* ad Deum, *Cap*. XVI. *v*. 25, 26, 27.

Monita ad *Pauli Personam* pertinentia, videl. de ejus *Scriptione ad Romanos*, *Officio Apostolatus* & *Adventu ad Romanos*, jam ex parte secunda *Capitis* XV. præced. *fuerunt* pertractata. Restant ergo in hoc Cap. XVI. I. *MONITA* alia *particularia, ad Romanos* pertinentia. II. *VOTUM* & ΔΟΞΟΛΟΓΙΑ *Apostoli ad Deum*.

PARS I. CAPITIS.

MONITA particularia APOSTOLI ad ROMANOS.

Comprehendunt hæc in se 1. *Commendationem* Matronæ piæ γραμματοφόρου. 2. *Salutationes* varias. 3. *Exhortationem ad* Romanos.

A. COMMENDATIO MATRONÆ piæ, γραμματοφόρου.

Commendatio hæc habetur

Vers. 1. *Commendo autem vobis Phœben, sororem nostram, quæ est ministra Ecclesiæ Cenchreensis.*

Vers. 2. *Vt eam excipiatis in Domino convenienter sanctis, & ad-*

& adsitis ei, quacunque in re (ipsi) *usus fuerit vobis: nam hac tum multis hospitium præbuit, tum mihi etiam ipsi.*

Commendationis hujus occurrit

I. *Objectum*, Fœmina, quæ describitur Vers. 1. & 2.

1. 'A *Nomine*. Vocatur *Phœbe. v. 1. &.* Est autem ea ipsa, cujus postea in subscriptione hujus Epistolæ mentio facta, quæ eam ad Romanos pertulit.

2. 'A *Religione* seu professione Christiani nominis ac fidei. Ideò vocat Apostolus *sororem nostram v. 1. b.* scil. spiritualem, propter cognationem & fraternitatem spiritualem, quâ fideles per fidem uniti sunt Christo Capiti, & inter se per charitatem. Atque hoc nomen est jam κιτιολογικὸν commendationis Apostolicæ. Si enim fratres & sorores carnales debeamus habere commendatas, quanto magis spirituales?

3. Ab *Officio*. Vocat enim Apostolus *Ministram Ecclesiæ Cenchreensis, v. 1. c.* non quod Ministerio publico doctrinæ & Sacramentorum defuncta fuerit: sed loquitur de *Ministerio Diaconico*, quo pauperes, peregrini, exules, ægroti curabantur, quale Ministerium olim Viduis quoque concredebatur, uti videre *1. Tim. 5. v. 9.* Quanquam sint, qui putent, eam fuisse fœminam aliam piam, præstantem, opulentam, quæ Cenchreæ hospitio suo sanctos, tum indigenas, tum peregrinos, tempore persequutionis, susceperit: sicuti legitur Rachabam Jerichunti Israëlitarum exploratores hospitio excepisse & protexisse. *Jos. 2. v. 1. &c.* sed de hoc plura in *Quæstionibus*. Heic verò alia quoque observanda commendationis Apostolicæ κιτιολογία. Nam si omnia Christi membra dilectione complecti debemus, quanto magis eos, qui ministerio aliquo præ aliis in Ecclesia funguntur?

II. *Modus*. Apostolus

α. *In genere* vult haberi eam à Romanis commendatam: Commendo vobis Phœben, *v. 1. a.* Vers. 1. a.

β. *In specie*. Apostolus vult *vers. 2.* eam 1. *Excipi ἀξίως*: Vulgat. *dignè*. Beza; *convenienter*, prout decet & ex- Vers. 2.

pedit. 2. *Tractari*: ut scil. adsint ei fideles Romani suo consilio, auxilio, patrocinio, in negotiis ejus Romæ expediendis. *Quomodo*, imò etiam *quare* (ut hæc alia quoq; sit commendationis αἰτιολογία) utrumque hoc fieri debeat, explicat Apostolus, quando addit

a. *In Domino*, quo vult eam excipi & tractari debere in Christi nomine.

b. *Convenienter Sanctis*, quo nomine tum *Romani*, tum ipsa *Phœbe* intelligi potest, ut sensus sit, ita esse excipiendā prout sanctos decet alios sanctos excipere, & hos ab illis excipi.

III. *Causa.* Αἰτιολογίαις jam prælibatis accedit superpondii loco, *vers. 2. b.* hæc, quæ desumpta est à Mulieris hujus φιλοξενίᾳ, *Hospitalitate*, quam exhibuerat tum multis aliis sanctis; tum inprimis Apostolo ipsi. Aequum est enim, ut, qui aliis benefaciunt, aliorum quoque beneficentiam experiantur. Charitatis enim id est, humanitatis & gratitudinis.

B. SALUTATIONES APOSTOLICÆ.

Occurrunt eæ in verbis seqq.

Vers. 3. *Salutate Priscillam & Aquilam, adjutores meos in Christo Jesu:*

Vers. 4. *(Qui pro anima mea suam ipsorum cervicem supposuerunt: quibus non ego solus gratias ago, sed etiam omnes Ecclesiæ Gentium:)*

Vers. 5. *Item Ecclesiam, quæ in domo eorum est. Salutate Epænetum, mihi dilectum, primitias Achajæ in Christo.*

Vers. 6. *Salutate Mariam, quæ multùm laboravit erga nos.*

Vers. 7. *Salutate Andronicum & Juniam, cognatos meos, & concaptivos meos, qui sunt insignes inter Apostolos, qui etiam ante me fuerunt in Christo.*

Vers. 8. *Salutate Ampliam, dilectum mihi in Domino.*

Verſ.9. *Salutate Urbanum, adjutorem noſtrum in Chriſto, & Stachyn mihi dilectum.*

Verſ.10. *Salutate Apellen, probatum in Chriſto. Salutate eos qui ſunt ex Ariſtobuli* (familiaribus.)

Verſ.11. *Salutate Herodianum cognatum meum. Salutate eos, qui ſunt ex Narciſſi* (familiaribus,) *eos* (inquam) *qui* (ſunt) *in Domino.*

Verſ.12. *Salutate Tryphænam & Tryphoſam, quæ laborant in Domino. Salutate Perſidam* (mihi) *dilectam, quæ multùm laboravit in Domino.*

Verſ.13. *Salutate Rufum, ſelectum in Domino, & Matrem ejus ac meam.*

Verſ.14. *Salutate Aſyncritum, Phlegontem, Hermanum, Patrobam, Hermen, & qui cum ejs ſunt Fratres.*

Verſ.15. *Salutate Philologum & Juliam, Nereum & ſororem ejus, & Olympam, qui cum iis ſunt, omnes ſanctos.*

Verſ.16. *Salutate alii alios oſculo ſancto. Salutant vos Eccleſiæ Chriſti.*

Comprehendunt iſta verba SALUTANDOS, tum *ſpecialiter*, nomine Pauli, *verſ.3.—15.* tum *generaliter* & *communiter* ab aliis Sanctis & Eccleſiis Chriſti. *κατὰ πόδα* autem iſta paucis percurrenda veniunt. Salutantur ergo ab Apoſtolo

I. PRISCILLA & AQUILA: par Conjugum, quos Paulus Corinthi ad fidem Chriſtianam perduxerat. *Aquila*, maritus, fuit patriâ Ponticus, ortu & religione primâ Judæus, *Act.18.v.1,2.* *Priſcilla*, Conjux ejus, vocatur alibi *Priſca, 2.Tim.4.v.19.* Præponitur à Paulo utrobique Marito, fortè, quòd ei exemplo fidei, pietatis, zeli atque virtutis præluxerit. Erant autem Homines, Pauli *ὁμότεχνοι*, videl. *σκηνοποιοὶ*, confectores tabernaculorum, *Act.18.v.3.* Sed Paulus, oſtendere volens, quare præ cœteris ſalutatione eos fuerit dignatus, commendat eos, à præſtito ſibi *Verſ.3.*

1. *Officio*, quum vocat *ſuos συνεργοὺς*, *Adjutores in Chriſto Jeſu, verſ.3.b.* non in munere publico Eccleſiaſtico, ſed in privata converſatione per admonitionem, conſolationem,

confir-

confirmationem fidelium; vel etiam insuper informationem & pædagogiam infidelium qualia officia à fidelibus in quovis statu non sunt aliena, juxta monitum Petri, *1.Pet.4.10.*

Verf. 4. 2. *Beneficio*, quoad ipsius personam, videl. Pauli in extremo vitæ periculo defensionem *verf.4.* quo summam eorum in fide Christi constantiam voluit insinuare. *Quomodo?* Proprio vitæ suæ periculo. Hinc dicuntur, *cervices suas suppofuisse pro anima*, i.e. vitâ Pauli: perinde, atque si quis ab alio occidendus, ejus locum tenere vellet ad ipsum liberandum, quod summum est charitatis pondus. Respicitur autem procul dubio ad tumultum, quem Judæi Corinthi, in Achaja, moverant contra Paulum, coram Gallione Proconsule, *Act.18.12.&c.* in quo hi Conjuges à Pauli partibus steterant, quod deinceps quoque testatum fecerant, quando ad insidias Judæorum declinandas, Paulo se comites in exilio adjunxerāt, *Act.18.18.*

Amplificat hoc beneficium ab *effecto*, videl. *Gratiarum actione*, quæ propter illud hisce Conjugibus, debeatur 1. à *Paulo* ipso 2. ab *Ecclesiis aliis omnibus, Gentium*, quarum fundationi, conservationi, confirmationi & propagationi, Paulus per hanc defensionem et ereptionem reservatus fuit. *v.4.b.*

Verf.5. a. *Adjunguntur* his Conjugibus in salutatione Paulina eorum domestici, *v.5* quando *Ecclesiæ* mentio fit, *quæ fit in eorum domo.* Sic alibi quoque, *1.Cor.16.19.* *Ecclesiæ* nomine partim familia eorum fidelis, partim cœtus aliorum fidelium, qui in domum earum confluxerant, ut sacris ibi vacarent, intelligi potest. Habemus ergò heic exemplum & specimen Ecclesiæ domesticæ in urbe Roma, quæ vera fuit Ecclesia, non innixa multitudini, non diffusa per Basilicas, sed clausa intra angustias domus Aquilæ, cui tamen omnia privilegia, Ecclesiæ in Scriptura attributa, conveniunt, juxta Christi promissionem, *Matth.18.20.*

Verf.5. b. II. *EPAENETUS.* Procul dubio ἐπαινετὸς aliquis fuit, & notæ præcipuæ in Ecclesia Romana, ut nomen fuerit Personæ ipsius conveniens. Hic Paulus eum dignatur gemino epitheto, vocans eum

1. *Dilectum sibi.* Ergo pium & fidelem.
2. *Primitias Achajæ in Christo*, id est, primum ex Gentibus in Achaja,

Achaja, Græciæ regione, converſum ad fidem Chriſti: & quidem ita, ut ipſius exemplo quoque alii fuerint converſi. Id enim inſinuat & connotat *Primitiarum* nomen, quibus olim in Vet. Teſtament. reliquæ fruges fuerant ſanctificatæ.

III. *MARIA*. Hanc Apoſtolus commendat à *labore* vocans *Verſ. 6.*
eam *multùm laborantem, v. 6.* Innuit officia charitatis & beneficentiæ erga Sanctos, ſicuti alibi Apoſtolus *charitatem* vocat *laborioſam, 1. Theſſ. 1. v. 3.* Addit Apoſtolus: *erga nos*, propter charitatis communionem, quæ hoc ſecum fert, ut, quod uni præſtatur, id alii quoque ſibi factum putent: qualis mutua officiorum communicatio quoque deprehenditur inter membra Corporis Humani.

IV. *ANDRONICUS* & *JUNIA*, quos Apoſtolus deſcribit *Verſ. 7.*

1. A' *familia* & *gente*. Vocat enim ſuos *συγγενεῖς, cognatos.* Sic indicat fuiſſe ex Gente Judaica: uti ſupra quoque Judæos vocaverat ſuos *συγγενεῖς κατὰ σάρκα. Cap. 9. 3.*
2. A' *communione perſequutionum Pauli.* Ideò vocat eos *συναιχμαλώτους αὐτοῦ, ſuos concaptivos.* An, quòd eodem in carcere cum Paulo fuerint detenti, uti Pareus conjectatur ex *Act. 16. 25, 26?* Hoc verò prorſus incertum eſt, inter illos *συνδέσμους* fuiſſe Andronicum & Juniam. Ergo *concaptivos* vocat, 1. à paritate *perſequutionis*, quia vincula ſuſtinuerunt, ut Paulus. 2. à paritate *cauſæ*, quia propter nomen & fidem Chriſti. 3. à paritate *conſtantiæ*, quia ne vinculis quidem potuerunt à fide Chriſti dimoveri.
3. Ab *Officio*. Vocantur enim porrò *ἐπίσημοι ἐν τοῖς Ἀποστόλοις.* Senſus ambiguus eſt. 1. *Inſignes in Apoſtolorum numero* & cœtu, aſt non *primariorum κατ' ἐξοχὴν* ſic dictorum: ſed *ſecundariorum*, qui Apoſtolorum nomine legatione ad alias Eccleſias fungebantur, qualium fit mentio, *2. Cor. 8. 23.* 2. *Inſignes* id eſt, in præclara exiſtimatione, *apud Apoſtolos*, videl. propter fidei conſtantiam & alias præclaras dotes atque virtutes. Quo ſenſu nonnulli ſub *Juniæ* nomine Chriſtianam fœminam intelligunt.
4. A' *prærogativa temporis converſionis ipſorum* ad fidem ante Paulum. Ideò additur: *qui fuerunt ante me*, id eſt, converſionem meam, *in Chriſto.* Obſerva, non dici tantùm, eos ante Paulum fidem in Chriſtum fuiſſe profeſſos, ſed jam

fuisse ante ipsum in Christo, id est, per fidem verè Christo insitos. Multi enim Christo adhærent ore, non corde. *Matth. 7. 21* Hinc illud B. Ignatii: ὁ διὰ μόνον καλεῖσθαι χριστιανὸς, ἀλλὰ καὶ εἶναι.

Vers. 8. V. *AMPLIAS*, *v. 8.* quem vocat *dilectum in Domino.* Vulgatus nominat *Ampliatum*. sic, Beza dicit, se invenisse in uno Codice. De dilectione autem non communi aut vulgari, qualem quivis proximo debet, loquitur Apostolus, sed fraternâ, fidem comitante, quæ debetur præ aliis τοῖς οἰκείοις τῆς πίστεως, *Gal. 6. 10.* Ideò addit: *in Domino*, id est, Christi causâ, & propter mutuam communionem Christi per fidem.

Vers. 9. VI. *URBANUS* & *STACHYS*, *v. 9.* quorum illum vocat Apostolus συνεργὸν, *suum adjutorem* aut collaboratorem, videl. in Officio & Ministerio Evangelico: hunc suum ἀγαπητὸν, *dilectum.* Si nominibus eorum sit insistendum, *Urbanus* fuerit *Latinus*; *Stachys* autem (quod Græcis *spinam* significat) *Græcus.*

Vers. 10. VII. *APELLES*, *v. 10. a.* Si, juxta Origenem, hic fuit *APOLLO* ille Judæus, natione Alexandrinus, cujus mentio fit *Act. 18. v. 24. & seqq.* fuit Vir magni nominis. Ibi enim loci commendatur ab *eloquentia*, *Scripturarum exquisita cognitione*, *fervente zelo*, singulari in docendo *diligentia* & παῤῥησίᾳ, quâ tandem, pleniùs ab Aquila & Priscilla informatus, cœpit Christum passim locorum publicè annunciare, & Judæos redarguere atque convincere. Paulus vocat hunc Apellen δόκιμον ἐν χριστῷ, *probatum in Christo*, non solùm propter fidem, quâ Christum amplexus & professus fuit; sed etiam propter fidei ipsius δοκιμασίαν per tolerantiam & constantiam, quam exhibuit in afflictionibus propter nomen Christi.

VIII. *ARISTOBULI familiares*, *v. 10. b.* Quia *Aristobulum* ipsum huic ἀσπασμῷ non includit, non videtur in fidelium numero collocandus. Cur enim Domino & Patrefamiliâs præterito, domesticos solos & familiares salutatione sua dignaretur Apostolus? Sed cur hos salutat? *Resp. 1.* Ut confirmaret eos in fide susceptâ. 2. ut præmuniret contra scandalum infidelitatis Heri, nec paterentur sese ejus exemplo corrumpi, aut ad apostasiam seduci. Interim duo Apostolus heic insinuat observanda:

1. *Familiarium Aristobuli* constantiam & ingenuitatem, quòd in Religione non fuerint sequuti partes Domini: quia *fides in Christum non est tenenda cum προσωποληψίᾳ, acceptione personarum. Jac. 2. 1.*

2. *Aristo-*

2. *Aristobuli*, licèt infidelis, lenitatem, quòd in Religione à se dissentientes non fuerit persequutus, non domo & familiâ ejecerit, sed toleraverit, aluerit, & in famulitio suo retinuerit. Quo in casu etiam fidelibus licet convivere infidelibus, quum nullum intenditur conscientiis ipsorum periculum, imò spes est, ut tali conversatione infideles insuper lucrifieri possint. *1. Pet. 2. 12.*

IX. HERODION, *v. 11. a.* quem vocat *Cognatum suum*, sicut ante *Andronicum & Juniam.* *Vers. 11.*

X. NARCISSI familiares, *v. 11. b.* quos describit ὄντας ἐν κυρίῳ, ut distinguat eos ab aliis domesticis infidelibus. Sunt, qui putent hunc *Narcissum* fuisse Libertum Claudii Imperatoris, Hominem opulentissimum, qui Imperatorem totum possederit, hincque adeò tandem Agrippinæ Imperatricis instinctu miserè fuerit jugulatus. Quicquid sit, apparet horum *domesticorum Narcissi* exemplo, Deum in medio luporum grege mirabiliter agmen suarum ovium conservare, & præteritis magnatibus hujus Mundi mysteria sui Evangelii retegere τοῖς νηπίοις, Matth. 11. 25. καὶ τοῖς ἐξουθενημένοις, *& iis, qui pro nihilo habentur. 1. Cor. 1. 28.*

XI. TRYPHOENA & TRYPHOSA, *v. 12. a.* Matronas intelligit *Vers. 12.*
duas sanctas, quas commendat à *labore in Domino*, sicuti ante Mariam, *v. 6.* Non intelligit labores Oeconomicos, quorum τὸ ἄγχερον & περισσὸν Christus olim damnaverat in Martha, *Luc. 10. 41.* sed labores, quibus ministraverunt sanctis per beneficentiam, hospitalitatem, &c. qualis φιλοπονία commendatur in Tabitha Joppensi, *Act 9. 36.*

XII. PERSIS, *v. 12. b.* quam Apostolus vocat *dilectam*, eamq; nonnihil supra priores Matronas extollit, commendans eam à *labore MULTO in Domino*, sine dubio, quòd non solùm laboriosa sua charitate multùm exhilaverit Sanctos, sed & quòd Evangelii causâ multùm laboraverit & periclitata fuerit.

XIII. RUFUS cum MATRE, v. 13. *Rufum*, filium, vocat *electum in* *Vers. 13.*
Domino. Beza *selectum*, ut commendetur singularis ejus etiam præ aliis fides, pietas, probitas: sicuti antea *v. 10. Apellen* vocaverat δόκιμον, *probatum in Christo.* Neque enim hic Apostolum intelligere puto tam electionem æternam, omnibus fidelibus communem; quàm Electionis hujus in hoc Rufo præclara, eminentiora & magis conspicua effecta & documenta. *Matrem* ejus vocat Apostolus *suam quoq; Matrem*, ut

commendet ejus ſolicitum erga Paulum etiam abſentem affectum, dilectionem & ἀνεγγυίαν, maternæ reſpondentem.

Verſ.14. XIV. *ASYNKRITUS, PHLEGON, HERMAN, PATROBA, HERMES.* Hos quinque in faſciculum colligit cum Fratribus Collegii ipſorum, *v.14* Procul dubio omnes fuēre Homines ſancti. *Hermanum* nonnulli ex veteribus volunt eſſe Hermetem, authorem Libri illius, qui vocatur *Paſtor*, qui periit. Apocryphum fuiſſe dubium non eſt.

Verſ.15. XV. *PHILOLOGUS & JULIA, NEREUS & SORORES ejus, & OLYMPA, v.15.* quo nomine Beza *Viri* non *Mulieris* perſonam intelligi putat. Apud Syrum eſt *Lympa.* Vulgatus reddit *Olympiadem*, contra omnium Codicum fidem, ut obſervavit Beza.

XVI. Adjungit his *OMNES SANCTOS* communiter, ne quem, quòd nominatus non eſſet, videretur excludere voluiſſe a ſua ſalutatione. *Sanctos* autem vocat propter vocationem ſanctam ad fidem
Verſ.16.a. Chriſti, & ſanctificationem per Spiritum S. *Concludit* tandem Apoſtolus admonitione, quâ Romanos ſuo exemplo exhortatur ad mutuam inter ſe ſalutationem, *v.16.a.* & quidem cum ceremonia *Oſculi*, ex more & conſuetudine illius temporis. *Sanctum* autem vocat *Oſculum*, ut diſtinguat, partim ab impudico, partim ab hypocritico & fraudulento oſculo, quale fuit olim Joabi, quo Amaſam oſculatus eſt, *2. Sam.20.9.* & Judæ Iſchariotis, qui Chriſtum oſculo prodidit. *Matth.26.49.*

Hactenus *SALUTATI.* Nunc ſequuntur

B. SALUTANTES.

Verſ.16.b. *Verſ.16.b. Salutant vos Eccleſiæ Chriſti. Eccleſiarum* meminit, ſcil. particularium, cùm una ſit Eccleſia Catholica, qualis tum temporis Romana non fuit: quippe diſtincta à reliquis Eccleſiis, Græcis potiſſimùm, à quibus Apoſtolus Romanæ Eccleſiæ ſalutem nunciat. Vulgatus & nonnulli ex veteribus addunt, *Omnes.* Nec mirum, cùm non latuerit Apoſtolum affectus, quo reliquæ omnes Eccleſiæ Romanam proſequebantur: cùm hujus fides tum temporis fuerit concelebrata in toto Mundo, uti narraverat ſuperiùs, *Cap.1.8.* & poſtea hoc *Cap. v.19.*

Hactenus *Salutationes:* ſequitur

C. AD-

C. ADMONITIO *ad Romanos instituta.*

Comprehensa ea est seqq. verbis.

Vers. 17. *Precor autem vos, fratres, ut observetis dissidiorum & scandalorum authores, contra doctrinam, quam vos didicistis: & declinetis ab eis.*

Vers. 18. *Nam qui ejusmodi* (sunt,) *Domino nostro Jesu Christo non serviunt, sed suo ventri: per blandiloquentiam & assentationem corda* (Hominum) *minimè malorum seducunt.*

Vers. 19. *Vestra enim obedientia ad omnes pervenit. Gaudeo igitur, quod ad vos* (attinet) *: sed volo vos sapientes quidem esse in rebus bonis, simplices verò in malis.*

Vers. 20. a. *Porrò Deus pacis* (Princeps) *conteret Satanam sub pedes vestros citò.*

Occurrit in his verbis Apostoli,

I. *Propositio Admonitionis*, quæ habetur v. 17. Ubi consideranda veniunt seqq. *Vers. 17.*

1. Quare Apostolus salutationibus præcedentibus Admonitionem hanc subjiciat? Nimirùm, quia in mentem revocavit, non solùm sanctos & γνησίους fideles, quales in salutationibus præcedentibus commendaverat, in Ecclesia Romana occurrere: sed multos quoque illis intermixtos seductores, doctrinæ sanæ Evangelii & Disciplinæ Ecclesiasticæ Adversarios, quales jam tum temporis passim in Ecclesiis, etiam ab Apostolis constitutis, inoleverant, uti testantur aliæ quoque Epistolæ Paulinæ ad Corinthios, Galatas, Philippenses, Thessalonicenses. Ita nullus Ecclesiæ ager plantari potest, quin Satan bono tritico interserat sua zizania.

2. *Quomodo* Apostolus hanc Exhortationem proponat. παρακαλῶ, inquit, *Moneo*, vel etiam, *precor* aut *obsecro*, nempe cum summa animi lenitate, quâ Romanis veluti fit supplex, ut tam blandæ monitioni faciliores aures præ-

beant, & affectum Pauli veluti Paternum in re summè seria agnoscant.

3. *Contra quos* eos exhortetur. Contra Authores τῶν διχοστασιῶν καὶ σκανδάλων, *dissidiorum & scandalorum*. Intelligit duum generum Homines.

α. Ἑτεροδιδασκαλοῦντας, qui in pura Apostolorum doctrina non permanserāt, sed suis καινοδοξίαις, quas præter imò contra Apostolor. doctrinam in Ecclesiam invexerant, unitatem fidei laceraverant: quales procul dubio Judæi fuerant, qui Christianismum licet amplexi passim tamē locorum Legem cum Evangelio miscuerant, & superstitionibus suis Judaicis puritatem doctrinæ Apostolicæ obscuraverant. Atque hoc sibi vult Apostolus, quum dicit: παρὰ τὴν διδαχὴν, ἣν ἐμάθετε. Ubi τὸ παρὰ significat tum *præter*, uti Vulgatus habet, tum *contra*, uti Beza. Certè in negotio fidei, præter & contra doctrinam Apostolicam in Scripturis Apostolicis propositam, coincidunt. *Gal. 1. 8.* juxta illud Christi, *Matth. 12. 30. Qui non est mecum, est contra me: Qui non colligit mecum, dissipat.* Hinc omnes quoque hodiernorum Romanorum traditiones dogmaticas, παρὰ τὴν διδαχὴν Apostolicam introductas, meritò explodimus, tanquam anti-apostolicas, adeoque apostaticas.

β. Σκανδαλίζοντας alios, qui vel vitâ suâ flagitiosâ, vel aliis artibus, doctrinam Evangelii contemptibilem reddiderunt, aliosque ab ejus amore alienarunt.

4. *Quid* Apostolus in hac Admonitione exigat à Romanis. Duo

α. *Observationem* turbatorum: *Ut observetis authores, &c.* Vult Romanos in excubiis ac veluti in specula aliqua stare, & lynceos oculos intendere in Turbatores Ecclesiæ Romanæ. *Necessitatem* hujus attentionis arguit 1. *socordia* & incuria nostra, quâ fit, ut dormientibus Hominibus Satan sua Zizania spargat, *Matth. 13. 26.* 2. *Astutia* & vafrities Hominum seductorum, qui mille artibus ad nocendum sese in-

insinuare possunt, juxta illud Christi: *Filii hujus seculi sunt longè calidiores, quàm filii Lucis. Luc. 16.8.*

β. Declinationem seu vitationem eorundem: *Et declinetis ab eis*, scil. per fugam, partim ipsorum τῶν ἀπατῶν, partim consortii & conversationis. Sic alibi, *Tit.3.10.*

II. *Confirmatio* causas exponit, & simul γνωρίσματα, ex quibus tales seductores cognosci & ab aliis dignosci possint. *v.18.* Desumuntur autem à consideratione. *Vers.18.*

1. CHRISTI, cujus doctrina & gloria per hos periclitetur. *Nam*, inquit, *qui ejusmodi sunt Dom. nostro Jesu Christo non serviunt.* Q. D. Etiamsi velint haberi & videri Ministri Christi, tamen revera non sunt, quia recedunt à Christi doctrina & Evangelio, spargunt suas doctrinas & adinventiones, gloriæ Christi derogant, & tandem scandalis suis efficiunt, ut Evangelium Christi in contemptum adducatur, imò blasphemetur ab incredulis.

2. *Seductorum.* Horum Apostolus describit *malitiam* & pravitatem

α. Ex *scopo*, quem præfixum habent. Dicit enim, *eos servire non Christo, sed ventri.* Describit ergo eos ut γαστροδούλους, innuens, *ventrem*, id est, quæstum, voluptates & propria commoda, horum Hominum scopum, imo *Deum* esse, *Phil.3.vers.18. qui doceant, quæ non oportet, turpis lucri gratia, Tit.1.v.11. quæstui habentes pietatem, 1.Tim.6.5.* Qui tales vult cognoscere, intueatur hodiernam Curiam Romanam, de qua Mantuanus:

——————Venalia nobis
Templa, Sacerdotes, Altaria, Sacra, Coronæ,
Ignis, thura, preces, cœlum est venale DEUS'QUE.

Hinc Erasmus Roterodamus olim Friderico Electori Saxoniæ interroganti: quibus de causis Lutherus Clero Pontificio tam esset exosus? respondit: *Geminâ de causâ, 1. quòd Papæ coronam; 2. Monachorum ventres tetigisset.*

β. Ex

β. Ex *effectis perniciosis* & malis, quæ invehunt in Ecclesiam. Mentionem enim facit Apostolus

a. *Διχοστασιῶν, dissidiorum, v.17.* quibus in Doctrina laceratur unitas Ecclesiæ, quæ est mysticum Domini corpus: perinde ac si quis membra Corporis Humani à se invicem discerperet. Videl. per lites & dissensiones ex *ἑτεροδιδασκαλίαις*, hinc scissiones.

b. *Scandalorum, ib.* quorũ participes fiunt tum *infirmi* in fide, ut nesciant, cui parti adhærere debeant: tum *alieni ab Evangelio*, ne illud amplectantur, sed contemnant, blasphement, & in sua infidelitate confirmentur.

c. *Ἐξαπατήσεως, seductionis, v.18.* Cui malo dicit Apostolus involvi etiam *τοὺς ἀκάκους*, id est, *simpliciores*, non malitiâ, sed imprudentiâ, quod minùs sint oculati ad observandas horum Impostorum technas, faciles ipsis aures accommodent, & in nassam eorum se pertrahi sinant.

γ. Ex *mediis fraudulentis*, quibus utuntur. Tribuit ipsis *v.18. χρηστολογίαν καὶ εὐλογίαν, blandiloquentiam & assentationem.* De duabus istis vocibus videantur Bezæ annotationes. *Habent* quidem *etiam Evangelii præcones*, verba sunt Calvini, *suam comitatem & suavitatem, verùm cum libertate conjunctam, ut neque Homines vanis laudibus demulceant, neque vitiis blandiantur: Illi autẽ impostores & assentatione sibi animos alliciunt, & vitiis parcunt atque indulgent, quo retinent illos sibi devinctos.* De talibus olim questus est *Ezech. 13. 18.* Christus, *Matth. 23. 24.* Paulus alibi, *2. Tim. 3. 6.* & Petrus, *2. Ep. 2. 13. & seqq.* Specimen egregium Apostolus heic voluit ob oculos ponere Religiosorum, Monachorum, inprimis verò Jesuitarum, in hodierna Ecclesia Romano-Papana.

Vers. 19. à

3. *Romanorum, v.19. Vestra enim obedientia, &c.* Commendat Romanos ab *obedientia*, quam hactenùs, sc. per resipiscentiam & fidem, exhibuerint Evangelii præconio, & quidem

dem cum gaudio, addens: *Gaudeo igitur, quantum ad vos attinet.* Q. D. Quanquam Impoſtorum inter vos nequitia mœrorem mihi adferat, tamen exhilarat me veſtra ſinceritas, obedientia, conſtantia, quâ hactenùs doctrinæ noſtræ adhæſiſtis, citra contagionem ſeductionis aliorum τῶν πρoσηκίρων. Dicit autem *obedientiam eorum*, id eſt, obedientiæ famam, *perveniſſe ad omnes*, ſcil. alias & exteras Eccleſias, cum magna ipſorum laude. Hinc ſic vult ratiocinari Apoſtolus:

Non decet eos locum dare Seductoribus, ſed potiùs modis omnibus eos declinare, qui jam per fidem obediverunt Evangelio, hincque apud omnes alias Eccleſias magnam laudem ſunt conſequuti, & Paulum magno perfuderunt gaudio.

Atqui tales eſtis vos Romani. Ergo, &c.

III. *Informatio* ſive Inſtructio, quâ conſilium ipſis ſuppeditat, ad cavendas Impoſtorum fraudes & ſeductiones, *v.19.b. Volo verò vos eſſe ſapientes quidem in rebus bonis, ſimplices verò in malis.* Commendaverat eorum promptitudinem & facilitatẽ in amplectendo Evangelio Chriſti & doctrina Apoſtolica. Ne conſimili facilitate & obedientiâ ſeſe exponerent Seductorum heterodidaſcaliis, fraudibus, technis; hæc verba cautionis loco appendit, exigens à Romanis *Verſ.19.b.*

1. *Sapientiam*, non utique *carnalem* & *mundanam*, qualis eſt verſutia & ſubtilitas ſophiſtica in doctrina, aſtutia & calliditas in vita, à qua dehortatur Petrus, *1. Epiſt. 2. v. 1.* ſed *ſpiritualem*, quæ conſiſtit in vigilantia, diligenti & ſolicita exploratione & fuga Seductorum eorumque doctrinæ, fraudum & machinationum: è contrario verò in cognitione, ſcrutatione omnis ſalutaris Veri & Boni. Ideò vult eſſe *ſapientes in REBVS BONIS.* Similes exhortationes occurrunt quoque alibi, *Eph.5.v.15,16,17. Col.3.16.& 4.5,6. Gal.4.18.*

2. *Simplicitatem*, quâ neceſſe eſt ſapientiam temperari, (uti viciſſim ἡ χρηστότης debet eſſe τῇ συνέσει κεκραμένη. *Nazianz.*) ne degeneret in calliditatem, uti fieri ſolet apud Homines mundanos. Idcircò addit: *Simplices IN MALIS.* παράδειγμα huic eſt prorsùs monitum Chriſti ad Diſcipu-

Zzz

los, *Matth.10.16.* vestitum similitudinibus à *Serpentum prudentia*, quam in eo exhibent, quòd Humanas insidias modis omnibus caveant & declinent: & *Columbarum simplicitate*, per quam innocuas sese omnibus volucribus aliis exhibent.

Vers. 20. a. IV. *Consolatio*, *vers.20.* Occurrere vult occultis Romanorum cogitationibus: Diabolus est πανουργότεχνος, quis ejus artes & insidias, quas nobis struit identidem per suos emissarios, eludat? *Respondere* vult Apostolus duo:

α. Παραινετικῶς, in certamine cum Satana, ejusque administris gnaviter & indesinenter pergendum, nec quicquam ei cedendum, juxta illud Jacobi: *Subjicite vos Deo, obsistite Diabolo, & fugiet à vobis. Jac.4.7.*

β. Ἐπαγγελτικῶς, fructum & eventum fore exoptatum, videl. *Victoriam.* Vbi quidem indicat Apostolus seqq.

1. *A quo* ista Victoria sit sperãda. *A Deo pacis.* Sic supra quoque Deum vocaverat, *cap.15.33.* Sic passim alibi, *1.Cor.14.33. 2.Cor.13.13. 1.Thess.5.23. 2.Thess.3.16. Heb.13.20.* Talis autẽ dicitur Deus tum *passivè* quia jam nobis pacatus & reconciliatus est per Christũ, qui propterea vocatur *Princeps pacis, Jes.9.7.* tum *activè*, quia non solùm sua pace nos donat, sed & pacem nobis præstat à Satana & Hostibus nostris, non quidem ut nos odisse & persequi cessent, sed ne quicquam saluti nostræ obstare possint. *Rom. 8. 38,39.*

2. *Contra quem.* Contra *Satanam*, tanquam principalem Hostem nostrum, sed à Christo jam victum & exarmatum, *Joh.16.11.* ita tamen, ut vires suas subinde recolligere nitatur, quamdiu vivimus, nobisque insultare pergat.

3. *Quomodo. Conteret sub pedes vestros.* per allusionem ad Protevangelium de contritione Capitis serpentis, *Gen.3.v.15.* Idem promissum olim fuit Capiti nostro Christo, *Psal.110.1.* In hocquidem jam plenè vicimus & prostravimus Satanam, *Col.2.15.* Quia tamen nobis, tanquam membris, Satan, cui habenas Deus ad tempus laxare solet, insidiari & insultare solet, tan-

quam

quam Leo rugiens, *1.Pet.5.8.* ideò promittitur *contritio sub pedes*, id est, plena de ipso victoria.

4. *Quando. ἐν τάχει, citò.* Contritio ista Satanæ non fit simul ac semel, sed successivè & gradatim.

Inchoatur in hoc seculo, quando fideles omnis generis tentationes Satanicas fidei virtute superant.

Consummabitur demùm plenè in altero seculo, quando Satan cum suo primogenito Antichristo, omnibusque hostibus nostris, *projicientur in stagnum ignis & sulphuris, & torquebuntur die & nocte in secula seculorum. Apoc.20.10.*

PARS II. CAPITIS XVI.

TRANSITIO. Hactenus *primâ EPILOGI* Epistolæ hujus *parte* digesta fuerunt varia *Monita*, pertinentia partim ad *Apostoli* personam, Capite præced. partim ad ipsos *Romanos*, primâ hujus Capitis parte pertractata. Nunc sequitur *postrema* & finalis *Epilogi pars*, quæ continet, I. *Votum* Apostoli, pro Romanorum salute, cum intermixtis *salutationibus* novis. II. Δοξολογίαν, sive *celebrationem Dei.* Cui tandem annectitur ὑπογραφὴ & *Subscriptio Epistolæ.* De his nunc ordine.

Vers.20.b. *Gratia Domini nostri Jesu Christi* (sit) *vobiscum. Amen.*

Vers.21. *Salutant vos Timotheus, adjutor meus, & Lucius & Jason, & Sosipater, cognati mei.*

Vers.22. *Saluto vos in Domino ego Tertius, qui descripsi Epistolam.*

Vers.23. *Salutat vos Gajus, hospes meus, & Ecclesia totius. Salutat vos Erastus, procurator Vrbis, & Quartus, frater.*

Vers.24. *Gratia Domini nostri Jesu Christi* (sit) *cum omnibus vobis. Amen.*

Vers.25. *Ei verò, qui potest vos stabilire secundùm Evan-*

gelium meum, & praconium Jesu Christi, ex patefactione mysterii, quod à temporibus æternis tacitum fuit;

Vers. 26. *Nunc verò factum est manifestum, & per Scripturas Propheticas, ex imperio æterni Dei, ad obedientiam fidei omnibus Gentibus declaratum:*

Vers. 27. *Soli* (inquam) *sapienti Deo gloria per Jesum Christum in secula. Amen.*

A. VOTUM APOSTOLICUM.

Vers. 20. & 24. *VOTUM* Apostoli, quo Romanos prosequitur, extat *vers. 20.* quod postea repetitur *v. 24.* Quid de ista repetitione sentiendum veniat, videatur Beza in Annotation.

I. *Occasio Voti* intelligi potest ex verbis præcedentib. in quibus actum de cavendis seductoribus, & contritione Satanæ. Hinc *totum* hoc appendere voluit Apostolus, non solùm pro more & consuetudine recepta suarum Epistolarũ, sed ut simul Romanos, omnesque alios fideles in eorum persona commonefaceret de duobus:

1. Non esse nostræ opis & virium, talia præstare, sed pendere ea à solo Deo, ejusque gratia, & virtute Spiritus S. Nullæ enim nobis ex nobis ipsis restant vires, quibus Satanam, fortem illum armatum, conterere, aut laqueos ejus, quos nobis per sua instrumenta, emissarios & impostores ponit, declinare possemus: cùm Homo in natura extra Dei gratiam consideratus, nihil sit aliud, quàm filius iræ & mancipium Satanæ.
2. Officii nostri esse à Deo hanc gratiam petere atque vovere, tum pro se, tum pro aliis, exemplo Pauli.

II. *Summa Voti,* quid petat: *Communionem gratiæ Domini nostri Jesu Christi.* Paulus alibi *2. Thess. 2. 17. 18.* hanc clausulam & finale votum dicit esse σημεῖον vel τεκμήριον, quo genuinæ ipsius Epistolæ ab aliis adulterinis & suppositiis discernantur. Ut hinc quoque evidenter colligere liceat, hanc Epistolam esse Pauli, ac verè Canonicam, Apostolicam. *Observanda* autem heic veniunt seqq.

1. Quòd Apostolus voto huic non includat expresſè bona temporalia, v. g. sanitatem corporis, divitias, honores, voluptates, potentiam, & consimilia mundana, de quibus

alibi

alibi dicit, quòd sint σχήματα, *species* tantùm *Mundi prateriens*, *1.Cor.7.31.* & talia sunt infidelibus cum fidelibus, impiis cum piis communia; imò filii hujus seculi talibus plerumque magis circumfluunt, quàm filii Dei. Sed *Gratiæ* nomine spiritualia & cœlestia bona indigitat, in Regno Dei quærenda, uti supra *Rom.14.17.*

2. Quòd bonis istis *Gratiæ* nomen assignet, ut insinuet, non nostro merito ea nobis obtingere, sed ex sola gratuita Dei misericordia. *1.Cor.4.7. 2.Cor.3.5.*

3. Quòd ista *Gratia* sit *Domini nostri Jesu Christi.* Nam in hoc solo residet Dei εὐδοκία, *Matth.3.17. & 17.5.* Ipse solus gratiam Dei per peccatum amissam nobis restituit, merito suæ obedientiæ usque ad mortem crucis. In ipsum solum omnis plenitudo gratiæ Divinæ fuit diffusa, ut ex ea hauriamus gratiam pro gratia. *Joh.1.16.*

4. Quòd loquatur non solùm de *Gratia* Christi, sed & de *ipsius Communione. Gratia Christi sit vobiscum.* Sicut enim fons nihil prodesset, non haurientibus & participantibus: Sic gratia Dei in Christo nihil prodesset, nisi ad ejus communionem admitteremur. Quid thesaurus in agro absconditus prodesset, nisi effodias & in tuum peculium & usum transferas? Sic nec gratia Dei in Christo abscondita, in Evangelio autem patefacta, tibi profutura, nisi per fidem in ejus devenias possessionem & communionem.

III. *Modus*, quo *votum* hoc Apostolus concipit, spirat ardentem ipsius charitatem erga Romanos. Patet 1. ex particula optativa: *Amen*, id est, *hoc fiat.* 2. ex repetitione *v.24* cujus jam est mentio facta, quæ superaddit voto priori particulam universalem, *omnes*: *Gratia Christi sit cum* OMNIBUS *vobis.*

B. SALUTATIONES VOTO *intermixtæ.*

Jam supra habuimus aliquot *salutationes*, respicientes partim *Salutandos*, partim *Salutantes*. Ast hoc quod attinet, Apostolus *v.16. generatim* Romanis salutem dixit *ab Ecclesiis Christi.* Nunc verò *v.21,22,23. speciatim* ac nominatim certarum salutantium personarum facit men-

tionem, idque geminam potissimùm ob causam. 1. Ut conjunctionem inter multùm dissitas Ecclesias foveret, & ostenderet, Ecclesiam Christi Catholicam non ad unitatem certi alicujus loci ac sedis alligatam, ut volunt hodierni Romano-Pontificii; sed communionem sanctorum, de qua in Symbolo, extendere se in totum Orbem ad omnes eos, qui nomen Christi sincerè profitentur, cujuscunque sint vel nationis vel conditionis. Numerantur enim à Paulo inter salutantes, fideles tum Judæi tum Græci; ordinis tum Politici, tum Ecclesiastici. 2. Ut per horum salutantium veluti subscriptionem, Epistolæ suæ apud Romanos majus pondus conciliaret: non Pauli respectu, qui, tanquam Apostolus Christi, non necesse habuit testimonium accipere ab Hominibus, sed Romanorum respectu, ut hi tanto magis in fide Christi, hac in Epistola tradita, confirmarentur, de quo plura monebo in *Quæstionibus*.

Succedunt nunc Personæ salutantes, numero octo.

Vers. 21. I. TIMOTHEVS, quem vocat *suum συνεργὸν, Adjutorem*. Est ille ipse Timotheus Lystiensis, cujus fit mentio *Act. 16.* Matre Judæus, Patre Græcus, quem Apostolus propter Judæos circumcidit, & voluit itinerum suorum esse comitem. Cujus etiam passim alibi facit honorificam mentionem, & ad quem binas literas dedit, quæ in manibus nostris versantur.

II. LVCIVS. Hunc Origenes suspicatur fuisse *Lucam Evangelistam*. Atqui Paulus, quum Lucæ Evangelistæ mentionem facit, nullibi eum *Lucium*, sed *Lucam* vocat, *Col. 4. 14. 2. Tim. 4. 11. Philem. v. 24.* Hinc Pareus existimat, intelligi potiùs *Lucium Cyrenæum* ex numero Prophetarum Ecclesiæ Antiochenæ, *Act. 13. 1.*

III. JASON, procul dubio est Thessalonicensis ille, cujus fit mentio *Act. 17. 5. 6. 7.* qui Paulum Thessalonicæ docentem hospitio excepit, & adversùs furores Judæorum tutatus est. Dorotheus Episcopus Tyri scribit, hunc Tarsi factum Episcopum. Ut hoc semel dicam, Dorotheus hic sub Diocletiano & Constantino M. Impp. claruit, usque ad tempora Juliani Apostatæ, sub quo & Martyrium passus est. Is in Synopsi XII. Apostolorum, LXX. discipulorum Domini & Prophetarum, plerorumque, quorum Paulus hoc CAP. XVI. in salutationibus meminit, sub titulo 70. discipulorum, mentionem facit, quò Lector remittitur.

IV. SOSIPATER. Hunc Dorotheus Iconii vult factum Episcopum.

ſcopum. Origenes vult eſſe *Sopatrem Berhoënſem*, qui Paulum per Græciam & Macedoniam comitatus eſt in Aſiam, *Act.20.4.*

Obſervetur inter alia, Paulum tres proximè præcedentes, *Lucium, Jaſonem* & *Soſipatrum* vocare συγγενεῖς αὐτοῦ, *cognatos ſuos*, videl. ſecundùm carnem, adeoque Judæos, uti ſupra quoq; *v.11.* Herodionem.

V. TERTIUS. *v.22.* Quia *Tertius* egit in ſcribenda hac Epiſtola amanuënſem Apoſtoli, ut ipſemet heic fatetur: ideò ſua manu & in propria perſona Rom. ſalutat: *Saluto vos ego Tertius. Τὸ in Domino*, ſequitur demũ verba: ὁ γράψας τὴν ἐπιστολὴν. Sed rectè obſervatum à Beza, referendũ eſſe ad antecedens, ἀσπάζομαι, *ſaluto vos in Domino*, id eſt, Chriſto, tanquam ſanctos per fidem ei agglutinatos. Τὸ γράψας, heic non ſignificat ſimpliciter *ſcribere*, ut vertit Vulgatus, ſed ſecundùm Syrum, *deſcribere*, ut innuat, *ſe vel dictante Paulo excepiſſe, vel potius ex ejus adverſariis deſcripſiſſe hanc Epiſtolam.* Beza. *Tertium* hunc Dorotheus dicit, factum eſſe Epiſcopum Ionii. *Verſ. 22.*

VI. GAJUS, *v.23.* Annotat Theod. Beza, trium *Gajorum* in Hiſtoria Apoſtolica fieri mentionem, *Derbæi, Act. 20. 4. Macedonici, Act. 19. 29.* & *Corinthiaci*, à Paulo baptizati, *1.Cor. 1.14.* Et hunc poſtremum intelligi à Paulo hoc loco: quippe qui Corinthi tum fuerit, unde Apoſtolus hanc Epiſtolam ad Romanos ſcripſit. Dorotheus prædictus vult hunc *Gajum* Epheſiorum Epiſcopum poſt Timotheum factum eſſe. Paulus eum commendat ab *Hoſpitalitate*, non tantùm ſibi, ſed & Eccleſiæ toti exhibita. Ideò vocat ξένον, id eſt, ξενοδόχον, hoſpitio alios ſanctos excipientem, quæ præclara virtus etiam ſupra in *Phœbe* fuerat collaudata, *v.2.* *Verſ. 23.*

VII. ERASTUS, *v.23. b.* quem deſcribit Apoſtolus ab *officio politico*, vocans eum οἰκονόμον τῆς πόλεως, *procuratorem Urbis*, videl. Corinthiacæ, unde Epiſtola fuit, uti modò dixi, exarata. Ejus alibi quoque mentio facta, *2.Tim. 4.20. Act.19.21.*

VIII. QUARTUS, qui dicitur ὁ ἀδελφὸς, *frater.* Hunc Dorotheus vult factum Beryti Epiſcopum.

C. ΔΟΞΟΛΟΓΙΑ APOSTOLICA.

Finem Apoſtolus toti Epiſtolæ imponit præclarâ ΔΟΞΟΛΟΓΙΑ, & *Celebratione Dei*, ut, quemadmodum ſupra τῇ εὐχαριστίᾳ orſus fuerat Epiſtolam, *Cap.1.v.8.* ita nunc eandem laudibus & præconio Dei finiret, *v.25.26.27.* Occurrit heic Δοξολογίας.

I. *Pro-*

beant, & affectum Pauli veluti Paternum in re summè seria agnoscant.

3. *Contra quos* eos exhortetur. Contra Authores τῶν διχοστασιῶν καὶ σκανδάλων, *dissidiorum & scandalorum*. Intelligit duum generum Homines.

α. Ετεροδιδασκαλοῦντας, qui in pura Apostolorum doctrina non permanserãt, sed suis κενοδοξίαις, quas præter imò contra Apostolor. doctrinam in Ecclesiam invexerant, unitatem fidei laceraverant: quales procul dubio Judæi fuerant, qui Christianismum licet amplexi passim tamẽ locorum Legem cum Evangelio miscuerant, & superstitionibus suis Judaicis puritatem doctrinæ Apostolicæ obscuraverant. Atque hoc sibi vult Apostolus, quum dicit: παρὰ τὴν διδαχὴν, ἣν ἐμάθετε. Ubi τὸ παρὰ significat tum *prater*, uti Vulgatus habet, tum *contra*, uti Beza. Certè in negotio fidei, præter & contra doctrinam Apostolicam in Scripturis Apostolicis propositam, coincidunt. *Gal. 1. 8.* juxta illud Christi, *Matth. 12. 30. Qui non est mecum, est contra me: Qui non colligit mecum, dissipat.* Hinc omnes quoque hodiernorum Romanorum traditiones dogmaticas, παρὰ τὴν διδαχὴν Apostolicam introductas, meritò explodimus, tanquam anti-apostolicas, adeoque apostaticas.

β. Σκανδαλίζοντας alios, qui vel vitâ suâ flagitiosâ, vel aliis artibus, doctrinam Evangelii contemptibilem reddiderunt, aliosque ab ejus amore alienarunt.

4. *Quid* Apostolus in hac Admonitione exigat à Romanis. Duo;

α. *Observationem* turbatorum: *Ut observetis authores, &c.* Vult Romanos in excubiis ac veluti in specula aliqua stare, & lynceos oculos intendere in Turbatores Ecclesiæ Romanæ. *Necessitatem* hujus attentionis arguit 1. *socordia* & incuria nostra, quâ fit, ut dormientibus Hominibus Satan sua Zizania spargat, *Matth. 13. 26.* 2. *Astutia* & vafrities Hominum seductorum, qui mille artibus ad nocendum sese in-

insinuare possunt, juxta illud Christi: *Filii hujus seculi sunt longè callidiores, quàm filii Lucis. Luc. 16. 8.*

b. *Declinationem* seu vitationem eorundem: *Et declinetis ab eis*, scil. per fugam, partim ipsorum τῆς ἀπάτης, partim consortii & conversationis. Sic alibi, *Tit. 3. 10.*

II. *Confirmatio* causas exponit, & simul γνωρίσματα, ex quibus tales seductores cognosci & ab aliis dignosci possint. *v. 18.* Desumuntur autem à consideratione. Vers. 18.

1. CHRISTI, cujus doctrina & gloria per hos periclitetur. *Nam*, inquit, *qui ejusmodi sunt Dom. nostro Jesu Christo non serviunt.* Q. D. Etiamsi velint haberi & videri Ministri Christi, tamen revera non sunt, quia recedunt à Christi doctrina & Evangelio, spargunt suas doctrinas & adinventiones, gloriæ Christi derogant, & tandem scandalis suis efficiunt, ut Evangelium Christi in contemptum adducatur, imò blasphemetur ab incredulis.

2. *Seductorum.* Horum Apostolus describit *malitiam* & pravitatem

a. Ex *scopo*, quem præfixum habent. Dicit enim, *eos servire non Christo, sed ventri.* Describit ergo eos ut γαστροδούλους, innuens, *ventrem*, id est, quæstum, voluptates & propria commoda, horum Hominum scopum, imo *Deum* esse, *Phil. 3. vers. 18. qui doceant, quæ non oportet, turpis lucri gratia, Tit. 1. v. 11. quæstui habentes pietatem, 1. Tim. 6. 5.* Qui tales vult cognoscere, intueatur hodiernam Curiam Romanam, de qua Mantuanus:

----------------- Venalia nobis
Templa, Sacerdotes, Altaria, Sacra, Coronæ,
Ignis, thura, preces, cœlum est venale DEUS'QUE.

Hinc Erasmus Roterodamus olim Friderico Electori Saxoniæ interroganti: quibus de causis Lutherus Clero Pontificio tam esset exosus? respondit: *Geminâ de causâ, 1. quòd Papæ coronam; 2. Monachorum ventres tetigisset.*

b. Ex

β. Ex *effectu perniciosis* & malis, quæ invehunt in Ecclesiam. Mentionem enim facit Apostolus

a. *Διχοστασιῶν, dissidiorum, v.17.* quibus in Doctrina laceratur unitas Ecclesiæ, quæ est mysticum Domini corpus: perinde ac si quis membra Corporis Humani à se invicem discerperet. Videl. per lites & dissensiones ex ἑτεροδιδασκαλίαις, hinc scissiones.

b. *Scandalorum, ib.* quorū participes fiunt tum *infirmi* in fide, ut nesciant, cui parti adhærere debeant: tum *alieni ab Evangelio*, ne illud amplectantur, sed contemnant, blasphement, & in sua infidelitate confirmentur.

c. Ἐξαπατήσεως, *seductionis, v.18.* Cui malo dicit Apostolus involvi etiam τὰς ἀκάκους, id est, *simpliciores*, non malitiâ, sed imprudentiâ, quòd minùs sint oculati ad observandas horum Impostorum technas, faciles ipsis aures accommodent, & in nassam eorum se pertrahi sinant.

γ. Ex *mediis fraudulentis*, quibus utuntur. Tribuit ipsis *v.18.χρηστολογίαν καὶ εὐλογίαν, blandiloquentiam & assentationem.* De duabus istis vocibus videantur Bezæ annotationes. *Habent* quidem *etiam Evangelii præcones*, verba sunt Calvini, *suam comitatem & suavitatem, verùm cum libertate conjunctam, ut neque Homines vanis laudibus demulceant, neque vitiis blandiantur: Illi autē impostores & assentatione sibi animos alliciunt, & vitiis parcunt atque indulgent, quo retinent illos sibi devinctos.* De talibus olim questus est *Ezech.13.18.* Christus, *Matth.23.24.* Paulus alibi, *2.Tim.3.6.* & Petrus, *2. Ep.2.13. & seqq.* Specimen egregium Apostolus heic voluit ob oculos ponere Religiosorum, Monachorum, inprimis verò Jesuitarum, in hodierna Ecclesia Romano-Papana.

Vers.19. à 3. *Romanorum, v.19. Vestra enim obedientia, &c.* Commendat Romanos ab *obedientia*, quam hactenus, sc. per resipiscentiam & fidem, exhibuerint Evangelii præconio, & quidem

dem cum gaudio, addens: *Gaudeo igitur, quantum ad vos attinet.* Q. D. Quanquam Impoſtorum inter vos nequitia mœrorem mihi adferat, tamen exhilarat me veſtra ſinceritas, obedientia, conſtantia, quâ haſtenùs doctrinæ noſtræ adhæſiſtis, citra contagionem ſeductionis aliorum *τῶν πρoσκαίρων*. Dicit autem *obedientiam eorum*, id eſt, obedientiæ famam, *perveniſſe ad omnes*, ſcil. alias & exteras Eccleſias, cum magna ipſorum laude. Hinc ſic vult ratiocinari Apoſtolus:

Non decet eos locum dare Seductoribus, ſed potiùs modis omnibus eos declinare, qui jam per fidem obediverunt Evangelio, hincque apud omnes alias Eccleſias magnam laudem ſunt conſequuti, & Paulum magno perfuderunt gaudio.
Atqui tales eſtis vos Romani. Ergo, &c.

III. *Informatio* ſive Inſtructio, quâ conſilium ipſis ſuppeditat, ad cavendas Impoſtorum fraudes & ſeductiones, *v.19.b.* *Volo verò vos eſſe ſapientes quidem in rebus bonis, ſimplices verò in malis.* Commendaverat eorum promptitudinem & facilitatē in amplectendo Evangelio Chriſti & doctrina Apoſtolica. Ne conſimili facilitate & obedientiâ ſeſe exponerent Seductorum heterodidaſcaliis, fraudibus, technis; hæc verba cautionis loco appendit, exigens à Romanis *Verſ.19.b.*

1. *Sapientiam*, non utique *carnalem* & *mundanam*, qualis eſt verſutia & ſubtilitas ſophiſtica in doctrina, aſtutia & calliditas in vita, à qua dehortatur Petrus, *1.Epiſt.2.v.1.* ſed *ſpiritualem*, quæ conſiſtit in vigilantia, diligenti & ſolicita exploratione & fuga Seductorum eorumque doctrinæ, fraudum & machinationum: è contrario verò in cognitione, ſcrutatione omnis ſalutaris Veri & Boni. Ideò vult eſſe *ſapientes in* REBVS BONIS. Similes exhortationes occurrunt quoque alibi, *Eph.5.v.15,16,17. Col.3.16.& 4.5,6. Gal.4.18.*
2. *Simplicitatem*, quâ neceſſe eſt ſapientiam temperari, (uti viciſſim ἡ χρηστότης debet eſſe *τῇ συνέσει κεκραμένη. Nazianz.*) ne degeneret in calliditatem, uti fieri ſolet apud Homines mundanos. Idcircò addit: *Simplices* IN MALIS. *παράλληλον* huic eſt prorsùs monitum Chriſti ad Diſcipu-

los, *Matth.10.16.* vestitum similitudinibus à *Serpentum prudentia*, quam in eo exhibent, quòd Humanas insidias modis omnibus caveant & declinent: & *Columbarum simplicitate*, per quam innocuas sese omnibus volucribus aliis exhibent.

Vers. 20. a. IV. *Consolatio*, *vers.20.* Occurrere vult occultis Romanorum cogitationibus: Diabolus est πολυτέχνης, quis ejus artes & insidias, quas nobis struit identidem per suos emissarios, eludat? *Respondere* vult Apostolus duo:

α. Παρακλητικῶς, in certamine cum Satana, ejusque administris gnaviter & indesinenter pergendum, nec quicquam ei cedendum, juxta illud Jacobi: *Subjicite vos Deo, obsistite Diabolo, & fugiet à vobis. Jac.4.7.*

β. Ἐπαγγελτικῶς, fructum & eventum fore exoptatum, videl. *Victoriam.* Vbi quidem indicat Apostolus seqq.

1. *A quo* ista Victoria sit sperãda. *A Deo pacis.* Sic supra quoque Deum vocaverat, *cap.15.33.* Sic passim alibi, *1.Cor.14.33. 2.Cor.13.13. 1.Thess.5.23. 2.Thess.3.16. Heb.13.20.* Talis autẽ dicitur Deus tum *passivè* quia jam nobis pacatus & reconciliatus est per Christũ, qui propterea vocatur *Princeps pacis, Jes.9.7.* tum *activè*, quia non solùm sua pace nos donat, sed & pacem nobis præstat à Satana & Hostibus nostris, non quidem ut nos odisse & persequi cessent, sed ne quicquam saluti nostræ obstare possint. *Rom. 8. 38,39.*

2. *Contra quem.* Contra *Satanam*, tanquam principalem Hostem nostrum, sed à Christo jam victum & exarmatum, *Joh.16.11.* ita tamen, ut vires suas subinde recolligere nitatur, quamdiu vivimus, nobisque insultare pergat.

3. *Quomodo. Conteret sub pedes vestros.* per allusionem ad Protevangelium de contritione Capitis serpentis, *Gen.3.v.15.* Idem promissum olim fuit Capiti nostro Christo, *Psal.110.1.* In hocquidem jam plenè vicimus & prostravimus Satanam, *Col.2.15.* Quia tamen nobis, tanquam membris, Satan, cui habenas Deus ad tempus laxare solet, insidiari & insultare solet, tan-

quam

quam Leo rugiens, *1.Pet.5.8.* ideò promittitur *contritio sub pedes*, id est, plena de ipso victoria.

4. *Quando.* *ἐν τάχει, citò.* Contritio ista Satanæ non fit simul ac semel, sed successivè & gradatim.

Inchoatur in hoc seculo, quando fideles omnis generis tentationes Satanicas fidei virtute superant.

Consummabitur demùm plenè in altero seculo, quando Satan cum suo primogenito Antichristo, omnibusque hostibus nostris, *projicientur in stagnum ignis & sulphuris, & torquebuntur die & nocte in secula seculorum. Apoc.20.10.*

PARS II. CAPITIS XVI.

TRANSITIO. Hactenus *primâ* EPILOGI Epistolæ hujus *parte* digesta fuerunt varia *Monita*, pertinentia partim ad *Apostoli* personam, Capite præced. partim ad ipsos *Romanos*, primâ hujus Capitis parte pertractata. Nunc sequitur *postrema* & finalis *Epilogi pars*, quæ continet, I. *Votum* Apostoli, pro Romanorum salute, cum intermixtis *salutationibus* novis. II. *Δοξολογίαν*, sive *celebrationem Dei.* Cui tandem annectitur *ὑπογραφὴ* & *Subscriptio Epistolæ.* De his nunc ordine.

Vers.20.b. *Gratia Domini nostri Jesu Christi* (sit) *vobiscum. Amen.*

Vers.21. *Salutant vos Timotheus, adjutor meus, & Lucius & Jason, & Sosipater, cognati mei.*

Vers.22. *Saluto vos in Domino ego Tertius, qui descripsi Epistolam.*

Vers.23. *Salutat vos Gajus, hospes meus, & Ecclesiæ totius. Salutat vos Erastus, procurator Vrbis, & Quartus, frater.*

Vers.24. *Gratia Domini nostri Jesu Christi* (sit) *cum omnibus vobis. Amen.*

Vers.25. *Ei verò, qui potest vos stabilire secundùm Evan-*

gelium meum, & præconium Jesu Christi, ex patefactione mysterii, quod à temporibus æternis tacitum fuit;
Vers.26. *Nunc verò factum est manifestum, & per Scripturas Propheticas, ex imperio æterni Dei, ad obedientiam fidei omnibus Gentibus declaratum:*
Vers.27. *Soli* (inquam) *sapienti Deo gloria per Jesum Christum in secula. Amen.*

A. VOTUM APOSTOLICUM.

Vers.20. & 24. *VOTUM* Apostoli, quo Romanos prosequitur, extat *vers.20.* quod postea repetitur *v. 24.* Quid de ista repetitione sentiendum veniat, videatur Beza in Annotation.

I. *Occasio Voti* intelligi potest ex verbis præcedentib. in quibus actum de cavendis seductoribus, & contritione Satanæ. Hinc *totum* hoc appendere voluit Apostolus, non solùm pro more & consuetudine recepta suarum Epistolarū, sed ut simul Romanos, omnesque alios fideles in eorum persona commonefaceret de duobus:

1. Non esse nostræ opis & virium, talia præstare, sed pendere ea à solo Deo, ejusque gratia, & virtute Spiritus S. Nullæ enim nobis ex nobis ipsis restant vires, quibus Satanam, fortem illum armatum, conterere, aut laqueos ejus, quos nobis per sua instrumenta, emissarios & impostores ponit, declinare possemus: cùm Homo in natura extra Dei gratiam consideratus, nihil sit aliud, quàm filius iræ & mancipium Satanæ.
2. Officii nostri esse à Deo hanc gratiam petere atque vovere, tum pro se, tum pro aliis, exemplo Pauli.

II. *Summa Voti*, quid petat: *Communionem gratiæ Domini nostri Jesu Christi.* Paulus alibi *2. Thess. 2. 17. 18.* hanc clausulam & finale votum dicit esse σημεῖον vel κριτήριον, quo genuinæ ipsius Epistolæ ab aliis adulterinis & suppositiis discernantur. Ut hinc quoque evidenter colligere liceat, hanc Epistolam esse Pauli, ac verè Canonicam, Apostolicam. *Observanda* autem heic veniunt seqq.

1. Quòd Apostolus voto huic non includat expresse bona temporalia, v. g. sanitatem corporis, divitias, honores, voluptates, potentiam, & consimilia mundana, de quibus alibi

alibi dicit, quòd sint σχῆμα, *species* tantùm *Mundi prateriens*, *1.Cor.7.31.* & talia sunt infidelibus cum fidelibus, impiis cum piis communia; imò filii hujus seculi talibus plerumque magis circumfluunt, quàm filii Dei. Sed *Gratia* nomine spiritualia & cœlestia bona indigitat, in Regno Dei quærenda, uti supra *Rom.14.17.*

2. Quòd bonis istis *Gratia* nomen assignet, ut insinuet, non nostro merito ea nobis obtingere, sed ex sola gratuita Dei misericordia. *1.Cor.4.7. 2.Cor.3.5.*

3. Quòd ista *Gratia* sit *Domini nostri Jesu Christi.* Nam in hoc solo residet Dei εὐδοκία, *Matth.3.17. & 17.5.* Ipse solus gratiam Dei per peccatum amissam nobis restituit, merito suæ obedientiæ usque ad mortem crucis. In ipsum solum omnis plenitudo gratiæ Divinæ fuit diffusa, ut ex ea hauriamus gratiam pro gratia. *Joh.1.16.*

4. Quòd loquatur non solùm de *Gratia* Christi, sed & de *ipsius Communione. Gratia Christi sit vobiscum.* Sicut enim fons nihil prodesset, non haurientibus & participantibus: Sic gratia Dei in Christo nihil prodesset, nisi ad ejus communionem admitteremur. Quid thesaurus in agro absconditus prodesset, nisi effodias & in tuum peculium & usum transferas? Sic nec gratia Dei in Christo abscondita, in Evangelio autem patefacta, tibi profutura, nisi per fidem in ejus devenias possessionem & communionem.

III. *Modus*, quo *votum* hoc Apostolus concipit, spirat ardentem ipsius charitatem erga Romanos. Patet 1. ex particula optativa: *Amen*, id est, *hoc fiat.* 2. ex repetitione *v.24* cujus jam est mentio facta, quæ superaddit voto priori particulam universalem, *omnes*: *Gratia Christi sit cum OMNIBUS vobis.*

B. SALUTATIONES VOTO *intermixtæ.*

Jam supra habuimus aliquot *salutationes*, respicientes partim *Salutandos*, partim *Salutantes.* Ast hoc quod attinet, Apostolus *v.16. generatim* Romanis salutem dixit *ab Ecclesiis Christi.* Nunc verò *v.21,22,23. speciatim* ac nominatim certarum salutantium personarum facit men-

ſcopum. Origenes vult eſſe *Sopatrem Berhoënſem*, qui Paulum per Græciam & Macedoniam comitatus eſt in Aſiam, *Act.20.4.*

Obſervetur inter alia, Paulum tres proximè præcedentes, *Lucium, Jaſonem* & *Soſipatrum* vocare συγγενεῖς αὐτοῦ, *cognatos ſuos*, videl. ſecundùm carnem, adeoque Judæos, uti ſupra quoq; *v.11.* Herodionem.

V. TERTIVS. *v.22.* Quia *Tertius* egit in ſcribenda hac Epiſtola amanuẽſem Apoſtoli, ut ipſemet heic fatetur: ideò ſua manu & in propria perſona Rom. ſalutat: *Saluto vos ego Tertius.* Τὸ *in Domino*, ſequitur demũ verba: ὁ γράψας τὴν ἐπιστολήν. Sed rectè obſervatum à Beza, referendũ eſſe ad antecedens, ἀσπάζομαι, *ſaluto vos in Domino*, id eſt, Chriſto, tanquam ſanctos per fidem ei agglutinatos. Τὸ γράψας, heic non ſignificat ſimpliciter *ſcribere*, ut vertit Vulgatus, ſed ſecundùm Syrum, *deſcribere*, ut innuat, *ſe vel dictante Paulo excepiſſe, vel potius ex ejus adverſariis deſcripſiſſe hanc Epiſtolam.* Boza. *Tertium* hunc Dorotheus dicit, factum eſſe Epiſcopum Ionii. *Verſ. 22.*

VI. GAJVS, *v.23.* Annotat Theod. Beza, trium *Gajorum* in Hiſtoria Apoſtolica fieri mentionem, *Derbai, Act. 20. 4. Macedonici, Act. 19. 29.* & *Corinthiaci*, à Paulo baptizati, *1.Cor. 1.14.* Et hunc poſtremum intelligi à Paulo hoc loco: quippe qui Corinthi tum fuerit, unde Apoſtolus hanc Epiſtolam ad Romanos ſcripſit. Dorotheus prædictus vult hunc *Gajum* Epheſiorum Epiſcopum poſt Timotheum factum eſſe. Paulus eum commendat ab *Hoſpitalitate*, non tantùm ſibi, ſed & Eccleſiæ toti exhibita. Ideò vocat ξένον, id eſt, ξενοδόχον, hoſpitio alios ſanctos excipientem, quæ præclara virtus etiam ſupra in *Phœbe* fuerat collaudata, *v.2.* *Verſ. 23.*

VII. ERASTVS, *v.23. b.* quem deſcribit Apoſtolus ab *officio politico*, vocans eum οἰκονόμον τῆς πόλεως, *procuratorem Vrbis*, videl. Corinthiacæ, unde Epiſtola fuit, uti modò dixi, exarata. Ejus alibi quoque mentio facta, *2.Tim. 4.20. Act.19.21.*

VIII. QVARTVS, qui dicitur ὁ ἀδελφὸς, *frater.* Hunc Dorotheus vult factum Beryti Epiſcopum.

C. ΔΟΞΟΛΟΓΙΑ APOSTOLICA.

Finem Apoſtolus toti Epiſtolæ imponit præclarâ ΔΟΞΟΛΟΓΙΑ, & *Celebratione Dei*, ut, quemadmodum ſupra τῇ εὐχαριστίᾳ orſus fuerat Epiſtolam, *Cap. 1. v. 8.* ita nunc eandem laudibus & præconio Dei finiret, *v.25.26.27.* Occurrit heic δοξολογίας

I. *Pro-*

Verſ.25.27. I. *Propoſitio, v. 25.27. Deo ſit gloria per Jeſum Chriſtum in ſecula. Amen.* Sic ſuprà Cap.11.36. Jndicat Apoſtolus

1. *Cui* debeatur Δοξολογία. DEO, *Pſ. 50 14.* & *115. 1.* ſcil. Patri, non excluſo interim Filio, qui eſt ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ πατρὸς, *effulgentia gloriæ Patris, Heb.1.3.*
2. *Quid* ei debeatur. ἡ δόξα, *Gloria*, non quam habet ipſe ab æterno, ſed quam ipſe à nobis requirit, ſcil. glorificationem ſeu celebrationem nominis ſui.
3. *Per quem. Per Jeſum Chriſtum.* Quia in Chriſto ſolo, tanquam altari noſtro & per ipſum ſolum, videl. meritum & interceſſionem ipſius, θυμίαμα noſtræ δοξολογίας Deo poteſt eſſe gratum & acceptum. Hinc alibi præcipit Apoſtolus, *ut Deo & Patri gratias agamus per Chriſtum*, *Col.3.17.* & Chriſtus ipſe dicit: *Qui filium honorat, honorat & Patrem, Joh.5.23.*
4. *Quamdiu.* εἰς τοὺς αἰῶνας: *in ſecula*, id eſt, in omnem usq; æternitatem, quaſi eſſet εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, uti habent nonnulli Codices. Sic Hebræi *leolam*: quanquam apud eos vox *Olam* non ſemper ſignificet indeſinentem perpetuitatem, ſed non rarò longum aliquod temporis ſpatium, quæ ſignificatio huc quadrare non poteſt.

II. *Confirmatio.* Cauſas complectitur Δοξολογίας Dei, deſumptas

Verſ.25. 1. A' *Dei potentia, v.25. a. Qui poteſt vos ſtabilire, &c.* Reſpicit ad præcedentia, ne deſperarent de potenti Dei virtute & auxilio in variis tentationibus Satanæ, inſidiis item & circumventionibus impoſtorum & ſeductorum. Atqui, vult dicere: ut maximè vos ad reſiſtendum & vincendum impares ſitis, Deus tamen potens eſt ad ſtabiliendum vos, cujus in nobis *potentia per infirmitatem noſtram conſummatur. 2.Cor.12.9.* Præclarum pro perſeverantia Sanctorum argumentum, à virtute Dei, ab omnibus inferorum portis inſuperabili, *Matth.16.18.* deſumptum.

2. A' *Dei voluntate & paterna benevolentia*, nobis in *Evangelio* patefactà. Ideò addit Apoſtolus: *ſecundùm Evangelium meum. Occupatio.* Deus quidem poteſt nos ſtabilire ſecundùm τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, *ſupereminentem illam magnitudinem potentiæ ſuæ, Eph.1.19.* Unde autem nobis conſtare

constare potest, ipsum hoc velle & facturum esse? *Respondet* Apostolus, *ex Evangelio:* quod vocat *suum*, respectu, non *originis*, sed *ministerii* Apostolici sibi concrediti, in annunciando Evangelio. Hoc enim *Evangelium*, uti *est potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom.1.16.* ita est infallibile documentum Gratiæ Dei non solùm præsentis, sed etiam perpetuò duraturæ, *1.Cor.1.8.* Eam enim nobis apud Deum υἱοθεσίαν proponit atque promittit, quæ ultra mortem porrigitur, quia ad æternam hæreditatem nos ducit. Vt detestandus veniat eorum error, qui mutabilem & caducam, non perennem & perseverantem Gratiam nobis in Evangelio patefieri & offerri docent, quâ Homo possit totaliter & finaliter excidere, & perire in æternum. Ita dignitatem Evangelii & efficaciam gratiæ Dei ac meriti Christi, hi Apostatarii imminuere, πληροφορίαν salutis, qui unus est ex primariis Evangelicarum promissionum finibus, fidelibus adimere, eosque in perpetuæ dubitationis & anxietatis labyrinthum conjicere solent.

Apostolus itaq; porrò velut ἀναχολουθῶς, uti suprà *Cap. 1. v.1.2.3.* cœperat, ad EVANGELII à se prædicati descriptionem & commendationem regreditur, ut ad δοξολογίαν prędictam Romanos quoque, tanquam tanti beneficii participes, tanto magis exstimularet. Commendat enim Evangelium

α. Ab *Objecto*, seu *materia circa quam*, quum vocat illud κήρυγμα, *præconium Jesu Christi*, id est, de JESU CHRISTO, θεανθρώπῳ, Salvatore generis Humani, & Mediatore inter Deum & Homines.

β. A *Forma* seu *Modo*, quo Evangelium cum Hominibus communicatum, scil. ἀποκαλύψει, *revelatione*, *v.25.* & φανερώσει, *manifestatione*, *v.26.* cujus Apostolus affert tum

a. *Probationem*, per vocem μυστηρίου, *Mysterii*, *v.25.* Est enim Evangelium *sapientia Dei latens in mysterio*, *1.Cor. 2.7.* humanæ rationi investigabilis, & per solam Dei extraordinariam ac cœlestem revelationẽ, nonnisi

fide comprehensibilis. *Ibid. v.7. & seqq.* Restringitur autem à quibusdam vox *Mysterii* ad arcanum *Vocationis Gentium*, de quo alibi pluribus, *Eph.3. v.3. & seqq. Col.1.v.27.* Nihil autem prohibet ἐν πάντι extendere ad totam Evangelii doctrinam.

b. *Declarationem* per ἀντίθεσιν, tum

Veteris Testamenti, v.25. quod (Evangelium) *à temporibus æternis tacitum fuit.* Si accipias hoc de æternitate à priori, sensus est, hoc mysterium ab æterno in Dei arcano consilio fuisse absconditum. Si accommodes ad tempora antegressa Novum Testamentum, dicitur tacitum fuisse Evangelium, non simpliciter, sed 1. διακριτικῶς, respectu *exequutionis*, non *promissionis*. 2. συγκριτικῶς, propter *obscuram* cognitionem veteris, & *claram* Novi Testam. de quo plura monebo in *Quæstionibus.*

Vers.26. *Novi Testamenti, v.26.* Nunc verò factum est manifestum, scil. in Novo Testam. in quo non solùm Vocatio Gentium ad Regnum Christi, sed & promissiones Evangelicæ Veteris Testam. adimpletæ sunt, ut nox & umbra Vet. Test. præterierit, & Solem nunc habeamus plenè coruscantem in Evangelio. Addit Apostolus: *& per Scripturas Propheticas declaratum*, ut appareat, Evangelium novissimis temporibus patefactum, non esse simpliciter & prorsus novum; sed habere testimonium à sanctis Prophetis Vet. Test. uti etiam supra *Cap.1.2.* docuerat: *Evangelium fuisse promissum antè per Prophetas in Scripturis Sanctis.*

γ. A Causa *impellente*, κατ' ἐπιταγὴν τοῦ αἰωνίου θεοῦ, *ex imperio æterni Dei, v.26.* ne videretur Evangelii prædicatio Hominum potiùs voluntate & authoritate niti, quàm Dei.

δ. Ex

4. Ex *Causa finali*: *εἰς ὑπακοὴν πίστεως, ad obedientiam fidei omnibus Gentibus*. Sic supra quoque *Cap. 1. 5.* Hic finis fuit Evangelii prædicati in toto Mundo & Apostolatûs Pauli inter Gentes, ut hæ quoque possent ad obedientiam fidei perduci. Particula universalis *Omnes* non accipienda *collectivè*, quasi nulla prorsùs gens, præsertim Pauli tempore, caruerit Evangelio; sed *distributivè*, pro *quibusvis*. Neque etiam de *singulis generum*, cùm non omnibus Dei mysteria revelentur, *Matth. 13. 11.* sed de *generibus singulorum*.

3. A' *Dei Sapientia, v. 27.* Μόνῳ σοφῷ θεῷ διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ ἡ δόξα &c. Observetur 1. ad Sapientiam Dei transire Apostolum ideò, quia in *Evangelio*, de quo proximè præcedentibus versib. egerat, ἡ πολυποίκιλος θεοῦ σοφία elucescit. 2. Ipsum Deum vocare μόνον σοφὸν, *solum sapientem*: quia solus est sapiens à se, & per se, non per participationem sapientiæ, aut per accidens, uti Homines dicuntur sapientes; sed est sapiens per suam essentiam. Hinc non solùm est *sapiens*, sed *sapientia* ipsa: & quia tandem fons est omnis sapientiæ in Creaturis rationalibus. Nihil enim tales sapiunt, nisi à Deo & per ipsum, & omnis ipsorum sapientia nihil est aliud, quàm parvus aliquis rivulus ex Oceano Sapientiæ Dei emanans. Quo sensu Daniel *Cap. 2. v. 21.* dicit: *Sapientia & fortitudo ejus est: ipse dat sapientiam sapientibus, & scientiam scientibus intelligentiam.* 3. Quòd additur, *per Jesum Christum*, referendum est, ut antè dixi, *ad gloriam Deo dandam per Jesum Christum*. Quòd si quis referre malit ad priora verba, *Deus* dicitur *sapiens esse per Jesum Christum*, non *effectivè*, quasi sapientiam suam haberet à Christo: sed *ostensivè*, quia Deus per Christum Filium suum sapientiam suam Mundo patefecit. *1. Cor. 1. 30.* Vers. 27.

ΥΠΟΓΡΑΦΗ, SUBSCRIPTIO *Epistolæ*.

Ea tandem subjicitur his verbis:

Ad Romanos scripta fuit Corintho, per Phœben ministram Ecclesiæ Cenchreensis.

I. *Ad quos* scripta sit Epistola, indicatur: *Ad Romanos*, de quibus supra *Cap. 1.7.*

II. *Unde* sit scripta. *Corintho.*

III. *Per quem* sit ad Romanos perlata. Amanuensem Pauli jam habuimus, *Tertium*, ex *v. 22.* Nunc mentio fit γραμματοφόρου, Mulieris, nomine *Phœbe*, *Ministra Ecclesiæ Cenchreensis.* Est eadem ipsa sancta fœmina, quam Apostolus initio hujus capitis commendaverat Romanis, ejusque hospitalitatem erga se & alios celebraverat. *Ministra* iterum vocatur *Ecclesiæ Cenchreensis*, quòd ibi loci ministerio suo Diaconico, hospitalitatis aliisque charitatis officiis Sanctos, præsertim persecutionibus ex Vrbe Corintho exactos, sublevasset. Erat autem Cenchreis portus & statio navalis Corintho vicina, quò primum Apostolus in Syriam ex Vrbe Corintho commigraturus se receperat, & caput suum propter votum aliquod totonderat. *Act. 18.18.* ne Judæis esset offendiculo, & ut omnia fieret omnibus. *1. Cor. 9.20.22.*

QVÆSTIONES
Ex Cap. XVI.
Epist. Pauli ad Romanos.

Quæst. I. An Mulieribus liceat fungi in Ecclesia Ministerio Verbi & Sacramentorum? *Rat. dubit.* Exempl. *Phœbe*, quæ dicitur fuisse: *Ministra Ecclesiæ Cenchreensis v. 1.* & in *subscriptione Epistolæ*. Item, *Aquila cum Priscilla* conjuge, quos Paulus vocat suos συνέργους, *adjutores in Christo. v. 3.* & Lucas in Actis, *Cap. 18.26.* dicit, *eos Apollon, auditum in Synagoga, assumpsisse, eique penitius exposuisse viam Dei.*

Resp. I. Distinguendum inter *Ministerium Ecclesiæ* extraordinarium & ordinarium; *Extraordinarii*, quod nititur extraordinariâ aliqua divinâ & immediatâ vocatione, exempla non desunt, tum in Vet. Test. Deboræ, *Jud. 4.4.* & Huldæ Prophetiss. *2. Reg. 22. 14.* in Nov. Test. Hannæ Prophetissæ, *Luc. 2.36.* Filiarũ Philip. Diaconi & Evangelistæ, quæ dicuntur prophetasse, *Act. 21.9.* Talia exempla non sunt regularia: hincque nequaquam patrocinantur Γυναικοβαπτισμῷ hodierno Papistarum, eorumque hactenus similium. Carent enim mulieres non solum ordinaria sed & extraordinaria vocatione. Neque casus extraordinarius infantis morituri absque baptismo, vocationem ipsis suppeditat extraordinariam, sicut nec in Vet. Test. instans mors infantis, circumcisionem ejus per Mulierem aut quemvis alium, ante diem 8. Lege constitutum, maturare potuit aut debuit. Et casus necessitatis, in quo fundatur hodiernus Gynæcobaptismus, fictitius est, præsupponens falsam & superstitiosam hypothesin, quasi Infantes ἀβάπτιστοι jacturam incurrerent salutis. De *ordinario* Ministerio si loquamur, extant

Apo-

Apostoli κελεύσματα, quibus Mulieribus interdicitur sacris publicis, tanquam ad solos Viros spectantibus, peragendis. 1. *Cor.* 13.34. 1. *Tim.* 2.12.

II. Distinguendum inter Ministerium Ecclesiasticum *principale* & *minus principale*. Illud consistit in publica prædicatione verbi, eique annexa Sacramentorum administratione. A' tali Ministerio Mulieres, omnesq; Homines privati, prorsus arcentur, uti patuit ex allegatis monitis Apostolicis. Aliud est *minus principale* priori subserviens, consistens in Diaconiâ, curâ pauperū, ægrotorū, exulum. Ad hoc Ministeriū Apostoli olim, ut suo principali officio melius defungi possent, delegerunt septem Viros ex communi Cœtu, *Act.* 6. *v.* 2. 6. Ad idem Ministerium quoque adhibebantur Mulieres Viduæ, *Act.* 6.1. 1. *Tim.* 5.9.10. Atque in tali quoque Diaconico Ministerio *Phœben* versatam fuisse, complures existimant.

III. *Ministerii* vox sumi potest tum *strictè*, tum *latè*. *Strictè* pro officio publico Ecclesiastico, cui, uti jam dictum, Mulieribus omnibusque aliis privatis interdictum est. *Latè*, pro omni ministerio, quod impenditur ad communem Ecclesiæ utilitatem, & fidelium ædificationem ac salutem. Tale Ministerium, secundùm communem vocationem, obeunt Patres & Matres familiâs, qui domesticæ liberorum & domesticorum suorum institutioni & disciplinæ incumbunt. Consimiliter, qui opera charitatis, beneficentiæ, hospitalitatis, Ecclesiæ ejusque membris præstant. Quò iterum referri potest exemplum *Phœbe*, quæ respectu suæ hospitalitatis, munificentiæ & aliorum operum charitatis Christianæ, dicitur *Ministra fuisse Ecclesiæ*. Et huc tandem pertinent omnes alii fideles Christiani, qui privatim alios informando, docendo, admonendo, corripiendo, consolando, per dona à Deo accepta, tanquam καλοὶ οἰκονόμοι, *boni dispensatores variæ Dei gratiæ*, iis gratificari volunt, 1. *Pet.* 4.10. Quò referri potest exemplum *Aquilæ & Priscillæ* Conjugum, quando dicuntur Pauli συνεργοὶ fuisse, & Apollon *in via Domini plenius informasse*.

Quæst. II. Cur Paulus tam prolixum Catalogum (*v.* 3. *& seqq.*) *salutandorum* contexuerit, eosque simul tot encomiis ornaverit? Cur item postea, *v.* 21.22.23. tot *salutantium* Romanos meminerit?

Resp. Paulo nequaquam propositum fuit aucupium gratiæ alicujus aut favoris popularis apud Romanos, per præcipuorum inter ipsos recensionem & commendationem. Talem vanitatem passim Apostolus à se amolitur, inprimis *Gal.* 1.10. Triplex ergo alius ipsi fuit scopus: 1. Ut Communionem sanctorum & conjunctionē fraternam inter Ecclesias & fideles, longo à se invicem locorum intervallo distantes, foveret. 2. Ut præcipuorum inter Romanos commendatione eis in Ecclesia illa majorem authoritatem conciliaret, reliquosque ad ipsorum reverentiam ac imitationem permoveret. 3. Ut elogiis his eos ad constantiam, & majorem indies fidei, pietatis & virtutum omnium Christianarum profectum, incitaret.

Quæst. III. Cur Apostolus (*vers.* 3.) *Aquilam* & *Priscillam*, Conjuges, salutet, tanquam versantes Romæ; cùm alibi legantur eidem cohabitasse Corinthi, ubi per sesqui annum mansit, hosq; postmodùm habuerit comites itineris in Syriam & Ephesum. *Act.* 18.18.19?

Resp. Verisimile est, Paulum non semel, sed bis fuisse Corinthi: *Aquilam* item & *Priscillam*, sub Claudio Imp. propter fidem Christianam ex Vrbe Roma ejectos, tandem desæviente tempestate eodem iterum revertisse; ut, quum Paulus postremùm veniret Corinthum, unde hanc Epistolam scripsit, eos tunc, tanquam Romæ iterum versantes,

fuæ ſalutationi includere voluerit. De his qui plura cognoſcere avet, adeat Comment. Clariſs. D. Parei in *Caput* hoc *XVI. Dub.* 1.

Quaſt. IV. Cur Apoſtoli PETRI inter ſalutatos nulla fiat mentio? *Rat. dubit.* quia Pontificii pro articulo fidei habent ex Euſebio, Petrum ſediſſe 25. Annis in Epiſcopatu Vrbis Romanæ.

Reſp. I. Epiſcopatus Romanus Petri eſt putum putum, attamen inveteratum commentum, quod non ſolùm ἄγραφον eſt, ſed & ἀντίγραφον. 1. Petro à Chriſto non *Epiſcopatus* ſed *Apoſtolatus* fuit concreditus, quod officium non fuit ſedentarium & ſtatum in una aliqua Vrbe & Eccleſia, ſed Peripateticũ, in toto orbe adminiſtrandum, *Matth.* 28. 19. 2. Petrus & Paulus junctis dextris inter ſe conveniebant, ut ille inter Judæos, hic inter Gentes Apoſtolatu fungeretur. *Gal.* 2. *v.* 7. 8. 9. Et Petrus 25. Annos Epiſcopatu inter Gentiles Romanos fuerit perfunctus? 3. Ex Actis & Epiſtolis Apoſtolicis non poteſt colligi, Petrum unquam Romæ fuiſſe, nedum ut tam longo tempore Epiſcopatu illic functus fuerit. Paulus fertur ſcripſiſſe Epiſtolam ad Romanos Ann. 8. Neronis, Chriſti 63. Inter ſalutatos *Cap.* 16. altum de Petro ſilentium. Quis putet Apoſtolum, ſi Petrus tum Romæ fuiſſet, & ſediſſet in ſumma totius Eccleſiæ Cathedra, Petrum eum vel per incuriam & oblivionem, vel per contemptum præteriturum fuiſſe? cùm legamus alibi, ipſum, Petri aliorumque Apoſtolorum viſendorum & inviſendorum gratiâ, Hieroſolymam profectum, *Gal.* 1. 18. Imò quis credat, Apoſtolum tam prolixam Epiſtolam, tanta cum cura elaboratam, ad Romanos daturum fuiſſe, ſi cogitaſſet, Eccleſiam Romanam ſub Petri, tanquam indefeſſi atque ſoliciti Monarchæ Eccleſiaſtici, cura & inſpectione verſatam? Anno Neronis 11. Chriſti 66. Paulus captivus Romam fuit deductus. Fratres tunc ei obviam proceſſerunt, *Act.* 28. 15. Altum iterum de Petro ſilentium. Romæ idem Paulus per biennium in libera cuſtodia ſervatus, Evangelium prædicavit, *Act.* 28. Ne minimum quidem occurrit Petri ibi commorantis indicium. Quin imò, *Col.* 4. 10. 11. non ſolùm tacetur in Elencho eorum, qui Romæ Pauli σύνεργοι fuere: ſed & alibi querimonia habetur, quòd in vinculis ab omnibus deſertus fuerit, 2. *Tim.* 4. 16. excepto fido ſuo Achate Timotheo: cùm omnes maluerint *quærere quæ ſua ſunt, non quæ Chriſti, Phil.* 2. 20. 21. Talia ne decuiſſent Petrum Romæ commorantem? Adde, in omnibus Epiſtolis à Paulo Româ ſcriptis altum iterum de Petro occurrere ſilentium. 4. Ubicunq; Paulus Petrum vidit & cum eo colloquutus eſt, nunquam invenit Romæ, & quidem illo ipſo tempore, quo dicitur Epiſcopatum Romæ tenuiſſe; ſed vel Hieroſolymæ, *Act.* 1. 18. & 15. *v.* 2. & *ſeqq.* vel Antiochiæ, *Gal.* 2. *v.* 11.

II. Teſtimonia Veterum de *Epiſcopatu* Petri *Romano*, ſunt fidei prorsùs ſubleſtæ. Euſebius 25. annos aſſignat huic Epiſcopatui. Atqui à morte Chriſti, quæ incidit in Ann. 18. Tiberii, usque ad finem Imperii Neronis, numerantur tantùm Anni 37. mora autem in Hieroſolyma circiter ann. 20. *Gal.* 1. 18. & 2. 1. item in Antiochia dehinc, ubi quamdiu fuerit, incertum eſt. Quis hunc numerum poſſet conciliare cum Euſebiano? Sunt qui ſecundo, qui quarto, qui demum 13. anno Claudii Petrum Romam veniſſe ſcribunt. Damaſus in Pontificali dicit, Petrum imperante Nerone Romam ingreſſum eſſe. Irenæi ſententia eſt, Petrum Romæ Evangelizaſſe, cùm Matthæus Evangelium ſuum ederet, anno videl. 3. Imp. Caii. Multa quinetiam fabuloſa narrantur à Patribus, inprimis de certamine Petri cum Simone Mago. Indicium habetur Auguſtini *Epiſt.* 2. *ad Januar.* Quod *Mortem* attinet Petri, quanquam propter plurium Scriptorum conſenſum concedi poſſet, eum Romæ martyrium ſubiiſſe; attamen nec omnibus Veteribus heic inter ſe conſtat. Joſephus Hiſtoricus, qui interfectorum à Nerone meminit, ſilet de Petri & Pauli morte. Hieronymus, Chryſoſtomus & Lyra, explicantes vaticinium Chriſti *Matth.* 24. de Hieroſolymitanis, occiſuris Apoſtolos alióſve Evangelii confeſſores,

occ.

occisis Petrum quoque accenset. Neque tandem porrò scriptores sibi constant de *Successione* Petri, an Cletus, Linus, an Clemens ejus fuerit Successor. Videatur D. Polani *symphonia Catholica Caput XVIII.*

Quæ in contrarium à Pontificiis excipi vel objici solent, ea diluere non est præsentis mei instituti. Abundè satis id ab Orthodoxis Theologis præstitum est.

Quæst. V. An in doctrina recepta & antiqua semper sit persistendum, nec ferendi sint authores dissidiorum, qui novam διδαχὴν introducunt in Ecclesiam? Ex *vers.* 17.

Resp. Sic quidem Pontificii sentiunt, qui sub prætextu Antiquitatis rancidas suas & impias Traditiones obtrudunt Ecclesiæ, omnesque eos hæreseωs & schismatis damnant, quotquot eas rejiciunt, & à canone hodiernæ Romano-Pontificiæ Ecclesiæ recedunt.

Ast 1. Paulus heic loquitur non de *quavis* doctrina veteri & recepta, sed de *doctrina Apostolica*, à cujus perturbatoribus vult Romonos sibi cavere. Facit enim mentionem *doctrinæ quam didicerant*, scil. ab Apostolis, à quibus tanquam θεοπνεύστοις primùm Evangelium receperant. Doctrina autem ἄγραφος Pontificiorum non est *Apostolica*, sed *Apostatica.* Hincque, vel ipso Apostolo heic monente, ab ea cavendum.

2. Non quidvis, quod sub Antiquitatis prætextu in Religione venditatur & obtruditur, statim est arripiendum, uti nec omne illud, quod post inveteratum aliquem errorem, tanquam primæ antiquitati consentaneum, in Ecclesiam reducitur, est repudiandum. Christus ait: *Quotquot ante ipsum venerint, fuisse fures & latrones: Sed oves non auscultasse eos, Joh.* 10.8. Damnati olim Judæi, qui contra Prophetas religionem Majorum apostaticorum urgebant, *Jer.* 44.17. *Ezech.* 20. 18. 19. Chrysostomi dictum aureum est: *Consuetudo longa sine veritate, vetustas erroris est.* Cypriani quoque sententia nota est ex *lib.* 2. *Epist.* 2. *ad Donatum: Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, CHRISTUS prior fecerit. Neque enim Hominis consuetudinem sequi oportet sed Dei veritatem.* Quem in sensum ab eodem allegantur loca, *Ies.* 29.13.14. *Matth.* 15.9. Accinit his Tertull. *Lib. de veland. Virgin. Hæreses non tam novitas, quàm veritas revincit. Quodcunq; adversùs veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetusta consuetudo.* Atque hæc eadem Pontificiis reponimus.

3. Nam quòd nos dissidiorum & scandalorum contra doctrinam veterem authores esse vociferantur, id meritò regerimus in ipsorum sinum. Qui nam enim sunt, qui dissidia & scandala contra vetustissimam doctrinam Christi & Apostolorum excitarunt? Non Lutherus, non Zvinglius, Oecolampadius, Calvinus, & consimiles Ecclesiæ Papanæ reformatores, quorum unicus fuit scopus, Ecclesiam ab inveterata apostasia, superstitione, idolomania & scandalis repurgare, & pristino nitori Apostolico restituere. Sed Pontificii ipsi, eorumque principii Pontifices Romani, *qui relictâ rectâ viâ*, doctrinâ scil. Christi & Apostolorum, *aberrarunt, sequuti viam Balaam.* 2. *Pet.* 2. 15. Quis olim perturbavit Israëlem, quum Elias inveteratam Idololatriam in Regno Israëlis reformare & demoliri aggrederetur? An Elias? An Achab R. Isr. quem Idololatrica Jesabel totum possederat? Audiatur Scriptura: *Fuit, quum videret Achab Eliam, ut diceret Achab ei: Tú ne es ille perturbator Israëlis? Respondit Elias: Non perturbo Israëlem, sed tu & domus Patris tui, dum derelinquitis præcepta Jehovæ, & sequimini Bahalimos.* 1. *Reg.* 18.17.18.

Quæst. VI. Cur Paulus (*v.* 20.) in futuro dicat: *Deum pacis contriturum esse Satanam sub pedes nostros:* cùm alibi contritio ista jam dicatur facta esse, *Col.* 2.15?

Resp. Jam in Analysi dictum, allusionem fieri ad promissionem, Protoplastis olim

olim à Deo post lapsum factam, *Gen.* 3.15. & distinguendum inter contritionem *inchoatam*, *continuatam*, & *consummatam*. *Inchoata* jam facta est per Christum, ejusque meritum ac mortem, quâ serpentis antiqui caput contrivit, ut nocere ampliùs saluti nostræ nequeat. *Joh.* 16.11. *Heb.* 2.14. Quia verò serpens non prorsus contritus est, sed quantum adhuc ei superest virium, convertit ad nostrum exitium: ideò opus est *continuâ* luctâ & contritione, donec ea tandem plenè consummabitur in altero seculo, quo prorsùs ab omni Satanæ impetu & insultu liberabimur. De hac *consummanda* contritione agit Apostolus hoc in loco. Ad summam paucis: serpentis *caput* jam contritum est, quando per Christum potestate, quam habuit contra nos propter peccatum ad nos æternùm perdendos, exarmatus est. *Caudam interim* suam venenatam contra nos stringit & motitat; sed absque salutis nostræ noxa: donec totus tandem conteratur.

Quæst. VII. Cur Evangelium (*v.* 25.26.) dicatur *tacitum* χρόνοις αἰωνίοις, *à temporibus seculorum*? *Rat. dub.* 1. quia Paulus ipse *v.* 26. indicat, *illud fuisse declaratum per Scripturas Propheticas*: uti supra quoq; *Cap.* 1. 2. 2. quia Patres Vet. Test. viderentur absq; Evangelio salvati esse.

Resp. I. Apostoli dictum non est accipiendum ἁπλῶς, *simpliciter*, quasi Vet. Test. tacuisset prorsus Evangelio, aut Patres alia ratione, quàm per fidem Evangelii; verbi gratia, per legem, fuissent servati: uti fanatici nonnulli contendunt. Annon Protoplastę per Protevangelium de CHRISTO, semine mulieris, contrituro caput serpentis, fuerunt à Deo in integrum restituti post lapsum? Nunquid hoc ipsum Evangelium Abrahamo deinceps per promissionem de Christo, semine ex ipso nascituro: tandem quoq, Davidi ejusque posteritati fuit renovatum? An Veteris Testamenti doctrina tota absolvitur lege, insuper habitis Evangelicis promissionibus? Imò, annon ipsa lex eo fine à Deo olim populo data fuit, ut esset pædagogus ad Christum? *Gal.* 3. 24. Certè Lex Ceremonialis nihil fuit olim aliud, quàm σκιὰ & umbra, quæ eminus Patribus Christum in Icone Evangelii adumbravit. *Heb.* 10. 1. Hinc eâdem fide & gratia Dom. Jesu Christi Patres nobiscum servati dicuntur, *Act.* 15.9.11.

II. Ergo κατά τι, *secundùm quid* accipiendum est dictum Apostoli, sive consideremus *Rem* ipsam, Evangelium, de quo disserit: sive *modum* cognitionis Evangelii.

Re Evangelium fuit olim tacitum, non *promissionis*, sed *exequutionis* respectu. *Promissiones* Evangelicæ non defuerunt Patribus de Christo venturo & fide per ipsum salvandis, quo sensu Apostolus *v.* 26. dicit, *Evangelium per Scripturas Propheticas*, videl. prædictiones & promissiones, *fuisse declaratum*. *Exequutio* autem demum in Novo Test. facta est, Christo in carne manifestato, & opere Redemptionis nostræ ab ipso peracto. Quo ipso promissiones veteres fuerunt adimpletæ. 2. *Cor.* 1. 20. Huc pertinet Augustini dictum: *Novum Testamentum in Vetere latet*: *Vetus in Novo patet*. Paucis, *Evangelii* vox interdum sumitur *latè*, pro omni salutis doctrina, adeoque pro promissionibus Evangelicis, quo sensu Evangelium non fuit absconditum Patribus: interdum *strictè* pro doctrina salutis in Christo jam exhibitæ, & actu ipso præstitæ. Quo sensu Evangelium fuit Patrib. absconditum, *Luc.* 10. 24. & dicitur suprà *Cap.* 1. 1. 2. *promissum antè per Prophetas in Scripturis S.*

Modum de hinc cognitionis Evangelii si spectes, eam, uti monui, Patres habuerunt tantùm ἐν σκιᾷ umbrâ, nos ἐν εἰκόνι, *expressa effigie*, Evangelii plenè patefacti. *Quanquam enim omnia* (verba sunt Calvini) *quæ per Christum & Apostolos exposita sunt, docuerunt olim Prophetæ: ea tamen tanta obscuritate docuerunt, prout est perspicua hac Evangelica lucis claritas: ut non mirum sit, si dicantur latuisse, quæ nunc palàm facta sunt.* Hinc Malachias denunciavit, *exoriturum Solem justitiæ*, *Mal.* 4.2. Hinc *Evangelium* quoque vocatur *Dei*

Regnum

Regnum: & ex re ipsa colligere licet, tunc demùm apertos fuisse cœlestis sapientiæ thesauros, ubi Deus per unigenitum Filium, quasi facie ad faciem, discussis umbris veteribus, apparuit.


Quæst. VIII. Cur *solus Deus* (*v.27.*) vocetur *sapiens*? *Rat. dub.* 1. Quia, cùm Deus ibid. tanquam Pater distinguatur à Christo Filio; videretur Filius à sapientia Patris, & per consequens ejus Divinitate excludi, uti prætendunt Ariani, aliivé hostes Divinitatis Christi. 2. Quia in Scriptura S. sapientia etiam creaturis tribuitur, videl. Angelis & Hominibus.

Resp. I. Deus Pater *solus sapiens* dicitur, exclusivè, non ad Filium & Spiritum S. tanquam Patri ὁμοούσιος. Nam Filius est ipsa Patris Sapientia, quæ *illuminat omnem Hominem, venientem in hunc Mundum, Joh.* 1.9. & Spiritus S. est *Spiritus sapientiæ, & intelligentiæ & consilii. Jes.* 11.2. qui *scrutatur omnia, etiam* τὰ βάθη τοῦ θεοῦ, 1. *Cor.* 2. 10. & tum Angelos tum Homines sapientiâ ornat: ut hoc ipso tum Filius tum Spiritus S. uti ejusdem sapientiæ, ita ejusdem quoque essentiæ cum Patre esse arguantur. Exclusiva ergo particula *solus*, respicit tantùm alias Creaturas extra Deum, quibus *συνωνύμως* cum Deo vox & elogium *sapientiæ*, uti jam dicam, tribui nequit. Itaque Pater hoc in loco à Paulo dicitur *solus sapiens*, eodem sensu, quo alibi Christus, *Joh.* 17.3. *Patrem* vocat τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, *solum illum verum Deum*, non exclusivè ad Filium, sed ad creaturas, falsos & fictitios Deos.

II. Jam quod Angelis & Hominibus tribuitur *sapientia*, nihil prærogat aut præjudicat sententiæ Apostoli. Deo enim soli sapientia competit propriè, originaliter, simpliciter & supereminenter. Angelis & Hominibus tantùm impropriè, analogicè, participativè, ex accidenti, secundum quid & modicam aliquam imperfectam mensuram. Neque enim vel Angeli vel Homines sapientes sunt à se, neque per essentiam suam, sed per accidentalem perfectionem à Deo ipsis impressam, & participationem aliquam lucis immensæ sapientiæ Divinæ, ex qua pro modulo & capacitate intellectus sui, decerpunt aliquid luminis, perfectioni naturæ suæ consentanei. καὶ ταῦτα μὲν ἐπὶ τούτοις.

Concludo verbis summi Theologi, MARTINI BVCERI: *In his omnibus, quæ jam utcunque finita sunt magis, quàm absoluta, scio, me spectasse id, ut scientia Christi plerisque fieret certior & plenior. Si quid hujus assecutus sum, agant mecum sancti Domino gratias. Quicquid verò judicarint ad hunc finem non rectè institutum, id in Domino condonent Homini. Judicio namq; Sanctorum volo ut stent, cadantq; ista omnia.* DOMINVS, *unus Magister noster in Cœlis, largiatur judicium verum, & doctrinæ suæ profectum justum. Ipsi sit gloria & imperium in secula, Amen.*

Bbbb



ΣΥΝΟΨΙΣ

ET

ΣΚΙΑΓΡΑΦΙΑ CORPORIS
TOTIUS S.S. THEOLOGIÆ,

Ex Epistola B. Apost. Pauli ad Romanos.

De Theologia
in Genere.

1. Theologia est Sapientia Divina, revelata ad Dei gloriam & Hominum salutem. *Rom. Cap. I. v. 16.17.21.*

2. Alia est *Physica*, ex *lumine Naturæ*, communis omnibus Hominibus, exemp. Gentium: eaq; partim *Connata*, ἔμφυτος; partim *Acquisita* in Schola Naturæ: quoad tum γνωστὸν τοῦ Θεοῦ. *Cap. I. 19.20.* tum τὸ ἔργον τοῦ νόμου. *Cap. II. 14.15.*

Hæc Theologia, quanquam per se tendat ad salutem Hominum, tamen eorum vitio & culpâ servit tantùm ipsorum τῇ ἀναπολογίᾳ: propter detentam veritatem in injustitia, & corruptionem ejus per ingratitudinem & idololatriam. *Ibid. v. 18. 20.21. 22.*

3. Alia est *Hyperphysica*, ex revelatione *Luminis Gratiæ*, tanquam majoris, de mysteriis rationi absconditis & fide tantùm comprehensibilibus. *Cap. I. 17.* & *XVI. 25.26.* Atque de hac sermo est hoc loco.

De Principio S. Theologiæ,
scil. Verbo Dei.

Principium Theologiae γνωστικὸν, sive *Cognitionis*, de quo heic in vestibulo agendum venit, quod dixi esse *Lumen supernaturale, Gratiæ*, est solum Dei Verbum, de quo seqq. heic observanda axiomata.

1. Ver-

1. Verbum Dei primitùs, ante Mosen scil. ἄγραφον, tandem factum est ἔγγραφον. Hinc *Scripturæ* fit mentio, *Cap. I.2.* & *XVI.24.* & alibi passim. Et hoc Basis nunc est totius S. Theologiæ, ut vel ad enthusiasmos fanaticorum, vel ad Verbum non scriptum Pontificiorum nequaquam sit transvolandum.

2. Scriptura hæc antiquitùs fuit Judæis tantùm concredita, quâ prærogativâ Deus eos, ceu populum suum, discreverat ab aliis Gentibus. *Cap. III. 2. & IX. 4.*

3. Scriptura hæc θεόπνευστος est, nitens non Hominum, sed Dei solius authoritate. Neque enim Scriptura à Judæis, quibus primùm credita fuit, suam authoritatem accepit; sed hi suam præstantiam & dignitatem à concreditis sibi eloquiis Dei. *Cap. III. 2.* nec Veritas Dei ab Hominum, qui naturâ sunt mendaces, sed à Dei solius ore & testimonio primariò dependet. *Ibid. 4.*

4. Hinc Scripturæ S. veritas, ἀσφάλεια & αὐτοπιστία est infallibilis. *Cap. IX. 6.* quæ vocari hinc solet *Authoritas* ejus *Canonica.*

5. Scripturæ S. Causæ instrumentales seu administræ sunt sancti Dei Homines: 1. *Prophetæ* in Veteri Testam. acti à Spiritu Dei, tanquam ejusdem amanuenses, *Cap. I. 2.* qui scripserunt non fortuitis occasionibus, sed ex Dei mandato & instinctu. *Cap. XVI. 26.* 2. *Apostoli* consimiliter in Novo Test. qualis ex. gr. Apostolus Paulus, *Cap. XV. 15.*

6. Scripturæ totius summa continetur LEGE & EVANGELIO. Hinc Paulus in hac Epistola agit de utroque, ita tamen, ut Evangelium constituat finem legis. *Cap. III. 19. 20. 21. & X. 4. &c.*

7. Scriptura S. certis Libris Canonicis est comprehensa, quales v. g. in Vet. Testamento fuerunt Historici, Hagiographi, Prophetici. Ad istos Apostolus passim in hac Epistola provocat, nullo testimonio ex Libris Apocryphis, quales hodie in Ecclesia Romana pro Canonicis venditantur, arcessito. In Novo Testam. occurrunt Libri Historici, Evange-

listarum; Dogmatici & Parænetici, Epistolæ Apostolorum, inter quas facilè primas tenet hæc Epistola Pauli ad Romanos, tanquam epitome totius salutaris Doctrinæ Christianæ; & tandem Prophetia Apocalyptica Johannis Evangelistæ & Apostoli, de fatis Ecclesiæ Christianæ usque ad finem Mundi. Hic scripsit Apostolorum ultimus, & Canonem totius uti Veteris, ita Novi Testam. obsignavit tremenda interminatione, *Apoc.22.18.19.*

8. Summa est πανᾳρμονία Scripturæ Veteris & Novi Testamenti, & veritas utrobique sibi semper constans & similis. *Cap.I.1.2.* & *XVI. 26.* quod etiam parallelismi Vet. & Novi Test. in hac Epistola passim occurrentes, confirmant.

9. Finis S. Scripturæ est obedientia fidei. *Cap. I. 5. & XVI. 26.* Hinc patientia, consolatio, & spes certa salutis omnium credentium, citra discrimen ullius gentis aut nationis. *Cap.I.16. & XV.4.*

10. Scriptura S. perfecta est, nullis Humanis traditionibus supplenda aut perficienda. Hinc Paulus non urget aliquod Verbum ἄγραφον & παραδοτικὸν, sed tantùm scriptum, quale est hujus Epistolæ. *Cap.XV.15.16.*

11. Hinc quoque Scriptura non est humanæ ἐπιλύσεως, sed suimet ipsius Interpres sufficientissimus, cùm habeat Spiritum S. in ea & per eam loquentem. Atq; ideò Paulus in hac Epistola mysteria Evangelii, non ex suo sensu, multo minùs ex Petri, tanquam Capitis Ecclesiæ (qualis habetur cum suppositittiis suis Successoribus, Pontificib. Romanis, in hodierna Ecclesia Rom.) dictamine; sed ex Scriptura interpretatur: ut insinuet, Scripturam per Scripturam, non per Verbum aliud ἄγραφον interpretandam.

12. Scripturæ S. Lectio incumbit, adeoque permittenda est citra discrimen omnibus fidelibus, non solum Clericis, ut vocant, sed & Laicis. Nam Paulus Epistolam hanc scripsit communiter & indiscriminatim ad omnes fideles Romanos. Hinc promiscuè quoque *Cap. XVI.* in salutationibus meminit.

non

non solùm spiritualium sed & secularium, Virorum & Mulierum, Dominorum & famulorum, Parentum & Liberorum, Patrumfamiliàs & domesticorum. Qua fronte ergo in hodierna Eccles. Rom. Laicis S. Scripturæ lectione interdicitur?

13. Hinc quoq; S. Scripturam in lingua vernacula à fidelibus legi par est. Hoc enim fine non solùm Paulus in hac & reliquis suis Epistolis, sed & Evangelistæ & Apostoli reliqui in scriptis suis, non Hebraica lingua, quę Hebręis solis cognita erat, sed Græcâ linguâ usi fuerunt: quia lingua hæc tum temporis pervagata erat totum Orbem, & majori ex parte ab omnibus intelligebatur.

Partitio S.S. Theologiæ.

Theologiae duæ sunt partes primariæ. Prima comprehendit τὰ ΠΙΣΤΑ, ad salutem *cognoscenda* & *credenda*. Altera τὰ ΠΡΑΚΤΑ, ad salutem *facienda*.

Huic *Partitioni* examussim respondet Epistolæ hujus ΕΡΓΑΣΙΑ. Nam à *Cap. I--XI.* comprehenduntur τὰ πιστὰ: Capitib. reliquis. *XII. XIII. XIV, & XV.* usque ad *Epilogum* Epistolæ pertractantur τὰ πρακτὰ, ad vitam Christianam pertinentia.

Pars Prima S. Theologiæ.

ΤΑ ΠΙΣΤΑ.

Ad τὰ ΠΙΣΤΑ pertinet *Cognitio* tum Dei, tum *Hominis*, quæ individuo nexu sunt conjunctæ, & mutuam sibi lucem fœnerantur.

A. De Cognitione Dei.

Cognoscendus venit Deus juxta tum *Naturam* suam, tum *Opera*.

א. De Natura Dei.

Naturam Dei quod attinet, si de ea loquamur secundum

Essentiæ & *locorum*, *Immensitas* & *Omnipræsentia*. *Rom. XI. 36.* cùm sit omnia in omnibus.

Temporis, aut potiùs *Aevi*, *Aeternitas*, non solùm à posteriori, sed & à priori. *Cap. I. 20.*

3. *Omnipotentia*, quâ non solùm omnia potest, quæ vult, sed & in omnibus ipse solus omnia potest & agit. *Cap. I. 20. & IV. 17. 21. & IX. 17. 22. & XI. 23. 36. & XIV. 4.*

II. Τὸ ζῆν, *Vivere*. Ubi gradatim Deo tribuitur

1. *Vita*. *Cap. XIV. 11.*

2. *Intelligentia*, *sapientia* infinita. *Cap. XI. 33. 34. omniscientia. Cap. II. 16.* Hinc *soli* quoque ei tribuitur *sapientia*. *Cap. XVI. 27.* quia solus est sapiens à se, per se, supereminenter, & efficienter in omnibus.

3. *Voluntas*, quæ considerata respectu

α. *Objectorum*, seu rerum volitarum, varia sortitur Nomina: vocatur enim

Amor, *gratia*, *misericordia*. *Cap. V. 5. 8. 15. 17. 20. 21. &c.* quo etiam pertinet Dei *Longanimitas* erga reprobos & impios. *Cap. II. 4. & IX. 22. & X. 21.*

Ira, *odium*, *severitas*, *justitia*, tum remuneratrix tum vindicatrix. *Cap. I. 18. & ult. & II. v. 5. -- 10.* absque τῆς προσωποληψίας. *Cap. II. 11. Cap. III. 5. 6. 26. & IX. 14. & XI. 22.*

β. *Modi patefactionis*, distinguitur in *Voluntatem Dei*

Arcanam, in consilio Dei abditam, quæ & *absoluta* dicitur, & falli non potest, sed certa & immutabilis est. *Cap. IX. 16. 18. 19. & XI. 33. 34.*

Patefa-

Patefactam in verbo, uti sunt Dei mandata, promissiones, comminationes: quæ & *Conditionalis* dicitur, & mutabilis est. *Cap. II. 4. 18. & VII. 17. & XII. 2. & X. 5.*

4. *Veracitas. Cap. III. 3. 4. & IX. 6.*

DE PERSONIS IN DEO.

PERSONAE quidem nomen, cùm sit Latinum, & ab Ecclesiasticis Scriptoribus ab usu communi & profano fuerit ad mysterium S.S. Triados significandum adhibitum, nullibi occurrit in S. Scriptura, sed ejus loco vox ὑποστάσεως, *Heb. 1. 3.* quâ in una simplici Dei essentia designantur tria distincta in eadem ὑφιστάμενα, PATER, FILIVS & SPIRITVS S. Harum trium Personarum in hac Epistola luculenta occurrunt documenta, quando mentio fit mox *Patris*, mox *Filii*, mox *Spiritus S.* v. g. *Cap. I. v. 1. 3. 4. 7. 8. & V. 5. 10. & VI. 4. & VIII. 3. 9. 11. 16. 29. 32. & XV. 6, 13, 30.*

Personarum harum consideranda venit

I. *Convenientia*, quæ consistit in ὁμοουσίᾳ, sive unitate essentiæ Divinæ. De PATRE indubium est, quod sit verus Deus, quo nomine passim, ὑποστατικῶς sumpto, insignitur in hac Epistola. Quod verò attinet

FILIVM, ejus Deitatem arguunt

1. *Nomina Dei* ipsi attributa, *Cap. IX. 5. & XIV. 10, 11.*
2. *Attribut.* Omniscientia. *Cap. XIV. 10, 12.* παντοκρατορία. *Ibid. v. 9.*
3. *Opera*, v. g. Resurrectio ex mortuis. *Cap. I. 4. & XIV. 9.* Redemptio generis Humani, reconciliatio cum Deo. *Cap. III. 24, 25. & V. 11.* Vivificatio nostra. *Cap. VIII. v. 10.* &c.
4. *Cultus* divinus. *Cap. I. 7. 8. & VI. 3. & VII. 25. & XIV. 11, 18. & XVI. 20, 24.*

SPIRI-

Spiritum Sanctum, commendant ejus Divinitatem

1. *Nomen Spiritus Dei. Cap. VIII. 9. & XI. 14. & XV. 19.* Quicquid enim est in Deo, uti Spiritus Dei est in Deo, est Deus ipse, propter ejus summam simplicitatem.
2. *Attributa* Divina, ex. gr. Omnipotentia. *Cap. XV. 13. 19.* Omniscientia, *Cap. VIII. 26. 27.*
3. *Opera* divina, ut quando describitur Spiritus Gratiæ & consolationis. *Cap. V. 5.*
   Adoptionis. *Cap. VIII. 15. 16.*
   Sanctificationis. *Ibid. v. 12, 13, 14.*
   Vivificationis & resuscitationis corporum nostrorum. *Cap. VIII. 11.*
   Precum. *Ibid. v. 15, 16.*
4. *Cultus* Divinus. *Cap. XV. 30. & Cap. IX. 1.*

II. *Differentia*, quæ arguitur ex distinctione

1. *Nominum, Patris, Filii* & *Spiritus S.* uti patet ex locis nuper citatis.
2. *Ordinis*, cùm *Patri* primus, *Filio* secundus & *Spiritui S.* tertius in Deitate locus assignatur.
3. *Proprietatum*, cum mentio fit 1. *Patris*, per relationem Personalem ad Filium, quem ab æterno genuit ex sua substantia per communicationem suæ essentiæ Divinæ. 2. *Filii*, per relationem ad Patrem, tanquam ab eo non in tempore per gratiam adoptati, quo sensu omnes fideles vocantur *Filii Dei. Cap. VIII. 14, 16, 17, 19, 21.* sed ab æterno geniti. Hinc vocatur κατ' ἐξοχὴν *Filius Dei*, *Cap. VIII. 3.* inprimis *Cap. I. 3. 4. secundùm Spiritum sanctitatis*, qui alibi vocatur *Spiritus æternus. Heb. 9. 14.* Intelligitur autem Divina in Christo natura, hoc etiam nomine indigitata à Petro, *1. Ep. 3. 18.* Vocatur eodem

sensu ἴδιος υἱὸς, *proprius Dei Filius*, *Cap. VIII. 32.* sicuti alibi passim, *Unigenitus.* 3. *Spiritus Sancti*, sic dicti, quòd per spirationem æternam procedat à Patre & Filio: unde etiam *Spiritus Dei* vocatur, cujus argumentum est emissio ejus in corda Hominum. *Cap. VIII. 9.14.15.*

4. *Operum* essentialium Deitatis, quæ κατ' οἰκονομίαν tribuuntur distinctè, non quoad apotelesmata, sed quoad ordinem agendi & operandi, 1. *Patri*, tanquam agenti à se, ut fonti & primo principio Deitatis. 2. *Filio*, tanquam agenti à Patre. 3. *Spiritui S.* tanquam agenti à Patre & Filio. Cujus distinctionis indicia inter *alia* occurrunt, *Cap. III. 24. 25. & V. 1. 5. 8. 10. 15. & VI. 4. & VIII. 3. 9. 11. 14. 15. &c.*

2 DE OPERIBUS DEI.

Horum alia vocantur *Interna*, alia *Externa*.

DE *Internis* DEI *Operibus*.

Vocantur etiam *Immanentia*, quia sunt in Deo: hinc quoque *Aeterna*. Itemque DECRETA, quæ sunt actiones Dei internæ, à libera ipsius voluntate ab æterno profectæ, quæ in Deo & in voluntate ejus, tanquam *principio* considerataæ, neque ab essentia Dei, neque inter se distinguuntur, sed sunt unus & simplicissimus voluntatis Divinæ (quæ nihil est aliud, quam Deus volens) actus. Distinguuntur autem inter se partim ratione *termini* seu *objectorum*, quæ sunt extra Deum, & in quæ Decreta hæc feruntur: tum ratione *nostri concipiendi modi*. Hoc enim respectu distingui solet inter Decretum Dei *Commune* & *Particularia*.

Commune Dei Decretū extēdit se ad res omnes, totum Mundum & omnia in eo contenta, ut nihil vel minimum sit, fiat vel agat, citra æternam Dei uti præscientiam, ita decretum & præ-

& præordinationem. Quò pertinet locus Apostoli, *Cap. XI. 36. Ex eo & per eum & in ipsum sunt omnia.* Quodcunque enim fit in tempore, id ut fieret Deus ab æterno decrevit, juxta illud Jacobi, *Act. 15. 18.* nisi Deo velimus asscribere Decreta principium temporis habentia, sibi invicem in tempore succedentia, & denique mutabilia, qualia cadere solent in Homines.

Particulare Dei Decretum vocari solet PRAEDESTINATIO, cujus objectum sunt Creaturæ rationales, tum *Angeli*, tum *Homines*.

Prædestinationem aliquam esse *ANGELORUM*, tum *Bonorum*, quos Deus ad *gloriæ* suæ æternam communionem, & *gratiæ* ipsis concreatæ conservationem prædestinavit: tum *Malorum*, videl. Satanæ & Angelorum ejus, quos Deus repobavit & ad æterna supplicia prædestinavit; colligere est ex distinctione utrorumque. Nam *Cap. VIII. 38.* mentio fit in genere *Angelorum.* Postea *Cap. XVI. 20.* in specie *Satanæ*, conterendi mox sub pedibus nostris.

De *Prædestinatione* verò *HOMINUM* fusè agit Apostolus in hac Epistola. De ea

I. *Generatim* observanda occurrunt seqq.

1. *Esse* aliquam *Prædestinationem* Generis Humani. Ejus enim expressa fit mentio, *Cap. VIII. 29. 30.*
2. Hanc *Prædestinationem* factam fuisse non demùm in tempore, sed *ab æterno.* Ideò iterùm mentio fit non tantùm ὁρισμοῦ, sed προορισμοῦ; non γνώσεως, sed προγνώσεως. *Ibid.* non θέσεως sed προθέσεως. *Ibid. v. 28. & IX. 11.*
3. *Prædestinationis* hujus *causam impulsivam* extra Deum in Hominibus nullam esse, sed liberam tantùm εὐδοκίαν aut beneplacitum voluntatis ipsius. *Cap. IX. 18.*
4. Hujus *Prædestinationis objectum* esse Genus Humanũ non solùm *indefinitè* consideratum sed & *definitè*

& determinatè ad singula Individua aut singulares personas in Genere Humano. Paulus enim in Mysterii hujus descriptione mentionem facit non solùm integrarum Nationum aut populorum, secundùm Dei prædestinationem vel adoptatorũ vel repudiatorum. *Cap. IX. 4.* sed & in una natione, v.g. Israëlitica, singularium personarum. *Ibid. v. 6. 7. 8.* ex. gr. filiorum Abrahami & Isaaci, *Ibid. v. 9.--13.*

5. Genus Humanum in *Prædestinatione* Deo objici quà per peccatum corruptum est. Ex. filiorum Isaaci, *Cap. IX. v. 11. Simil.* Massæ informis Figuli. *Ibid. v. 21.* Intellige autem in respectu speciali & ordine ad finem patefaciendæ vel misericordiæ Dei in electis, vel justitiæ vindicatricis in reprobis. Nam si *Prædestinationis* vocem laxiùs sumamus pro omni Dei decreto ad Hominem pertinente, & ad gloriam Dei quocunque modo in ea patefaciendam; ad Objecti considerationem pertinebit quoque Hominis ad Imaginem Dei creatio, fœdus cum Protoplastis initum, lapsûs item eorundem permissio.

6. *Prædestinationem* hanc comprehendere in se non solùm *præstitutionem finium*, sed etiam προτυχὴν & *præordinationem mediorum*, per quæ prædestinati ad fines illos perducuntur. Id docetur exemplo tum reproborum, tum electorum. *Cap. IX. 22. 23.*

7. *Prædestinationis finis* est patefactio gloriæ Divinæ tum potentiæ, tum misericordiæ, tum justitiæ. *Ibid.*

8. *Prædestinatio* est Decretum Dei immutabile & irrevocabile. *Cap. IX. 20.*

9. Circa *Prædestinationis* mysterium sapiendum est sobriè, illudque adeò potiùs per admirationem adorandum, quàm ratione humanâ scrupulosè per-

perveſtigandũ. Itaq;,ſi in eo aliquid videatur eſſe à ratione Humana alienum,& injuſtitiæ potiùs, quàm juſtitiæ affine; cogitandum, ſapientiam Dei eſſe imperſcrutabilem,ſapientiam humanam eſſe ſtultitiam coram Deo, & *judicia Dei*, rectè monente Auguſtino, *arcana eſſe poſſe, injuſta eſſe non poſſe.* Quò tendit exclamatio & admiratio Apoſtolica. *Cap.XI. 34.35.36.*

10. Hinc de *Prædeſtinationis* myſterio non ex ſola Doctrina Evangelii judicandum eſt. Equidem, ſi *Evangelii* nomine totum Corpus doctrinæ de Hominis ſalute intelligatur,fatendum eſt, doctrinam de *Prædeſtinatione* eſſe quoque illius partem: qua de cauſa Apoſtolus, in hac ſua ad Romanos Evangelica Epiſtola, myſterium hoc, quantum ſalutis noſtrę intereſt,explicavit &reſeravit.Quòd ſi verò Evangelii nomine ſtrictè ſumatur doctrina de noſtra per Chriſtum redemptione,reconciliatione cum Deo, & ſalute per fidem conſequenda: dici non poteſt, hanc doctrinam totum Prædeſtinationis myſterium in ſe complecti, ſed tantùm partem aliquam, de mediis ad ſalutem tendentibus, videl. Redemptione per Chriſtum, & vocatione per prędicationem Evangelii ad fidem. Atqui Prædeſtinationis doctrina non ſubſidet tantùm in cauſis ſalutis intermediis, ſed altiùs, juxta filum Apoſtoli, *Cap. IX. X. & XI.* aſſurgit ad primũ non ſolùm ſalutis,ſed & redemptionis ſalvandorum & fidei ipſius,per quam ſalvantur,originem & cauſam primariam, videl. gratuitam Electionem. Hinc docet 1. non omnes eſſe ad ſalutem prædeſtinatos,ſed tantùm electos ex gratuita Dei miſericordia. 2. Non annunciari omnibus Evangelium, cùm olim eloquia Dei ſolis Judæis,

tanquam populo Dei electo, fuerint concredita. *Cap. III. 2. & IX. 4.* 3. Neque omnibus, quibus Evangelium annunciatur, datum esse credere Evangelio: cum innumeri Evangelium audientes nec resipiscant nec credant, sed excœcentur magis & indurentur. Ex. Judæorum, *Cap. X. 16. & XI. 7.—10.*

II. *Speciatim* jam si de *Prædestinatione* loquamur, dispescitur ea in *Electionem* & *Reprobationem*. Paulus id docet exemplis non solum integrarum nationum, v. g. Judæorum electorum, & Gentium repudiatarum in Veteri; è contrario Gentium electarum & adoptatarum, Judæorum autem abjectorum in Novo Testamento: sed & singularium personarum, Ismaëlis & Isaaci, Esavi & Jacobi &c. *Cap. IX. X. XI.*

DE ELECTIONE.

De ELECTIONE occurrunt observanda seqq. ex hac Epistola.

1. *Electio* vocatur *Prædestinatio*, strictè sumpta hac voce, *Cap. VIII. 29. 30.* Interim, hanc vocem latiùs quoque extendendam esse ad totum Decretum Prædestinationis, patere potest ex *Cap. IX. v. 11.* ubi fit mentio τῆς πϱοθέσεως *præstitutionis*, sed cum restrictione ad eam, quæ est κατ' ἐκλογὴν, *secundùm electionem* Dei, contradistinctè nimirum ad eam, quę non est κατ' ἐκλογὴν, qualis intelligenda est ex. gr. de Pharaone, *Ibid. v. 17.* cujus documentum est vox ἐξήγειρά σε, *excitavi te*, utique secundùm πϱόθεσιν: item de *vasis iræ* generaliter, *v. 22.* Quid enim ibi voluntas Dei, ostendendi suam iram & potentiam in reprobis, aliud significare potest, quàm πϱόθεσιν Dei de ipsorũ interitu?

2. *Electionis Causa efficiens* Deus est. *Cap. VIII. 28. 29. 30.*

3. *Causa* ejus *impulsiva* extra Deum nulla est. Non *Christi meritum* & redemptio, quæ non præordinatur sed subordinatur Electioni, ut postea dicam: non prævisa *bona* electorum

opera.

opera. Cap. IX. 11. nec prævisa *fides*, cùm vocatio efficax, per quam fide donamur, sit Electionis effectum. *Cap. VIII. 30.* & voluntas Hominis, tanquam causa, prorsùs ab Electione removeatur, *Cap. IX. 16.* Sed Dei πρόγνωσις, *præcognitio. Ibid. v. 29.* Non illa *theorica*, quâ Deus ab æterno præscivit, non tantùm electos, sed & reprobos; multo minus *prognostica* fidei aut dignitatis eligendorũ, cùm electi & reprobi in Dei prævisione fuerint pares. *Cap. IX. 11.* ad unam massam corruptam Generis Humani pertinentes. *Ibid. v. 31.* sed *practica*, videl. *prædilectio*, quo sensu Paulus πρόγνωσιν accipit de Judæis, *Cap. XI. 2.* Vocat eam quoq; *misericordiam* aut *miserationem. Cap. IX. 15. 16. 23. Voluntatem miserendi. Ibid. v. 18.* item χάριν, *gratiam*: unde meminit *Cap. XI. 5.* τῆς ἐκλογῆς χάριτος, *electionis gratiæ* sive *gratuitæ*: non utique, quâ Homines gratiam elegerunt, sed quâ Deus eos ex gratia elegit.

4. *Electio* non est omnium Hominum indiscriminatim, quod vel ipsa vox *Electionis* evincit. Quomodo enim potest habere locum electio, ubi assumuntur omnes? Neque etiam tantùm indefinitè, credentium: cùm fieri potuisset, ut nullus Hominum crederet. Sed est certarum & singularium personarum in Genere Humano. quorum Deus præ aliis misereri voluit. *Cap. VIII. 29. & IX. 15. 16.*

5. *Electio* Hominum præsupponit in eis naturalem per peccatum corruptionem. Est enim actus misericordiæ Dei, quæ locum non habet nisi in miseris. *Cap. IX. 15. 16. 18.* Hinc Esau & Jacob Deo prædestinanti objecti fuêre, tanquam jam concepti in peccatis. *Ibid. v. 11.* & electi ex communi massa corrupta, dicuntur facti ad decus. *Ibid. v. 9. 23.*

6. Nequaquam autem *Electio* præsupponit in eligendis fidem; cùm, rectè iterum Augustino monente, *non credant Homines, ut eligantur; sed eligantur ut credant.* Hoc enim iterum insinuat vox *miserationis. Ibid. v. 18.* Quomodo enim Deus miseretur electorum? Non solum salutem, sed & fidem eis destinando. Quod patet ex opposito, scil. *induratione* reproborum.

rum. Sicut enim hæc est consequens & certo cum respectu effectus *Reprobationis*: ita è contrario Hominis conversio & fides non est antecedens, sed consequens effectum *Electionis*. Quod porrò quoque evincitur ex *præparatione* electorum, seu *vasorum misericordiæ ad gloriam*, cujus mentio fit *ibid. v. 23.* quæ præparatio, tanquam electionis effectum, includit utique donationem fidei.

7. Hinc porrò patet, Decretum *Electionis* esse decretum non tantùm de salute ceu fine, sed & de mediis ad salutem tendentibus, adeoque vocari posse absolutum & non absolutum. *Absolutum* quidem, respectu *causæ* alicujus impulsivæ antecedentis, extra Deum. *Non absolutum*, respectu *mediorum*, quæ Deus subordinavit Electioni, præordinavit autem saluti æternæ electorum. Inter *Media* illa occurrit

α. *Redemptio per Christum*, *quæ* propriè ad solos electos pertinet, *Cap. V. 8. & VIII. 32. 33. 34.* Expressa enim *electorum* mentio, pro quibus Christus mortuus esse dicitur, & quibus ea de causa salus adjudicatur, excludit reprobos.

β. *Vocatio efficax* ad fidem. *Cap. VIII. 30.*

γ. *Justificatio. Ibid.*

δ. *Sanctificatio*, tanquam glorificatio inchoata, cui propterea annexa est gratia *perseverantiæ*. *Ibid.*

8. *Electio* Dei est immutabilis, ut electi nec totaliter nec finaliter possint deficere à gratia & perire in æternum. *Cap. VIII. v. 30. usq. ad fin. Cap.*

9. Ad *Electionis* suę πληροφορίαν quilibet fidelis tenetur. *Cap. VIII. 38. 39.* Ad eam pertinget per fidem: fidem suę electionis concipiet per applicationem promissionum Evangelii de Christo: de his autem certus esse poterit ex sua resipiscentia.

DE REPROBATIONE.

De ea in hac Epistola occurrunt seqq. ἀξιομνημόνευτα.

1. Ea

1. *Est* aliqua *Reprobatio*, quod non solùm insinuat vox opposita *Electionis*, sed & distinctio *vasorum iræ* & *misericordiæ*, *Cap. IX. 22. 23.* exempla item reprobati Ismaëlis, Esavi, Pharaonis. *Ibid. v. 7. 13. 17.* & vox *Abjectionis*, *Cap. XI. 1.*

2. *Reprobatio* non est tantùm *præscientia*, sed & *prædestinatio* reproborum ad interitum. *Cap. IX. v. 22.*

3. *Reprobationis causa efficiens* Deus est *Ib. v. 9, 13, 17, 20. &c.*

4. *Impulsiva causa* extra Deum nulla est. Non *peccatum*, quod Hominem facit reprobabilem. Sic enim omnes fuissent reprobati, non solùm Esau sed & Jacob, tanquã ambo in peccato concepti. *Cap. IX. 11.* & quicunq; ad massam Hominis corruptam pertinent. *Ibid. v. 21.* Neque *infidelitas*, cùm hæc non sit antecedens sed consequens Reprobationis, sive demùm intelligatur de Infidelitate *negativa*, qualis cadit in eos, quos Deus Evangelii sui patefactione non dignatur, ut Gentes olim: sive de *privativa*, quæ consequitur Reprobationem, exempl. Judæorum, *Cap. X. 16. & XI. 7.* Superest, ut dicamus, *solam voluntatem* Dei, *Cap. IX. 18.* & quidem odientem, *ibid. v. 13.* cujus nulla prior & superior excogitari potest, *Cap. XI. 33.* causam esse Reprobationis.

5. *Objectum Reprobationis* sunt Homines, *quà*, attamen non *quia*, peccatores. *Quà*, inquam, peccatores. Sunt enim naturâ suâ, uti jam dictum, propter peccatum reprobabiles, in massa perdita Generis Humani. Non *quia* sunt peccatores. Sic enim omnes fuissent reprobati & nullus electus. Neque heic opus est distinctione inter Reprobationem *negativam*, quam vocant *Præteritionem* in Electione: & *positivam*, quam vocant *Prædamnationem*: distinctione item inter Reprobationem consideratam *absolutè*, ut cum quæritur: Cur aliqui Homines reprobati sint? & *comparatè*, ut quum quæritur: Cur hic præ illo, Ismaël præ Isaaco, Esau præ Jacobo fuerit reprobatus? Nam in nullo horum respectuum Peccatum potest dici propriè Reprobationis causa, sed tantùm *Causa*, quam vocant, *sine qua non*, sive antecedens aliquod necessarium requi-

situm reprobandorum,ex quo v.g. Prædamnationis reproborum, vel reprobationis ipsorum, absolutè consideratæ, æquitas & justitia defendi,non autem actus ipse Reprobationis,tanquam peccati effectus, concludi potest.

6. Uti dictum de *Electione*, ita nunc quoque de *Reprobatione*, quòd decretum sit tum de *Fine*, tum de *Mediis* ad finem.

Finis est Reproborum ἀπώλεια, exitium, non solùm temporale,sed & sempiternum. *Cap.IX.22.* quale etiam dicitur paratum Diabolo & Angelis ipsius, *Matth. 25. 41.* non tamen quà est eorum exitium,quo per se Deus non delectatur; sed quà in eo patefit gloria divinæ potentiæ & justitiæ. *Cap. IX. 22.* tanquam in pœna, quam reprobi sibi accersiverunt sua improbitate, conjuncta cum abusu μακροθυμίας Dei.

Media Reprobationis exequutiva & damnationis ipsorum prodroma, sunt effecta partim

Iræ Dei & justitiæ,vid.1. Negatio & occultatio verbi, per quod illuminari & converti possent, quod olim in Vet. Testam. Gentibus acciderat. *Cap. IX. 25.26. & X. 19.* 2. Vocatorum per verbum exclusio à fidei & conversionis dono. *Ibid. v. 16.* imò execratio & induratio. *Cap. XI. 7. 10.*

Μακροθυμίας Dei, quâ rigorem suæ iræ & justitiæ erga reprobos temperat. *Cap. IX. 22.* quando videl. quos odit, tolerat, nec confestim in exitium præcipitat: quando beneficiis variis eos insuper accumulat, tum corporalibus, *Matth. 5. 45. Act. 14. 17.* tum spiritualibus, eos vocando per Verbum, per gratiam coërcentem quadantenùs innovando,& gustum aliquem, superficiarium licèt, vitæ alterius ipsis exhibendo. *Heb. 6. 4. 5. 6.* quo ipso tolerabilior longè est reproborum Hominum, quàm Diabolorum status: quanquam hæc ipsa Dei μακροθυμία, propter abusum & impœnitentiam

tentiam reproborum, redundet tandem ad eorum graviorem condemnationem. *Cap. II.4.5.*

7. Sicuti Electio est immutabilis, adeò ut electi nunquam possint fieri reprobi: ita quoque Reprobatio est immutabilis & irrevocabilis, cùm nitatur voluntate & Decreto Dei ἀμεταμελήτῳ & irretractabili. *Cap. IX.19.* Sic alibi Scriptura nobis Dei voluntatem atque decreta describit, *1. Sam. 15.29. Psal. 33.11. Jes. 14.27.* Qui distinguunt heic inter Decretum Dei absolutum & conditionale, peremptorium & suspensum; illi in Deo duplicem Voluntatem, & quidem oppositam, comminiscuntur, mutabilem unam, quam etiam vocant *antecedentem*, pendentem à conditione in Homine; immutabilem alteram, quam vocant *consequentem*.

Adversarii quum Reprobationis immutabilitatem docemus, ad invidiam nobis nostræque doctrinæ Apostolicæ conflandam, lacinias suas appendunt nobisque obtrudunt, quasi doceamus, reprobos salvari non posse, etiamsi omnia bona opera præstarent. Quod purum putum est mendacium: cùm dicamus, Reprobationem & studium bonorum operum esse ἀσύστατα, &, ut in Scholis loquuntur, incomposssibilia. Non est ut muscæ hæ tales vomicas apud nos quærant. Insideant vomicis & ulceribus suorummet Magistrorum, ut saniè tali se pascant. Legant, quod Brentius scripsit in *Cap. 15. Job. Si pro Divino captu, & quantum ad Dei immutabilitatem attinet, loquendum fuerit, firma stat sententia: Quemcunque Deus ante conditum Orbem elegerit, eum non posse perire:* (Nemo enim rapit oves de manu hujus Pastoris) *Quem verò rejecerit, eum non posse salvari, ETIAMSI OMNIA SANCTORUM OPERA FECERIT. Usq; adeò irretractabilis est sententia Dei. Time igitur, & in solam Dei eligentis manum respice, ut salutem per Dominum nostrū Jesum Christum assequaris.* Adde Lutherum, *Lib. de servo Arbitr. Cap. 42.* inter alia sic scribentē. *Hic summus est fidei gradus, credere, Deum esse clementem, qui tam paucos salvat & tam multos damnat: credere JUSTUM, QUI SUA VOLUNTATE NOS NECESSARIO DAMNABILES FACIT.* Qui plura de his volet, adeat *Theatrum nostrum in Calvin. Institut. p. 70. 71.* Quis nostrûm tam hyperbolicè unquam loquutus fuit?

8. Reprobis contra sui à Deo reprobationem & ad exi-

tium destinationem nihil relinquitur accusationis Dei & defensionis sui. *Cap. IX. 20, 21.* ubi docetur idem similitudine vasorum figulinorum, quam placet iterùm Brentii, sed modestioribus, verbis illustrare ex *Commentar. in Caput IX. ad Rom. Quemadmodum*, inquit, *Lutifigulus ex eadem luti massa, facit aliud vasculum ad honestos usus, aliud ad parùm honestos: ac magna esset impudentia & temeritas, si inhonestum vasculum responsaret contra figulum: Cur me sic finxisti? Ita Deus, ex universa generis Humani massa, alteri quidem donat fidem in Christum, quâ justificetur & salvetur; alterum autem relinquit in sua incredulitate, ut pereat. Nec est, quòd queat ullius tyrannidis accusari. Quod enim alteri præstat, gratuitum est beneficium; quòd alterum in sua impietate relinquit, justum est judicium. Cæterùm hac de Lutifigulo similitudo accepta est mutuò ex Jerem. 18.* Ecce, *inquit Dominus*, sicut lutum in manu figuli, sic vos, domus Israel in manu mea. *In hac autem similitudine accusantur omnes Homines sordium: & excusatur Deus, quòd nihil agat iniquè. Sunt enim omnes Homines lutum, & indigni, ex quibus fiat honestum vasculum. Quare, etiamsi Deus fecerit ex hoc luto vasculum parùm honestum; non est Dei culpa, sed luti natura. Aliud est, si Homines essent naturâ aurum seu argentum: nunc autem sunt lutum. Quare hi, qui ad lutosum usum destinantur, non habent, quod de Deo conquerantur.*

9. Judicium de Reprobatione adeoque condemnatione, attinet vel

a. *Alios proximos*, estque vel 1. *Theticum*, quo in genere possumus pronunciare, qui sint Reprobi, & quæ horum indicia, scil. incredulitas & contemptus perseverans Verbi Dei, impœnitentia finalis, in specie autem peccatum seu blasphemia in Spiritum S. 2. *Hypotheticum* de personis singularibus. Hoc nobis difficillimum est, & citra patefactionem extraordinariam conjecturale tantùm, hincq; satius est à nobis suspendi, quàm præcipitari, sed præstat illud Deo committere.

Quò

Quò pertinent loca *Cap. II. 1. & Cap. XIV. 3. 4. 10. 13.* *Rationes* 1. quia non sumus καρδιογνῶσται, ut possimus judicare non solùm ἔξωθεν, sed & ἔσωθεν de Reproborum impietate. 2. Quia nescimus, quid serus vesper vehat, cùm horę diei sint duodecim. Sicut Deus potest ex primis, quales sunt hypocritæ & justitiarii, facere ultimos; ita ex ultimis, scilicet improbissimis, potest facere primos, & micam suæ convertentis gratiæ etiam extremum spiritum trahentibus impertiri.

β. *Nos ipsos.* Heic notandum, de sua propria Reprobatione neminem jure posse aut debere judicium desperabundum concipere ex doctrina nostra orthodoxa, de Reprobatione majoris partis Hominum ad interitum. *Rat.* quia mysterium hoc & doctrina non est canon nostræ spei aut desperationis, sed Verbum Dei, in quo Deus patefecit exprefsè, quid Homini sit faciendum vel omittendum; non autem quid de unoquoq; Hominum ipse juxta suum decretum facturus sit. Ergo scopulum damnationis declinaturus Homo, debet attendere ad lucernam Verbi Dei, id est, ut Lutherus loquitur, ad Devm Patefactvm, non Absconditvm: & incumbere juxta illius præscriptum resipiscentiæ, fidei, studioque bonorum operum. Id si seriò facturus est, nulla ipsum vexabit Reprobationis, sed potiùs exhilarabit Electionis cogitatio. Secus si faxit, & Verbo contempto, neglectisque omnibus salutis suæ mediis, malit Icariis alis se in sublime efferre, scrutinio mysterii hujus ἀνεξερεύνητα in abdito Dei consilio; vel insuper profanis istis & verè Diabolicis cogitationibus indulgere: Si electus sum, indubia est mea salus, etiam negle-

ctis mediis: si reprobus sum, desperata est salus, etiam omnibus mediis adhibitis: Næ suo is malo, culpâ & petulantiâ, vel in impietate sese obfirmabit, vel, ubi conscientia tandem evigilaverit, in gurgitem ruet desperationis. Videantur de his plura supra ad *Caput XI. pag. 405. & seqq. Quæst. I.*

DIGRESSIO. Similitudine difficultas, si quæ heic obrepat, expediri potest.

Protasis. Est ægrotus aliquis, gravissimè decumbens. Nescit, an ex morbo periculoso sit convaliturus, nec, ne. Adest ei Medicus, remedia præscribens, exhortans, promissa faciens. Ægrotus talia insuper habens, cogitationibus fanaticis indulget, arreptis atque detortis ex doctrina de Dei Providentia: Destinatus sum vel ad sanitatem & vitam, vel ad mortem. Si illud, de sanitate & vita benè sperandum, etiamsi remedia non adhibeam, cùm providentia Dei falli non possit. Si hoc, frustraneus erit omnium medicamentorum usus. Quid fit? Morbus ingravescit ad extremum, ægrotus desperat de vita, tandem perit. Hinc jam

Quæst. Quæ ipsius perditionis & desperationis sit culpa?

Resp. Utique non doctrina vera & sana de Dei providentia circa Hominis vitam & mortem: sed illius malignus & petulans abusus, quo ægrotus fines à providentia Dei intentos divellit ab eorum mediis, salutem sibi pollicens cum mediorum ejus neglectu & contemptu: exitium contrà sibi imaginans, etiam cum mediorum salutis usurpatione.

Apodosis. Eadem Reproborum est ratio. In morbo peccatorum toti hærent, obnoxii morti & exitio æterno. Propinquum interim habent verbum Dei, de Christo Medico, & salutem per resipiscentiam ac fidem in ipsum consequenda. *Rom. Cap. X. 8. &c.* remedia hæc ipsis præscribuntur, offeruntur, cum exhortationibus ac promissionibus. His autem neglectis & contemptis, illi disputare gestiunt de arcana Dei prædestinatione, & in abyssum inextricabilem se demergere. Nam sub prætextu doctrinæ de *Electione* ad salutem ejusq; firmitate, negligunt salutis à Deo ordinata & decreto suo subordinata media. Sub prætextu verò *Reprobationis* irrevocabilis, certatim se dedunt omni

omni impietati, & tandem in desperationis gurgitem ruunt præcipites ac pereunt finaliter. Hinc jam iterum

Quæst. An horum malorum, securitatis, impietatis, desperationis causa & culpa resideat penes doctrinam sanam de Dei Prædestinatione: an verò penes ipsos reprobos, propter petulantem atque horrendum doctrinæ illius abusum?

Resp. Qui culpam hodie transscribunt in doctrinam de Prædestinatione ejusq; propugnatores, ut advocationem præstent Diaboli mancipiis, pudorem omnem decoxerunt.

Excip. I. Quid si ęgrotus cogitet, se non tantùm ad mortem, sed & ad neglectum mediorum sanitatis & vitæ esse à Deo destinatum; quæ eædem possunt esse cogitationes Reproborum? quæ tunc culpa neglectorum mediorum hærebit in ipsis?

Resp. Eo ipso sunt in culpa, quòd tales cogitationes concipiant. *Rat. 1.* quia eas concipiunt extra Dei verbum, cui uni, non decreto Dei arcano, nos conformare oportet. 2. Quia affingunt Deo hoc decretum, quasi videl. ipse ullum Hominem ad neglectum mediorum salutis destinasset ita, ut hujus decreti vi reprobus, velut fatali necessitate adactus, media salutis, etiamsi vellet, adhibere non posset. 3. Quia medium præsens à Deo ipso paratum, Christum sc. in Evangelio per fidem apprehendendum, petulanter rejiciunt. *Matth. 23. 37.*

Excip. II. Cur autem Reprobi acceptent Christum ad se non pertinentem? quæ possit ipsis imputari culpa, si non credant, sed respuant illum?

Resp. 1. Sicut prædictus ægrotus Medicum respuit, non quod putet ipsum ad se non pertinere; cùm contrarium possit ac debeat arguere ex ejus præsentia & oblatis remediis: sed quia ex suo vitio & pravo aliquo affectu Medicum ejusque consilium & remedia aversatur: Ita Reprobi Christum respuunt non ideò, quòd sciant illum non pertinere ad ipsos: unde enim id scire possent, cùm Christus ipsis quotidie in Evangelio offeratur? sed propterea, quia ex innata malitia Christum

ejusq;

ejusque Evangelium oderunt & aversantur. 2. Etiamsi Christus ad Reprobos non pertineat respectu Electionis ad salutem; pertinet tamen ad ipsos, respectu Vocationis externæ, quâ Christus eos dignatur suam gratiam ipsis offerendo.

Excip. III. Atqui externa vocatio ipsis non prodest, sed magis officit, quia per eam aggravatur ipsorũ condemnatio.

Resp. Id fit non Dei & Christi vocantis, sed ipsorum vocationem repudiantium culpâ.

Excip. IV. Atqui videtur culpa nihilominùs recidere in Deum & contrarias ejus voluntates, dùm aliud de reprobis decrevit, aliud imò contrarium per vocationem externam ab ipsis exigit.

Resp. Nulla iterum heic restat Reprobis excusatio 1. quia his incumbit, non ad Dei voluntatem decernentem, tanquam ipsis incognitam, sed jubentem in Verbo respicere. 2. Nec tamen ulla intercedit inter utramq; Voluntatem contrarietas, quia ὁμωνύμως non συνωνύμως se invicem habent. *Voluntas decernens*, quæ etiam dicitur τῆς εὐδοκίας, significat, quid Deus juxta suum decretum sit facturus vel non facturus, vel permissurus. *Voluntas jubens*, quæ dicitur quoque εὐαρεστίας, docet, quid Homo juxta Dei mandatum facere vel omittere debeat, quod in se Deo placeat vel displiceat. Augustinus declarat simili Filii alicujus, qui vellet Patrem vivum, ex στοργῇ filiali, Dei præcepto consentanea; quem Deus vult mortuum, voluntate sua decernente. Nulla heic voluntatum contrarietas.

Excip. V. Tandem dici posset, Deum Reprobis fidei donum non destinasse. Itaque gratiâ Dei deficiente ipsos credere & Christum amplecti non posse. Excusatam ergo esse ipsorum incredulitatem.

Resp. 1. Decretum, de fidei dono non dando, Reprobi non possunt obtendere suæ incredulitati, quia decretum hoc, quoad singulares personas, ipsis est incognitũ: & quia media, si vellent, fidei consequendæ, habent in parato, verbum Dei, Sacramenta, &c. 2. Quòd verò non velint, nec etiam velle possint credere & media fidei

dei usurpare; impotentiæ hujus culpa non est in Deo, sed in ipsis hæreditaria, ex culpa primæva Protoplastarum. 3. Quum Deus in ipsis hanc impotentiam non tollit sed relinquit, nihil omittit, quod debet, cùm nullius Hominis sit debitor; sed libertate sua utitur ad gratiam suam dispensandam vel denegandam, quibus vult. 4. Nec tamen gratiâ, quam vocant, *objectivâ* seu *oblativâ* Deus Reprobos in gremio Ecclesiæ visibilis versantes dedignatur: etiamsi *subjectivam* aut *collativam* iis nullo jure debitam deneget.

Hactenùs de *Operibus Dei Internis*. Sequitur

2 *De Operibus Dei Externis.*

Sicut *Opera* Dei *interna*, *Decreta videl.* Dei, etiamsi suum *terminum* habeant extra Deum, tamen æterna sunt *principii* respectu: sic *externa* Dei *Opera* temporalia sunt, ita tamen ut respondeant per omnia Decretis Dei, quorum sunt in tempore exequutiva. Inter ea occurrit

I. Creatio, quæ est rerum, quæ sunt extra Deum, omnipotens effectio & productio à non-esse ad esse. Hujus *Creationis* objectum sunt

α. *In genere*, totus Mundus, & omnes res in eo contentæ. *Cap. I. 20. 25. & VIII. 22. & IX. 20. & XI. 36.*

β. *In specie*, tum

Angeli, qui etiam inter res Dei creatas recensentur, *Cap. VIII. 38. 39.*

Homines. Hinc vocantur πλάσματα Dei, *Cap. IX. 20.* sicut alibi progenies Dei, *Act. 17. 28.* Heic notandum, 1. ex una in Adamo Protoplasta corrupta Generis Humani massa, creari Homines (quod Apostolus similitudine Figuli indigitat, *Cap. IX. 21.*) ad diversos imò oppositos fines: *Electos* quidem ad salutem, ut gloria misericordiæ Dei in ipsis reluceat. *Ibid. v. 23. Reprobos* verò ad exitium, ut gloria poten-

riæ & justitiæ Dei in ipsis pateat. *Ib.v.22.* 2. Aliam rationem esse creationis Protoplastarum, quippe quos Deus primitùs bonos & sanctos creaverat, quamvis mutabiliter, cùm usum & abusum Liberi arbitrii in manu ipsorum reliquerit: aliam Creationis reliquorum Hominum ab Adamo descendentium, quos Deus ex corrupta Massa creat partim ad decus, ut sint vasa gloriæ ejus; partim ad dedecus, ut sint vasa iræ ipsius. Quò pertinet locus *Prov.16. Deus omnia fecit propter semetipsum, etiam impium ad diem mali.* Unde patet, Deum ex Adamo, scil. jam perdito formare impios, non quidem per infusionem impietatis, sed per relictionem in corruptione primæva: hinc quoque ad exitium, non quidem quà Homines, sed quà impios & in Adamo corruptos.

Ne degeneribus Lutheri Discipulis doctrina hæc, quæ prorsùs Apostolica est, absurda & intolerabilis videatur, attendant, quomodo Lutherus ipse eam tueatur. *De servo Arbitr. Cap.147. Condidit Deus Pharaonem impium, hoc est, ex impio & corrupto semine, sicut in Proverbiis Salomonis dicit:* Omnia propter semetipsum fecit Deus, etiam impium ad diem malum. *Non igitur sequitur: Deus condidit impium. Ergo non est impius. Quomodo enim non est impius ex impio semine, sicut dicit.* Ps.50. Ecce in peccatis conceptus sum. *Et* Job. Quis post facere Mundum de immundo conceptum semine? *Licet enim Deus peccatum non faciat, tamen naturam peccato, subtracto Spiritu, vitiatam, non cessat formare & multiplicare, tanquam si faber ex ligno corrupto statuas faciat. Ita qualis est natura, tales sunt Homines, Deo creante & formante eos ex natura tali.*

II. PROVIDENTIA actualis, quæ consistit non tantùm in rerum omnium intuitiva & penitissima cognitione, sed & in earundem, quoad ipsorum essentias, virtutes & operationes per non solùm mediatum sed & immediatum influxum virtutis & efficaciæ ipsius, conservatione, gubernatione & directione ad fines Creaturis destinatos.

α. *In genere*, de omnibus rebus creatis id patet ex

Cap.II.

Cap. I. 20. & Cap. XI. 36. A Deo sunt omnia per Creationem: *per ipsum*, id ist, per virtutem ejus conservativam sunt omnia: *in ipsum* sunt omnia, scil. per directionem ad gloriam suam.

β. In specie de Hominibus id patet ex *Cap. XIV. 7. 8.* Observandum heic Providentiæ huic Dei subjici Actiones

1. Non solùm *bonas* Hominum, uti etiam Angelorum bonorum, qualium Deus in iis est effector.
2. Sed etiam *malas*, peccata videl. Hominum improborum, uti & Angelorum malorum: idque per modum non otiosæ permissionis, quæ Dei potentiæ & sapientię adversatur; sed 1. *Desertionis*, subtractionis gratiæ & Spiritus sui. 2. *Traditionis* in potestatem suarum cupiditatum & affectum, imò Satanæ ipsius. *Cap. I. 24, 26. & XI. 8. 10.* 3. *Punitionis* & judicii, quo Deus, tanquam justus Judex, peccata peccatis punire solet, ut quum Deus scortationem spiritualem, id est, idololatriam Gentium punivit scortatione corporali. *Cap. I. 23. -- 26.* Atque huc pertinet excœcatio quoq; & induratio Judæorum, quam Paulus ex Psalmo vocat ἀνταπόδομα, *Cap. XI. 9.*

Hactenus actum de COGNITIONE DEI, quæ inter ΠΙΣΤΑ Theologiæ prima occurrit. De qua *Coronidis* loco porrò ex hac Epistola observandum, quòd ea non solùm debeat esse *Theorica*, sed & *Practica*, requirens non tantùm verum de Deo *sensum*, de quo hactenùs; sed & *Cultum*, cùm ad *Dei cognitionem* non sufficiat nosse, quòd sit & quid sit, sed insuper requiratur cognitio, &, ne hæc otiosa sit, observantia voluntatis Dei, ejusque tanquam Creatoris, conservatoris, Domini & supremi gubernatoris glorificatio. *Cap. I. 18. 21. & XI. 36.* Nunc porrò agendum.

B. DE COGNITIONE HOMINIS.

Hæc implexam habet & conjunctam *Cognitionem* DEI REDEMPTORIS. Instituenda ea venit secundùm tres distinctos Hominis STATUS, *Integritatis*, *Miseriæ* & *Reparationis* ex miseria.

DE STATU INTEGRITATIS.

STATUS hic à quibusdam vocatur *Status institutus*: *Innocentiæ* scil. in quo Protoplastæ primitùs à Deo creati vixerunt ante lapsum. De hoc Statu Apostolus in hac Epistola non agit directè, sed tantùm indirectè & per consequentiam. Describendo enim

1. *Statum miseriæ*, in quem Homo semetipsum præcipitavit per suam propriam culpam, *Cap. V. 12. & seqq.* simulque per eandem secum totum Mundum & omnes res creatas, vanitati involuit, *Cap. VIII. 20.* satis innuit, Hominem in *Statu integritatis* fuisse ἀναμάρτητον, integrum prorsus & carentem omni labe & macula, non quidem ut peccare non posset, attamen ut posset non peccare.

2. *Statum gratiæ*, in quem post lapsum Homo translatus fuit per Christum, tanquam non solùm Reparatorem, sed & augmentatorem primævi deperditi Status, qui fusiùs describitur, *Cap. V. v. 14. & seqq.* eo ipso insinuatur magna illa Dei gratia, Homini primævo collata, gratia scil. *Imaginis Divinæ* ad quam fuerat creatus: gratia *amoris & communionis cum Deo*: gratia *immortalitatis*: gratia omnis *felicitatis* non tantùm terrenæ, sed etiam cœlestis exspectandæ, si in integritate perseverasset: quò pertinuerant Sacramenta *Paradisi* & *Arboris vitæ in ea.*

3. *Fœdus gratiæ*, cujus Christus, post Hominis lapsum, Mediator inter Deum & Hominem fuit à Deo constitutus, ut ejus interventu Homo posset cum Deo redire in gratiā, à peccatis absolvi, & æternum justitiæ ἀξίωμα consequi, de quo iterum dicto loco, *Cap. V.* pluribus agitur, nec non *Cap. III. 24. 25.*

hoc

hoc ipso præsupponitur *aliud Fœdus antecedens*, quod locum habuit in Statu innocentiæ, vulgò *Foedus Operum* dictum, quo Deus Protoplastas, atque in ipsis omnes posteros certa Lege astringens, (tanquam examine & experimento generalis Dei voluntati debitæ obedientiæ,) in casu perseverantis obedientiæ vitam & immortalitatem promisit; in casu verò apostasiæ & transgressionis mortem interminatus est. Atq; hoc *Fœdus primum* per παράβασιν Hominis fœdifragam, tanquam mutabile, pendens scil. à Liberi Hominis arbitrii vel bono usu vel abusu, ruptum fuit, & locum cessit *Fœderi novæ gratiæ*, quod Deus post lapsum cum Hominibus pepigit in Christo, cujus protevangelium habetur *Gen. 3. 15.*

De Statu Miseriæ.

Hic Status primum illum prædictum insequutus fuit: ab aliis vocatur *Status destitutus*. Hujus *Status* occurrit

I. Γνῶσις, *Cognitio*, quæ non aliunde haurienda, nisi ex Lege. Nam si spectas

1. *Præcepta* aut *mandata* Legis: ea sunt peccati 1. *Indicativa* & *ostensiva*. *Cap. III. 20. & IV. 15. & V. 20. & VII. 7.* 2. *Effectiva* & *augmentativa*. *Cap. VII. 5. 8. 9. 13.* non quidem per se, sed per accidens, vitio sc. peccantis Hominis. *Ibid. v. 10. 14.* ut quum calx suffusâ frigidâ effervescit.
2. *Promissiones* & *comminationes* Legis, serviunt ex cognitioni pœnæ, consistentis in jactura bonorum promissorum; & plenitudine omnium malorum temporalium & æternorum: quò pertinent loca, *Cap. I. 32. & II. 3. 13. & III. 19. 23. & IV. 15.*

II. Οὐσία. *Miseria* Hominis consistit tum in *Peccato*, tum in peccati *Pœna*.

A. de Peccato tenenda seqq.

In genere:

1. Non Deum, qui justus est, & Judex Mundi, *Cap. III. 5.6.* sed Hominem esse primum authorem peccati. *Cap. V. 12.*
2. Omnes Homines, nemine excepto, esse peccato obnoxios & per consequens reos coram Deo, tam *Judæos*, quàm *Græcos*, tàm non habentes Legem scil. scriptam, quàm habentes. *Cap. II. 1. 12. & III. 23. & V. 18.*
3. Peccati fructum esse totius Macrocosmi vanitatem, sub qua ingemiscunt omnes creaturæ. *Cap. VIII. 20.*

In specie Peccatum distinguitur in

α *Primum*, Protoplastarum, de quo occurrunt seqq.

1. Quòd fuerit παρακοή, sive inobedientia primi Hominis, qua interdictum quidem speciale Dei fuit transgressus; simul autem hoc ipso prævaricator factus *totius* Legis Dei moralis, ipsi concreatæ. *Cap. VIII. 12. 14.*
2. Quòd fuerit actu quidem transiens, ast reatu manens, qui pervasit totam Naturam Humanam, quæ fuit in Adamo radicaliter, ut hinc peccatum ab ipso & per ipsum fuerit propagatum in totam posteritatem, ipsosque Infantes, qui nondum actualiter peccarunt. *Cap. V. 12. 14.*
3. Quod fuerit in Adamo omnibus ejus posteris imputatum, perinde ac si ipsimet omnes actualiter in ipso & cum ipso peccassent. Hinc dicitur *Cap. V. 12.* quòd *peccatum per unum Hominem introiverit in Mundum ad omnes Homines:* deinde quòd hinc fructus & pœnæ hujus peccati, scil. Mortis, fuerint facti omnes participes: quòd denique *omnes in Adamo peccarint*, eamque ob causam morti animæ, & corporis obnoxii redditi

diti fuerint. Hinc denique in *συγκρίσει novi Adami* (CHRISTI) cum *vetere*, Christi justitia, (quam Apostolus vocat *δωρεὰν ἐν χάριτι, δώρημα, χάρισμα, δωρεὰν τῆς δικαιοσύνης, δικαίωμα, ὑπακοήν*) credentibus omnibus imputata dicitur ad vitam, *Ibid. v.12.--19.* sicut videl. Adami peccatum (quod Apostolus vocat *παράβασιν, παράπτωμα,* & reatus respectu *κρίμα ἐξ ἑνός, παρακοήν*) omnibus posteris ab Adamo primo naturaliter descendentibus imputatur ad mortem. Absque hac imputatione peccati primi Adamici, comparatio quam Apostolus inter Adamum & Christum instituit, locum tantùm habebit in collatione beneficii *Sanctificationis*, quod à Christo; cum maleficio corruptionis nativæ, quam ab Adamo trahimus: cùm tamen Apostolus hoc in Capite nondum agat de Sanctificatione, sed de *Justificatione*. Quin &, sicut *Adamus* tantùm fuisset suorum perditor & condemnator, per transfusionem suæ ex peccato primo corruptionis in posteros: sic *Christus* quoque foret suorum servator & justificator non per imputationem suæ justitiæ & inobedientiæ; sed per transfusionem tantùm illius in nos, quæ Pontificiorum est sententia.

2. *Ortum à primo*, estque tum

α. *Originalis*, seu nativa corruptio, ex primo Adæ peccato ortum trahens, & toti Naturæ Humanæ inhærens, sic ut per naturalem generationem propagetur & diffundatur in omnes Homines.

Observ.

1. *Originale* peccatum sumi nunc *latiùs*, quo sensu etiam peccatum *primum*, quà *imputatum*, in se compre-

comprehendit: nunc *strictiùs*, pro corruptione nativa, ceu fructu & effectu peccati primi. Quo sensu peccatum primum *Originans*; ortum autem *Originatum* vocari solet.

2. *Originale* peccatum potest inclusivè & consequenter intelligi sub nomenclatione peccati, quod per unum Hominem in Mundum introiit, *Cap. V. 12.* quia hoc peccatum secum traxit vitiationem totius naturæ Humanæ. Potest etiam sub vocabulo *Mortis* intelligi, quæ per peccatum primùm ingressa est in Mundum. *Ib. Rat.* quia hoc peccatum est mors spiritualis animæ, destructio videl. vitæ spiritualis, & Imaginis Dei in Homine.

3. Peccatum *originale* est hæreditarium, transiens in posteros non per imitationem, sed per generationem. *Probatur* exemp. *Infantum*, in hoc peccato conceptorum. *Cap. V. 14.*

4. Estque morbus quidem Naturæ, sed secum trahens reatum, quia contrarius est sanctitati naturæ inesse debitæ, estq; adeò verè dictum *peccatum*, hinc quoque obligat ad mortem, etiam ipsos Infantes.

5. Peccatum *originale* adhæret citra exceptionem omnibus ab Adamo & per Adamum genitis. *Cap. V. 12. 14.*

6. Peccato *originali* adeò corrupta & infecta est Hominis natura, ut in ea nihil quicquam potentiæ & libertatis ad ullum verè & salutare bonum supersit. *Cap. III. v. 10. — 18. & VIII. 7.*

7. In rege itis, propter imperfectam eorum regenerationem, reliquiæ peccati *Originalis* manent usq; ad mortem, quæ veri & proprie sic d cti peccati rationem habent. *Cap. VII. v. 17. usq, ad fin. Cap.*

8. *Actualia* ex *Originali*, anquam ex impuro fonte scaturientia: quales sunt omnes Hominum vitiosæ cogitationes, concu-

concupiſcentiæ actuales, cum vel ſine conſenſu voluntatis, ſermones & actiones externæ. Talia peccata Apoſtolus commemorat in Gentibus. *Cap. I.26. & ſeqq.* & generaliter in omnibus Hominibus, *Cap. III. v. 9. — 18.*

B. De Poena tandem *peccati*; ira ſcil. & maledictione Dei, & Morte non ſolùm temporali, ſed & æterna, occurrunt paſſim loca, *Cap. I.32. & II.2.3.12. & V.17.18. & VI.21.23.*

Hactenus quoq; de Statu Miseriae.

De Statu Reparationis.

Status hic ab aliis vocatur *Status Reſtitutus*, eſtq; tum *Inchoatus*, pertinens ad ſeculum præſens: tum *Conſummatus*, pertinens ad ſeculum futurum. Secundùm priorem reſpectum vocatur *Status Gratiae*; ſecundùm poſteriorem, *Status Gloriae*. De utroque ergo nunc venit agendum.

A. De Statu Gratiæ.

Hujus Status conſideranda eſt tum Γνῶσις, tum Οὐσία.

ΓΝΩΣΙΣ petenda ex *Evangelio*, ſicut *Status Miſeriæ* cognitio depromitur ex *Lege*: quanquam & ipſa Lex non quidem directè & proximè, attamen obliquè & remotè, nos ducat, imò cogat ad *Reparationem* & liberationem ex miſeria noſtra quærendam. Itaque agendum heic εἰσαγωγῆς loco, *de Legis* cum *Evangelio*, tum *Diſcrepantia*, tum *Convenientia*, quantum ex hac Epiſtola obſervari poteſt.

Diſcrepantia Legis & Evangelii.

1. *Lex* naturâ eſt nota. *Cap. II. 15. Evangelium* myſterium eſt à ſeculis abſconditum, à Prophetis promiſſum in Scripturis S. & tandem per Chriſtum & Apoſtolos manifeſtatum. *Cap. I.1.2. & XVI.25.26.*

2. *Lex* est doctrina faciendorum. *Cap. II. 13. 14. & X. 5. Evangelium*, doctrina credendorum. Hinc illa vocatur *Lex Operum*; hoc *Lex fidei. Cap. III. 27. & X. v. 6. & seqq.*

3. *Lex* monstrat justitiam à nobis implendam, *Cap. X. 5. Evangelium*, justitiam in Christo adimpletam.

4. *Lex* est Doctor cogens ad instar Domini & severi pædagogi ad servitutem adigens, cum injecta formidine. *Cap. VII. 16. & VIII. 15. Evangelium* est Doctor blandiens ad fiduciā gratiæ exstimulans, & obedientiam lætam. *Cap. VI. 14. & VII. 6. & VIII. 15.*

5. *Legis* promissio est operatoria. *Cap. IV. 4.* & comminatio peremptoria. *Cap. III. 19. Evangelii* promissio est prorsus gratuita & absolutoria. *Cap. X. 8. -- 11.*

6. *Lex* prodit, accusat, judicat, damnat omnes Homines ceu prevaricatores *Cap. II. 23. 25. & III. 19. 20. Evangelium* consolatur & absolvit omnes credentes in Christum. *Cap. I. 16. 17. & III. 21. 22.*

7. *Lex* est quidem præceptiva sanctitatis & obedientiæ; ast inefficax ad eam in Homine operandam. *Cap. VIII. 3.* Quin imò occasione Legis deterior redditur Homo. *Cap. V. 20. & VII. 9. 11. Evangelium* autem est efficax in Homine ad fidem, conversionem, salutem. *Cap. I. 16. & XV. 18. 19.*

Convenientia Legis & Evangelii.

1. Idem est *Legis & Evangelii* Author, DEUS. *Cap. I. 1. & II. 23. & III. 2.*

2. Eadem salus, ceu finis, utrinque promittitur. *Rom. X. 5. 9.*

3. Lex Evangelio, ceu Ancilla Dominæ, subordinatur, & ad Evangelium, ceu scopum, ordinatur. *Cap. III. 31.*

4. Justitia Legis & Evangelii reipsâ conveniunt, & differunt tantùm subjecto. Nam *Lex* justitiam considerat, ut est in & ab Homine: *Evangelium* ut est in Christo. *Cap. X. 5. & seqq.* perinde ut Debitum Creditori persolvendum idem est, sive demum ab ipso debitore, sive loco ipsius à sponsore aut fidejussore exolvatur.

5. Uti *Lex* peccatorem justificandum ad Evangelium com-

compellit; ita *Evangelium* eundem per Christum justificatum ad Legem reducit, ut ab ea vitæ renovandæ accipiat informationem. *Cap. VI. v. 15. & seqq.*

ΟΥΣΙΑ *Status Gratiæ* consistit in Foedere Dei Gratuito, cum Homine inito post lapsum. Hujus *Fœderis* consideranda *Institutio*, *Confirmatio* & *Communio* seu *participatio*.

De Institutione *Fœderis Gratiæ.*

I. *In genere* de ea sunt tenenda seqq.

1. *Fœdus* hoc à primo *fœdere Adamico* differt, quòd hoc fuerit meritorium & conditionatum, quod exegit perfectam obedientiam ab Homine præstandam: illud autem est gratuitum & absolutum. *Cap. IV. 4. 5.* Nam licèt in eo fides ad salutem consequendam requiratur, *Cap. I. 17. & X. 9.* tamen requiritur 1. non ut causa meritoria, sed tantùm ut requisitum salvandorum, ad applicationem salutis à Christo partæ. 2. non ut conditio ab Homine ex suis viribus præstanda, sed à Deo in ipso gratiosè operanda & efficienda.

2. *Fœdus gratiæ* post lapsum non est multiplex sed unum. Apostolus enim, postquam *justitiam ex operibus* omnibus Hominibus, tanquam transgressoribus Legis, abjudicasset; ad unicam eos revocat *Justitiam Dei* per fidem in Christum, omnibus & solis credentibus communem. *Cap. III. 21. 22. 23. 24.* quæ ipsa justitia in Fœdere gratiæ promittitur. Vnde patescit geminus error: 1. Eorum, qui distinctionem fœderis Legalis & Evangelici faciunt substantialem, & illud ad vetus, hoc verò ad Novum Testam. pertinere censent. 2. Eorum, qui *Fœdus Gratiæ* post lapsum geminum faciunt. Vnum *uni-*

Ffff 2

versale, quod ad omnes & singulos Homines se extendat, quale Deum volunt iniisse cum Adamo in protevangelio, *Gen. 3. 15.* Alterum *particulare*, quod sese extendat tantùm ad electos, qui simul à Deo vi hujus fœderis fide salvifica donentur. Hæc distinctio est commentitia, ἄγεαφ@ & ἀνήγεαφ@, fœtus doctrinæ Semipelagianæ de universali Gratia.

3. *Fœdus* ergo porrò *Gratiæ*, ut maximè promiscuè in Mundo Hominibus annuncietur, tamen propriè, & secundùm Dei salvantis intentionem, pertinet ad solos electos & credentes. *Cap. III. 22. & X. v. 11. &c.* quod etiam ipsa prima promissio Adamo post lapsum facta insinuavit, quando *Semen Mulieris*, Christus nimirum, cum suis ab ipso salvandis, discernitur à *Serpente ejusq; semine*, id est, Diabolo & filiis ejus, scil. reprobis.

4. Ad *Fœdus* hoc *gratiæ* pertinent non solùm fideles Parentes, sed & eorundem liberi. *Cap. XI. 16. 28.*

5. *Fœdus* hoc non ad instar Fœderis primi Adamici mutabile est, sed firmum, stabile & immutabile, tanquam innixum fundamento immutabili, videl. Gratiæ Dei, merito & sanguine Christi obsignatæ. *Cap. IX. 6. & XI. 1.* Hinc salus ex hoc fœdere est irrevocabilis. *Cap. VIII. v. 31. & seqq.*

II. *In specie Fœdus Gratiæ*, cum Homine post lapsum initum, distinguitur secundùm externam ejus *administrationem*, quæ distinctio non est Generis in Species, sed Subjecti in Accidentia. *Vetus* limitatur & circumscribitur tempore, quod Christi adventum in Mundum antecessit. *Novum* porrigitur à nato Christo usque ad finem *Mundi*. Distinctionis hujus indicium occurrit *Cap. XVI. 25. 26.* ubi mentio fit Evangelii, tanquam *mysterii*, ante Christi adventum à *seculis taciti*, & postea in Novo Testamento patefacti. Vide quæ supra anno-

annotata, *pag. 560. Quæst. 7.* Ita alibi, *Cap. VII. v. 1. & seqq.* & *Cap. III. 19.* distinguitur tempus Pædagogicum & servitutis Legis, à tempore libertatis.

a. *Vetus Fœdus* tres habuit Oeconomiæ & administrationis suæ periodos.

1. *Ab Adamo usq; ad Abrahamum*, quo tempore latiùs fuit sparsum in genere Humano, quàm deinceps: ut maximè Deus in eo suos fœderatos quoque signaverit atque distinxerit à non fœderatis, v. g. Abelem à Cajno, Sethitas à Cainitis. Hoc *tempus* vocatur *Promissionis*, propter promissionem Protoplastis factam post lapsum, quæ initium & fundamentum fuit reparatæ Ecclesiæ, *Gen. 3. 15.* ad quam alluditur *Cap. XVI. 20.* Hoc tempus etiam innuit Apostolus *Cap. V. 13.* ut ostendat, tempus fuisse magnæ ignorantiæ & improbitatis, propter nondum patefactam Legem.

2. *Ab Abrahamo usq; ad Mosen.* Hoc *tempus* dicitur *Fœderis* κατ' ἐξοχὴν, propter expressam mutuæ obligationis rationem. Hoc tempore 1. *Promissio vetus* fuit Abrahamo redintegrata, & *Semen Mulieris* pleniùs explicatum de semine aut Filio olim ex Abrahamo ejusque semine nascituro. Hinc restrictum quoque Fœdus heic fuit ad familiam Abrahæ, cum exclusione Gentium alienigenarum. 2. Accessit *Sacramentum Circumcisionis*, ceu Fœderis gratuiti sigillum. *Cap. IV. 11.*

3. *A Mose usq; ad Christum. Cap. X. 4.* Vocatur *tempus Testamenti*, propter Fœderis testamentariam administrationem, cujus 1. una pars fuit *Legalis*, continens exactionem perfectæ Legis obedientiæ. *Cap. II. 13. & X. 5.* 2. Altera *Evangelica*, quâ inobedientiæ & mortis rei sub umbris, figuris, typis, tum

Sacramentorum, tum Sacrificiorum, vocati sunt ad fidem venturi Christi. *Cap. IX. 4.5.*

Fœdus hoc fuit *infantiæ* populi Israëlitici, *Gal. 4.1. 2.3.* hinc *Pædagogia legalis*, cujus jam ante facta mentio. Apostolus eò respexit, quum Mosis Legislatoris fecit mentionem, cum justitia Legali, quam requisivit à populo, *Cap. X. 5.*

β. NOVUM *Fœdus* est temporis novissimi, à Christo ipsomet in carne exhibito promulgatum, sanguine ejus proprio sancitum, admirabili spiritus S. effusione in Zion confirmatum, & tandem Vrbis Hierosolymæ, Templi totiusque Mosaicæ politiæ sepulturâ consummatum. Atque hoc tempus est *tempus τοῦ πληρώματος, consummationis. Gal. 4. 4.* Hinc quoque *Fœdus* vocatur *æternum* & perfectum, nullius alterius fœderis successione, sicuti cum veteri fœdere factum est, antiquandum. *Heb. 8. v. 6. & seqq.*

Ex his potest jam colligi, quid sentiendū veniat de utriusque, *veteris* ac *novi Fœderis*, tum *Convenientia*, tum *Discrepantia*.

De Convenientia Veteris ac Novi Fœderis.

Vtrumque *Fœdus* substantiâ unum est. Nam

1. Vnus utriusque *Author Deus*, sicut quoque nuper de Lege & Evangelio dictum. Hinc Deus *unus* dicitur *Judæorum & Gentium. Cap. III. 29.*

2. Vnus utriusque Fœderis *Mediator*, CHRISTVS. Patet ex eo, quòd Abraham per fidem in Christum absque operibus Legis dicatur fuisse justificatus & salvatus. *Cap. IV.* Quamvis autem *Cap. X. v. 4. &c.* Moses tanquam Legislator distinguatur à Christo, imò in Justificationis negotio eidem opponatur: id tamen fit certo tantùm cum respectu. Quà enim Moses, cum legali sua justitia, consideratur seorsum à Christo, uti quidem Judæi consideraverant, Mosen à Christo, Legem ab Evangelio separantes, hincque ex Lege propriam suam justitiam

tiam constituere studentes, *Cap. X. 3.* eatenus Moses est totus Christo contrarius: quia Hominem per Legem accusat, judicat, damnat; cùm Christus absolvat. Quà verò consideratur Moses cum Lege in ordine ad finem à Deo in prima νομοθεσία intentum: ordinatus est, tanquam servus Christi & pædagogus ad ipsum. *Cap. X. 4.* Rigidè enim obedientiam perfectam Legis exigendo, hinc accusando & condemnando, compellit Hominem ad quærendum alibi extra Legem & seipsum, tanquam Legis prævaricatorem, remedium miseriæ suæ, videlicet in CHRISTO, idque ductu Exangelii; per quod Homini innotescit, in & à Christo Legi Mosis loco & bono nostro plenissimè esse satisfactum.

3. Vnus est *Spiritus S.* utriusque *Fœderis arrhabo.* Patet exemplo Prophetarum Veteris Testam. qui Spiritu Dei acti Evangelium, id est, Evangelicarum promissionum complementum, olim promiserunt. *Cap. I. 2. & III. 21. & XVI. 26.* Sic *1. Pet. 1. 11.* Quod objici posset ex *Cap. VIII. 15.* de *Spiritu servitutis* in Veteri, & *Spiritu adoptionis* in Novo Testam. id supra in *Analysi* & annexis *Quæstionibus* ad hunc locum satis fuit explicatum. 1. *Spiritus* ille *servitutis* non est restringendus ad Judæos, Legis justitiarios, sed ad omnes irregenitos, etiã gentiles, quales fuerant Rom. ante conversionem. Hinc Apostolus ad jam cõversos scribit *eos non accepisse Spiritũ servitutis rursus ad metũ*, qualem scil. habuerant priùs ante fidẽ & patefactionem Evangelii. 2. S. *Spiritus* ille *servitutis* quoq; de Lege Mosis sit accipiendus: Lex cum consideranda fuerit sensu Judaico, sive sub conceptu *abstracto* à Christi gratia: non vero *concreto*, sive in σχέσει & relatione ad Christum, juxta Dei Legislatoris intentionem & scopum. 3. Quis verò dicat, Vetus Testam. habuisse tantùm Spiritum servitutis ad metum? An enim Sancti Patres olim caruerunt Spiritu adoptionis? Cur ergo vocantur *Filii Dei, Gen. 6. 2.* Cur Deum invocarunt Abba, Patrem? *Jes. 63. 16.*

4. Eædem utriusque *Fœderis* sunt *promissiones principales*, videl. CHRISTVS cum suis meritis & beneficiis. *Exemp.* Abrahami,

hami, *Cap. IV.* Fundamentum enim Fœderis & promissionis fœderatis fuit *Christus*, communio scil. ejus gratiæ & gloriæ. Patet, quia Apostolus dicto loco non alia ratione nos nunc in Novo Testam. justificari pronunciat, atque olim Abrahamum in Vet. Test. Ideò etiam ipsum vocat *Patrem omnium credentium*, non solùm ex Judæis, sed & Gentibus, *v. 11. 12. 16. 17. 18.*

5. Ejusdem *Fidei & Obedientiæ obligatio* occurrit in utroque *Fœdere*, vetere & novo. 1. De *Fide* eadem, exempl. Abrahami, *Cap. IV. v. 3. 9. 13.* & *Cap. III. 22.* Secus nemo in Veteri Test. fuisset salvatus, quia periissent omnes; cùm salus & justitia contingat tantùm ex fide. *Ibid. v. 21, 23.* 2. De *obedientia* eâdem. Ita enim Deus voluit Judæos in veteri Test. esse sub Lege, ut nolit tamen fideles in Novo Testam. vivere ἀνόμως, absque Lege; sed, tanquam gratiâ Evangelii adjutos, sequi ductum Legis, in vita rectè secundùm Dei voluntatem instituendâ. *Cap. VI. 14. 15. &c.* & *Cap. XII. 1.*

De Discrepantia Veteris & Novi Fœderis.

Ea, ut dixi, non est οὐσιώδης, sed tantū περιστατικὴ & *accidentalis.*

1. *Veteris* λειτουργὸς fuit *Moses*, Servus; & Sacerdotium vetus Leviticum. *Novi*, *Christus*, filius in domo Dei & Dominus, in carne patefactus. Id patet ex jam dictis.

2. In *Veteri* Christus fuit *promissus* & *exhibendus*: in *Novo* jam *præstitus* & *exhibitus* est. *Cap. I. 2. 3. & XVI. 26.*

3. *Vetus* fuit restrictum ad populum Judaicum. *Cap. III. 1. 2. & IX. 4. 5. & XV. 8.* *Novum* Catholicum est, Gentibus cum Judæis commune. *Cap. I. 14, 15, 16. & III. 29, 30. & IV. 9. 12. & IX. 24. 25. 26. & X. 11. 13. & XI. 32. & XV. 9. — 12. 16. 18. &c. & XVI. 25. 26.*

4. *Vetus* continuit rigorosam & exactam Legis obedientiam, qualis decebat populum, tanquam hæredem parvulum & infantulum sub Pædagogo, cujus conditio non differt à Servi conditione, *Gal. 4. 1. 2. 3.* In *Novo* fideles, adultorum instar, sunt ab hac pædagogia & servitute liberati. *Cap. VII. 6.*

5. Pro-

5. Promissiones *Veteris* fœderis inclusa habuerunt certa & specialia terrena bona, tanquam pignora spiritualium & cœlestium, ut quum Abrahamo promissus fuit Filius ex Sara effœta & sterili, multiplicatio seminis ejus, & hæreditas terræ Canaan, *Cap. IV. v. 19. & 13.*

6. *Veteris* alia, alia *Novi* signa Sacramentalia, *in re tamen, quæ significatur, paria.* August. *26. in Joh.* Hinc Apostolus *Cap. IV. v. 11.* mentionem facit *Circumcisionis*, quam Deus fœderi cum Abrahamo inito appendit, quæ nunc in Novo fœdere exolevit: & tamen de eâdem *Circumcisione* dicit, quòd fuerit *sigillum justitiæ fidei*, quæ eadem est res significata Sacramentorum Novi Test.

7. *Vetus Fœdus* fuit obscurius, involutum umbris, figuris & typis rerum futurarum: *Novum* longè clarius, umbris exemptum, deducens in rem præstitam atque præsentem. Quò respicit Apostolus *Cap. XVI. 25. 26.*

8. Gratia *Veteris Fœderis* fuit admodùm modica, mensuræ tenuis atque accisæ. At gratia *Novi fœderis* est longè abundantior & locupletior, quia non solùm uti dictum, dimanavit & diffusa est ad Gentes: sed in abundanti mensura fidelibus administratur. Exempl. Romanorum, *Cap. I. 8. & XV. 14. & XVI. 19.* & quidem Gentibus præ Judæis, *Cap. XI. v. 12.*

9. *Vetus Fœdus* fuit temporarium: *Novum* statum est atque perpetuum. *Rat.* quia in Novo fœdere habemus complementum omnium promissionum Veteris Fœderis. *Cap. I. 2. & XVI. 26.*

Hactenùs de *Institutione Fœderis Gratiæ.*
Sequitur

De Confirmatione
Fœderis Gratiæ.

Confirmatio hæc facta est per Christum Mediatorem, qui propterea *Angelus Fœderis* vocatur *Mal. 3. 1.*

Gggg

non tantùm quia hujus Fœderis fuit *nuncius* & preco, sed quia ejusdem quoque fuit *procurator*. Heic autem diligenter distinguendum venit inter *propositum* Fœderis, & propositi *exequutionem*. Fœderis *propositum* nullam habuit causam extra Deum, sed pependit ab ejusdem mera εὐδοκίᾳ. hinc Christus ipse, quà Mediator, huic proposito *subest* & subordinatur. Ast, si *executionem* spectes, Christus, quà Mediator, tanquam causa & author ei *praeest*, quia ipse suo merito procuravit, ut Deus in tempore actu ipso fœdus nobiscum iniret, quod Christus quoque sanguine suo confirmavit. Heic ergo agendum venit de CHRISTI MEDIATORIS tum PERSONA, tum OFFICIO.

I. PERSONAM Mediatoris quod attinet, est ea ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΣ, id est, *Deus & Homo in unitate Personæ*.

α. *Divinitas* Christi jam supra in loco de Personis S.S. Trinitatis ex hac Epistola fuit demonstrata.

β. *Humanitatem* Christi quod attinet, Christus Filius Dei, factus fuit,

1. *Verus Homo*, non σχηματικῶς, ut Marcionitæ somniant, sed ὄντως ἀληθῶς, οὐσιωδῶς. Hinc *Caro* ei tribuitur & *sanguis*. *Cap. I. 3. & III. 25. & V. 9.* Mors item, *Cap. V. 6. 8. 10. & VI. 3. &c.* Redemptio item nostra & reconciliatio cum Deo, quæ non potuit nisi in vera natura Humana præstari. *Cap. III. 24. 25. & V. 10. 11.* Hinc tandem Christus ceu verus Homo, à quo omnia salutis nostræ beneficia dimanant, confertur cum uno vero Homine Adamo, peccati, mortis & exitii authore *Cap. V. v. 10. 15. & seqq.*
2. *Perfectus Homo*, corpore & anima constans. Hinc obedientia ei tribuitur, per quam se volens pro nobis voluntati Patris subjecit. *Rom. V. 19. 21.*
3. *Homo ex Homine*, id est, ex Humana substantia, carne & sanguine. Dicitur enim *factus ex semine Da-*

vidis,

vidis, Cap. I. 3. videl. ex Maria Virgine, Davidis Filia, juxta promissiones veteres *Gen. 3. 15. 2. Sam. 7. 12.* Hinc etiam dicitur *primogenitus inter multos Fratres. Cap. VIII. 29.*

4. *Homo in servi forma*, sive, *in similitudine carnis peccati, Cap. VIII. 3.*
5. *Homo purus*, sanctus, justus, ἀναμάρτητος. Hinc opponitur primo Adamo, tanquam peccatori, *Cap. V. v. 12. & seqq.*

γ. *Vnio* denique *duarum Naturarum* in Christo facta est per ἐνσάρκωσιν seu incarnationem τοῦ λόγου, *Joh. 1. 14* per quam Natura Humana assumpta est in unitatem non Naturæ Divinæ; sic enim tota Trinitas incarnata fuisset, & in Christo non duas sed unam tantùm haberemus Naturam: sed Personæ, videl. Filii Dei. Unde vocatur *Vnio* ὑποστατικὴ: quia Humana natura, in se ἀνυπόστατος, facta est ἐνυπόστατος ἐν λόγῳ, *manente τῷ λόγῳ quod erat, & tamen facto quod non erat.* August. Atque heic seq. observanda occurrunt.

1. Quòd in Christo sint quidem duæ Naturæ, non tamen duæ Personæ: sicut è contrario in Divinitate sunt tres Personę, nec tamen tres essentiæ. Hinc Christus θεάνθρωπος unus est. *Cap. I. 3, 4.*
2. Quod in hac Vnione distinctæ inter se maneant duæ Naturæ secundùm suas essentias & proprietates. Hanc distinctionem Apostolus iterùm insinuat. *Cap. I. 2, 3.* dum *Carnis Christi & Spiritus sanctitatis*, sive Divinitatis ejus, facit distinctam mentionem; & aliud Christo attribuit secundùm Humanam, aliud secundum Divinam naturam.
3. Quòd nihilominus personaliter unitæ & in æternum inseparabiles maneant, juxta Synodi Calcedonensis pronunciatum, quo Vnio Naturarum dicitur facta ἀσυγχύτως καὶ ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρί-

ςως: *in confusè, inconvertibiliter, indivisè & inseparabiliter:* contra furores & errores Eutychianorum & Nestorianorum, quos hodie, quà imprudenter, quà impudenter, ex cineribus refodiunt, qui docent, Christi Humanitatem, per Vnionem personalem cum Divinitate, factam esse omnipotentem & omnipræsentem.

4. Ex hac prædicta *Vnione personali* resultat modus ille loquutionum de Christo, quem vocare solent τρόπον τῆς κοινωνίας τῶν ἰδιωμάτων, *communicationem idiomatum.* Damascenus vocat τρόπον τῆς ἀντιδόσεως. *Lib. 3. de Fide Orthod. Cap. 4.* quo nomine non intelligitur transfusio proprietatum Divinitatis in Humanitatem, quæ tota fictitia est, Vnionem tollit, & exæquationem adeoque κρᾶσιν, confusionem duarum Naturarum importat. Sed intelligitur modus ille prædicationum de Christo, quâ propter duarum Naturarum in unam Personam veram & realem unionem & coalitionem;

α. De tota Persona prædicantur uniuscujusq; Naturæ propria, ut quum Christus dicitur pro impiis mortuus esse, *Cap. V. 6. 8.* quod ei competit non secundùm Divinitatem, sed Humanitatem. *1. Petr. 3. 18.* itemque resuscitatus ex mortuis, *Cap. VI. 4. & VIII. 34.* quum vice versa idem Christus Filius Dei vocatur, *Cap. I. 2. 3.* quòd propriè ei competit secundum Divinitatem, non Humanitatem.

β. De Persona ab una Natura denominata prędicantur ea, quæ propriè ei competunt secundùm alteram naturā. Vt quum *Filius Dei factus esse* dicitur *ex semine Davidis, Cap. I. 3.* quum item *Filius Dei mortuus fuisse* dicitur, *Cap. V. 10.*

II. OFFI-

II. *OFFICIUM* Christi quod attinet est illud *MEDIATORIUM*, de quo *in genere* seqq. tenenda.

1. Quòd Mediatore opus fuerit inter nos & Deum, ad Fœdus inter nos utrosque firmandum. *Rat.* quia naturâ omnes Homines sunt peccatores, hinc iræ Dei & condemnationi æternæ obnoxii, quod Apostolus tribus *Cap. I. II. & III.* fusè, exemplo tum Gentium tum Judæorum, probatum dat.

2. Quòd Filius Dei sit ille Mediator, qui nos peccatores cùm Deo, tanquam parte offensa, reconciliaverit, & quidem per λύτρον sanguinis sui proprii, *Cap. III. 24, 25. & V. 10. & VIII.* 3. Hinc ipsi soli passim in hac Epistola nomina tribuuntur *JESU CHRISTI*, quæ sunt σημαντικὰ Officii ejus Mediatorii, quia *JESUS, Salvatorem, CHRISTUS Unctum*, scil. Mediatorem, significat. Hinc pacem quoque Apostolus Romanis precatur à Christo. *Cap. I.* 7. tanquam à *Pacificatore.*

3. Quòd Christus sit Mediator unicus ac solus, adeóque perfectus, neminem penes aut infra se socium habens aut admittens in opere Mediationis. Hinc passim in hac Epistola ad unicam Redemptionem & reconciliationem nostri cum Deo per Christum factam revocamur, ut patet ex locis jam citatis. Expressè verò *Cap. V. v. 15. & seqq. uni Adamo*, generis Humani perditori opponitur *unus ille Homo J. Christus*, tanquam ejusdem Reparator, & quidem longè majore cum fœnore bonorum procuratorum, quàm per Adamum amissorum.

Ut quid ergo Pontificii Christo in opere Mediationis associant Mariam Virginem & Sanctos defunctos? Distinguere solent inter *Mediatorem Redemptionis* & *Intercessionis*: quasi ista duo possent à se invicem divelli, & distribui inter diversos Mediatores: cùm Paulus uni

Christo tribuat utramque. *Cap.VIII.32.& Heb.7.24.25.* imò Christus ipse utramque conjungat, *Joh.17.19.20.* Nunquid ex propitiatione fluit impetratio? imò impetratio suum valorem & efficaciam accipit ab oratione & precibus? unde Græci utuntur verbo ἱλάσκειν, quo utraque significatur.

In specie jam agendum venit de Officii Christi Mediatorii tum *Partibus* tum *Administratione.*

A. *Partes* quod attinet, comprehendit in se *officium*

1. *Propheticum*, quo non solùm Christus defunctus est semel in terris, Evangelium annunciando: unde vocatur quoque *Evangelium Christi*, & Christus, propter prædicatum inter Judæos Evangelium vocatur *Minister circumcisionis, Rom.XV.29, 8.* & postea *Cap.XVI.25. Evangelium* vocatur κήρυγμα, *præconium J. Christi.* Sed & eodem Christus etiamnum fungitur in cœlis versans, per institutionem, conservationem, propagationem Ministerii Ecclesiastici & Prædicationis Evangelii, cum annexa interna gratia, virtute & efficacia Spiritus S. tanquam interni ab ipso missi Doctoris, quod Paulus suo exemplo addocet, *Cap.I.5.& XV.15.—19.*
2. *Sacerdotale.* quò pertinet 1. *Satisfactio Christi*, quâ pro nobis Legi satisfecit perfectâ suâ obedientiâ. *Cap.V.19.& VIII.3,4.* nominatim Sacrificium ejus ἱλαστικὸν, pro nobis peractum. *Cap.III.25.& IV.25.& VIII.34.* 2. *Intercessio* ejus pro nobis. *Ibid.*
3. *Regium*, cujus respectu passim in hac Epistola dicitur DOMINUS *noster*; item, *sedere ad dextram Dei. Ibid.*

B. *Administratio Officii Christi Mediatorii* consideranda venit in gemino ejus STATU:

א *Humiliationis.* Quò pertinet

1. *Incar-*

1. *Incarnatio*, sive assumptio Humanæ naturæ, & quidem in servil *forma*, de qua jam supra actum. *Cap. I. 3. & VIII. 3.*
2. *Subjectio sub Legem*, ad obedientiam ei nostro loco præstandam. *Ibid.*
3. *Passiones totius* vitæ, inprimis in ultima Tragœdia. *Cap. VIII. 17.*
4. *Mors.* Indicatur Mortis Christi
   - *Causa efficiens*, Deus Pater. *Cap. VIII. 32.* sed & Filius ipse, *Cap. V. 6.*
   - *Causa* προηγουμένη, Dei & Christi amor. *Ibid. v. 6, 7, 8.*
   - *Causa procatarctica*, nostra peccata. *Cap. IV. 24. & VIII. 3.*
   - *Objectum*: Homines, naturâ peccatores. *Ibid.* ex gratia electi à Deo. *Cap. VIII. 33. 34.*
   - *Forma*, modus: Crucifixio. *Cap. VI. 6.*
   - *Finis*: ad abolendum peccatum. *Cap. III. 25. & IV. 25. & VI. 10. & VIII. 3.* ad iram Dei placandam & nos Deo reconciliandos. *Cap. V. 10.* ad avertendam à nobis condemnationem. *Cap. VIII. 34.*
5. *Sepultura. Cap. VI. 4.*
6. *Descensus ad Inferos. Cap. X. 7.*

2 *Exaltationis.* Quò pertinet

1. *Resurrectio* ex mortuis. Cujus
   - *Causa efficiens*, Deus Pater. *Cap. V. 24. & VI. 4. & VIII. 11.* Filius ipse. *Cap. I. 4.*
   - *Finis*, respectu 1. *Christi*: patefactio Divinitatis ejus. *Ibid.* vita ejus æterna. *Cap. VI. 9, 10.* 2. *Nostri*: Salus nostra. *Cap. V. 10.* Justitia nostra *Cap. IV. 25.* Sanctificatio & spiritualis vivificatio. *Cap. VI. 4.—7.* Glorificatio. *Cap. VI. 8. & VIII. 11.*
2. *Ascensio in Cælum. Cap. X. 6.*

3. Sessio

3. *Sessio ad dextram Dei. Cap. VIII. 34.*
4. *Reditus* gloriosus *ad Judicium. Cap. II. 16.*

Hactenus *de Confirmatione Fœderis Gratiæ.* Sequitur

DE COMMUNIONE *sive* PARTICIPATIONE *Fœderis Gratiæ.*

Hæc partim est *INTERNA*, partim *EXTERNA*, quæ fit per externa media & adminicula.

DE INTERNA *Communione Fœderis Gratiæ, adeoq; CHRISTI ejusq; Meritorum ac beneficiorum.*

INTERNA fit per nostram internam cum *CHRISTO VNIONEM*, cujus consideranda veniunt *Natura*, *Media* & *Effecta*.

א. Quoad *NATVRAM*, Vnio hæc est substantialis, per quam Christo verè ita in corporamur, ut fiamus caro ex carne ejus & os ex ossibus ipsius, *Eph. 5.30.* atque vitam spiritualem ex ipsius substantia trahamus. *Cap. VI. 11.* Hinc Apostolus eam comparat ἐμφυτεύσει, *ibid. v. 5.* & insitioni ramorum in oleam, *Cap. XI. 17.* Vnioni item corporis ejusque membrorum cum Capite. *Cap. XII. 4, 5.*

Nec tamen ea *corporalis* est, consistens tantùm in unitate specifica naturæ Christi Humanæ nobiscum: sic enim omnes omninò Homines in Vnione Christi salvifica versarentur. multo minùs in corporali inhabitatione Humanitatis Christi in nostris corporibus, quod delirium peperit figmentum de corporali Christi in pane Eucharistico præsentia & orali manducatione. Sed *spiritualis* est, ideoque *mystica* dicta, quia fit per vinculum Spiritus S. quem Christus tanquam Caput diffundit in nos ceu membra sua, & per eundem nos vitæ suæ spiritualis

ritualis facit participes: *Cap. VIII. 9. 11.* sicut etiam membra Corporis Humani per unum vivificantem Spiritum inter se & cum Capite colligantur, & mutuas sibi operas præstant, *Cap. XII. 6.* etiamsi Caput & membra locis inter se distent, nec unum alteri corporaliter inhæreat.

2 *Media* quod attinet; considerandа ea veniunt à parte tum *Dei*, tum *Nostri*.

α. A *Dei* parte est *Vocatio* nostra. Sed heic notandum, geminam esse vocationem; *externam* & *inefficacem*; *internam* itèm & *efficacem*.

Externa fit per extrinsecam prædicationem Evangelii. *Cap. X. 14.* de qua seqq. tenenda.

1. *Vocationem hanc* communem esse reprobis cum electis, quia contingit etiam non-credentibus. *Ibid. v. 16.*
2. Nec tamē contingit omnibus reprobis. Gentilibus olim fuit denegata, quos Deus Verbi sui preconio non fuit dignatus. *Cap. XVI. 25.* Ac licèt in Novo Testam. Verbum Evangelii fuerit dilatatum in totum Orbem, quò respicitur *Cap. X. 18.* id tamen non simpliciter citra omnem temporis, locorum, & personarum exceptionem accipiendum: cùm experientia militaverit & militet in contrarium.
3. *Externæ Vocationi* reproborum non rarò conjuncta est interna quoq; aliqua ejusdem efficacia in illuminatione mentis, cum superficiaria vitæ ac morum mutatione, qualis in προσκαίροις hypocritis observari solet, & quales Apostolus depingit Judæos. *Cap. II. 17. &c.*
4. *Vocatio Externa* mutabilis est, respectu tum *Dei*, quando is Verbum suum aufert ab ingratis, incredulis & impœnitentibus: tum *Ho-*

minum, quando vel vocationi Dei resistunt, per Evangelii abjectionem & contemptum, quales Judæi, *Cap.XI.20.* vel ab Evangelio antè acceptato & confesso iterùm resiliunt, quales sunt Apostatæ.

5. Hinc tandem *Vocatio* hæc *externa* servit tantùm reproborum τῇ ἀναπολογίᾳ & graviori condemnationi. *Cap. II. 4, 5.* quod Apostolus quoque addocet exemplo Gentium per lumen naturæ vocatarum. *Cap. I. 19, 20.*

Interna Vocatio conjunctam habet efficaciam & virtutem Spiritus S. ad vocatorum non solùm illuminationem, sed & conversionem & sanctificationem, quando cum & per Verbum ipsis prædicatum donantur simul fide justificante & salvifica. De hac *Vocatione* occurrunt observanda seqq.

1. *Vocationis* hujus Author est Deus. *Cap. VIII. 30.* & *Cap. IX. 11.*
2. Originem trahit ex Dei dilectione & electione gratuita. *Cap. I. 7. & VIII. 28. & IX. 24.*
3. Itaque *Vocationem* Dei nostramq; conversionem non prævenimus, sed à Deo vocante prævenimur. *Cap. IV. 17. & IX. 11. & X. 20. & XV. 21.*
4. Hinc exercetur quoq; à Deo liberè & ἀπροσωπολήπτως, illuminante & convertente quos vult, prætereunte & negligente, quos vult. *Cap. IX. 18. & XVI. 10, 11.*
5. *Vocatio hæc* non insonat tantùm auribus, sed & mentibus & cordibus electorum vocatorum. Per eam enim donantur Spiritu S. *Cap. VIII. 15.* per quem illuminantur cognitione Dei salutari, *Cap. X. 19, 20.* transformantur & renovantur. *Cap. XII. 2.*

6. Ca-

6. Cadit quidem ea in resistentes initio; *Cap.X.21.* ita tamen, ut per eam omnis resistentia tollatur, & corda Vocatorum ad obsequium Evangelii flectantur, qui ex nolentibus fiunt volentes. *Ibid.v 19,20. & XI.7. & 30. & XV.21. & XVI.26.*

7. *Vocatio hæc* est ἀμεταμέλητος, id est, donum Dei perenne, quo electi nunquam totaliter & finaliter destituuntur. *Cap.XI.29.*

β. A' *Nostra* parte est *Fides*, non illa *historica* tantùm, quæ Hominibus cum Dæmonibus communis est, *Jac.2.19.* neque πρόσκαιρος, consistens tantùm in illuminatione mentis, & superficiaria minimè radicata mutatione cordis, qualis cadit in multos reprobos, *Matth.13.21.* sed *justificans* & *salvifica*, *Cap.X.10.* de qua tenenda veniunt seqq.

1. *Fidem* esse donum Dei gratuitum, non simul fructum liberi Hominis arbitrii. *Cap.IX.16.* & *X.14.&c. & XI.29,30,31.*
2. Contingere per vocationem, prædicationem & auditum Evangelii. *Cap.X.14,17.*
3. Nec tamen omnibus externè vocatis donari, sed solis electis. *Cap.VIII.30. & XI.7. & XVI.10,11.*
4. *Fidem* non tantùm consistere in γνώσει & ἐπιγνώσει Verbi Dei, sed principaliter in πληροφορίᾳ promissionum Evangelii. *Exemp.* Abrahami, *Cap. IV. 19,20,21.* adeoque in fiducia adoptionis per testimonium Spiritus S. *Cap.VIII.14,15.* charitatis Dei permanentis, *Ibid.35,&c.* hinc hæreditatis cœlestis, *Ibid.17,23.*
5. *Fidem* hanc *justificantem* non penitùs posse amitti. *Cap.I.16. & X.9,10,11. & XI.29.* utut gravibus tentationibus concutiatur. *Cap.IV.20.*
6. *Fidem* hanc esse mensuram omnis boni operis. *Cap.XIV.23.*

7. Eandem non posse nec debere à *Confessione oris* divelli. *Cap.X.9,10.*

Adjunctum Fidei est SPES, *quæ* nihil est aliud, quàm fiducia corroborata. *Cap.V.2,4.& XII.12.* Hinc salus quoque ei asscribitur, *Cap.VIII.24.*

Effectum & præcipuum *Fidei* exercitium est ORATIO. Monemur heic de seqq.

1. *Orationem* esse opus Spiritus Sancti in nobis. *Cap. VIII.26.*
2. *Orationem* ex Fide proficisci. *Cap.X.13,14.*
3. *Orationem* esse inter præcipua fidelium arma contra tentationes & afflictiones. *Cap.VIII.26.& XV.30.*
4. *Orandum* esse: α. pro *fidelibus*. *Exemp.*Pauli; *Cap.I. 10.& XV.5.* in specie pro *Ministris Verbi*. *Cap.XV.30.&c.* β. pro *infidelibus* etiam, *Cap.X.1.* γ. pro *inimicis*. *Cap.XII.14.*
5. *Orandum* esse jugiter & perseveranter. *Cap.I.10.& XII.12.*

3. EFFECTA tandem quod attinet *mysticæ* nostræ *cum Christo Vnionis*, considerari ea possunt respectu habito partim ad *Deum*, partim ad *Nos*.

A. Quæ DEVM respiciunt sunt *Beneficia Christi*, ex ejus Vnione ad nos redundantia. Inter ea occurrit

I. JVSTIFICATIO, de qua jam supra in Analysi plenius actum. Nunc paucis rememoranda seqq.

1. Justificationis *causa principalis* est solus Deus. *Cap. III.26.& VIII.33.*
2. *Causa* ejus προηγουμένη est sola Dei gratia. *Cap.III. 24.* non opera ulla & merita Humana, quæ in Justificationis negotio cum gratia Dei conciliari non possunt. *Cap.XI.v.6.& 35.*
3. *Causa procatarctica* est CHRISTVS cum suo merito & satisfactione plenissima. *Cap.III.24,25.& V.9,10.& VIII.34.*

4. Cau-

4. *Causa instrumentalis* Justificationis est sola Fides in Christum. Hinc Paulus passim in hac Epistola dicit, nos justificari *ἐκ πίστεως, τῇ πίστει, διὰ τῆς πίστεως, ex fide, fide, per fidem*; nullibi autem *διὰ τὴν πίστιν, propter fidem*: ut significet, fidem justificantem non esse propriè loquendo justitiam, quâ justificamur, sed ejus apprehendendæ organum. *Cap.I.17.& III.12,22;27;28.& IV.3,5;9,13;22,23,24.*

5. *Materia ex qua* nostræ Justificationis, sive *Res* illa, quâ coram Deo justificamur, non est nostra, sive demum à nobis, sive in nobis inhærens justitia. *Cap.I.17.& III.22.* Hinc non ex Lege & operibus. *Cap III.20,21;27,28.& IV.6,7,8. Ibid.v.2.* exempl. Abrahami. Itaque Justitia est tantùm extra nos in CHRISTO *Cap.V.19.* cùm in ipso solo habeamus Legis complementum. *Cap.VIII.2,3,4. & X.4,5,6,7.* nobis autem à Deo gratiose per fidem imputata. *Cap.IV.vers.3. & seqq.*

6. *Materia circa quam* sive *Subjectum* Justificationis sunt soli Electi credentes. *Cap.VIII.30,33.*

7. *Forma* Justificationis consistit partim in *Remissione peccatorum*, *Cap.III.25.& IV.7.* partim in *Imputatione Justitiæ Christi. Cap.IV.5,6,11.& V.16,17,19.* quæ quidem beneficia, ex necessitate gratiosæ ordinationis Divinæ sunt sibi invicem mutuò consequutiva, ut posito & probato uno, ponatur & probetur quoque alterum, *Cap.IV.6,7,8.* formaliter autem sunt à se invicem distincta, adeo ut Imputatio justitiæ plus dicat in Dei judicio, quàm Remissio peccatorum, *Cap.V.v.9.& seqq.* videl. *περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τὴν δωρεὰν τῆς δικαιοσύνης*, *Ibid.vers.17.* quanquam utrumque beneficium concurrat ad unum actum integralem nostræ Justificationis, *Ibid.v.18.*

8. *Finis* Justificationis respectu 1. *Dei* est ἔνδειξις Justitiæ Dei, *Cap.III.26,27. Justitiæ* inquam, tum *vindicatricis* peccatorum nostrorum in Christo, *Cap. VIII.3.* tum *remuneratricis* meriti & satisfactionis Christi in nobis, quæ coincidit cum Dei misericordia. *Cap.III.25.* 2. *Nostri* respectu est salus nostra æterna. *Cap.IV.6,7,8.& V.17,18,21.*

JUSTIFICATIONI nostræ connexum est geminum aliud beneficium ex ea emergens, *Adoptionis* nostræ & *Libertatis Christianæ.*

De ADOPTIONE nostra occurrunt seqq.

1. *Adoptionem* nostram esse merè gratuitam, cùm natura omnes simus Filii iræ. *Cap.III.9---19, 23,24.* à Deo autem facti vasa misericordiæ. *Cap.IX.23.*
2. Christi merito nobis partam. *Ibid.v.24.Cap.VIII.32.* Ideò hoc beneficium dicitur quoque nobis contingere in ipso *Cap.VIII.v.9.* collat.cum *v.14,17,29.*
3. Spiritus S. testimonio veluti sigillo nobis obsignatum. *Ibid.v.15,16.*
4. *Adoptionem* esse solorum electorum. *Ibid.v.29.& IX,7,8.* citra discrimen nationum. *Cap.IX.26.*
5. *Adoptionis* fructum esse Hæreditatem gloriæ cœlestis. *Cap.VIII.17,19,21.23.*
6. *Adoptionis* beneficium esse irrevocabile. *Ibid.33. & seqq.*

De LIBERTATE CHRISTIANA tenenda seqq.

1. Liberos nos esse per Christum à *Peccato,* id est, 1. à culpa, reatu & pœna peccati. *Cap.VI.22,23.& VIII.1.* 2. à *dominio peccati. Cap.VII.12,14.& seqq.* Hinc 3. ab *Ira* quoque *Dei. Cap.V.9.*
2. Liberos nos esse à *Lege Dei. Cap.VI.14.* quoad *Ceremonialem* quidem, à tota ejus observantia, tanquam typica, Veteri Testamento adstricta. Hinc non tenemur ampliùs ad Circumcisionem, *Cap.II. v.26--29.*

v.26--29. nec ad diſcrimen ciborum aut dierum feſtorum. *Cap.XIV.2—6.* Quoad *Moralem* verò, liberi ſumus

α. Ab ipſius *maledictione*, quæ debetur transgreſſoribus. *Cap.VIII.1.* Hanc enim Chriſtus tulit & ſuſtulit noſtro loco & noſtro bono. *Ibid.v.3,4,34.*

β. Ab ipſius *dominio*, quo nos captivos tenuit ad præſtandam perfectam obedientiam, *(Cap.II.13.& X.verſ.5.)* ſub conditione vitæ æternæ conſequendæ. *Cap.VI.verſ.12,22.& VII.verſ.6.*

γ. A' *Pædagogica* ejus *administratione*, in qua populus Iſraëliticus, tanquam infantilis ſub Veteri Teſtam.concluſus erat. Quò accommodari poſſunt loca, *Cap.VII.v.1.&c. VIII.verſ.15.*

δ. Non vero interim liberi ſumus à *Legis obedientia*, & noſtra cum ea conformitate. *Cap.VI.v.15.& ſeqq.* imò libertas à Lege debet nos compellere ad ſervitutem juſtitiæ. *Ibid.v.16.& VII.6.*

3. Liberos nos eſſe à *neceſſitate τῶν ἀδιαφόρων, rerum indifferentium*, ut ne propter earum uſum vel abſtinentiam alius alium judicare & condemnare debeat. *Cap.XII.v.2.& ſeq.* Cavendum interim à libertatis hujus abuſu ad offenſionem & perditionem proximi. *Cap.XIV.13,15,16.* e contrario hic ſtudendũ ædificationi proximi. *Ibid.v.19,20,21.& Cap.XV.2.*

II. SANCTIFICATIO ſeu REGENERATIO, per quam Homo ex corruptione nativa peccati in Statum novæ ipſi inhærentis ſanctitatis & juſtitiæ transfertur, per redintegrationem Imaginis Dei in ipſo. De hoc beneficio notand.

1. Deſtin-

1. Distinctum esse à beneficio *Justificationis*. Hinc Paulus seorsùm quoque de utroque agit: de *Justificatione* quidem *Capp.V.primis*. De *Sanctificatione* autem, *Cap.VI,VII.& ex parte VIII.*

2. Individuo tamen nexu utrumque beneficium conjunctum est, tanquam causa & effectum. *Sanctificatio* enim fluit ex *Justificatione*, ejusque est evidens testimonium. *Cap.VI.toto.*

3. *Sanctificatio* non est in viribus nostris posita, sed opus est solius Spiritus S. in nobis. *Cap.VIII.9,14.* idque morte Christi nobis partum. *Cap.VI.v.4.&c.*

4. *Sanctificatio* est solorum electorum filiorum Dei. *Cap.VIII.14.30.*

5. *Sanctificatio* nostra consistit in mortificatione veteris & vivificatione novi Hominis. *Cap.VI.v.6.& seqq.& VIII.10,11.&c.*

6. *Sanctificatio* nostra non fit simul ac semel, sicuti *Justificatio*; sed sensim, successivè & gradatim. Hinc justificatis opus est quotidiano ejus augmento. Huc pertinent monita Apostolica, *Cap.VI.vers.12.& seqq.& XII.1,2.*

7. Proinde in hac vita nunquam perficitur, sed demùm in morte. *Exemp.* Pauli regeniti, *Cap.VII. v.14.usque ad fin.*

8. Interim regeniti totalem & finalem jacturam hujus beneficii, tanquam gratiâ & virtute Dei custoditi, incurrere non possunt, ut de *Perseverantia sanctorum* usque in finem, non sit dubitandum. *Cap.VIII.29.& seqq.& XI.29.*

9. *Sanctificationis* finis & fructus consequens est vita æterna. *Cap.VI.22.& VIII.13.*

III. *GLORIFICATIO* beneficium est resultans ex Vnione nostra cum Christo, exspectandum demùm in altera vita, complementum nostræ *Sanctificationis*, qua de causa

causa sub uno cum eadem nomine comprehenditur *Cap.VIII.30. Cap.VI.8,9.& VIII.11,17,23.*

Hactenus de Effectis Unionis nostræ cum Christo, quæ DEUM *respiciunt.*

B. Quæ *Nos* respiciunt, ad duo possunt capita revocari, ad *Consolationem Christianam* & *Pœnitentiam.*

I. *Consolatio Christiana* effectus est potissimùm nostræ *Justificationis.* Nam ex ea deducit Apostolus nostram εὐθυμίαν & pacem cum Deo, & gloriationem per spem & expectationem gloriæ Dei, *Cap.V.1,2.* & salutis nostrę certitudinem etiam in gravissimis afflictionibus, tentationibus inprimis iræ Dei & conscientiæ peccatis vulneratæ, & persequutionibus variis præsentis seculi. *Ibid.v.3.4,5.& Cap.VIII.1.* & posteà *v.31.usque ad fin.Cap.*

Neque tamen hæc *Consolatio* importare debet securitatem carnalem. *Cap.XI.18,20,21,22.*

II. *Pœnitentia* fructus est nostræ *Regenerationis* & *Sanctificationis. Cap.VI.v.12.& seqq.& VII.7.*

1. Hinc si vera debeat esse & salutaris, debet ex nostra transformatione & renovatione mentis nostræ proficisci. *Cap.XII.2.*
2. Nec consistit in externis humanis observatiunculis, quibus hypocritæ defungi solent, sed in abstinentia à peccatis Legi Dei contrariis, & vitæ novitate. *Cap.VI.19—22.*
3. Regula itaque ejus non sunt Humanæ traditiones, sed sola Dei voluntas, in Verbo expressa. *Cap.XII.2.*
4. Ad *Pœnitentiam* promovendam pertinet *Tolerantia crucis*, *Cap.XII.12.* quæ potest considerari, partim ut παιδεία propter peccata, *Cap.II.9.* partim ut δοκιμασία, & examen fidei. *Cap.V.3,4.* partim ut γνώρισμα nostræ conformitatis cum Christo, tum

in cruce, *Cap.VIII.verſ.29.* tum in gloria, *Ibid.verſ. 7,18.*

5. Fructus ejus ac finis eſt vita æterna.*Cap.II.7.& VII. 22.& VIII.6.* uti contrà impœnitentiæ fructus eſt exitium & mors æterna. *Cap.II.4,5.& VI.21,23.& VII. 5.& VIII.6,13.*

Hactenus de Internis Mediis Communionis Fœderis Gratiæ & Unionis noſtræ cum CHRISTO.

DE EXTERNIS MEDIIS & ADMINICULIS *Communionis & participationis* FOEDERIS GRATIAE.

Ea ſunt duûm generum, *Eccleſiaſtica*, quò pertinet locus de ECCLESIA: tum *Politica*, quo pertinet locus de MAGISTRATU POLITICO.

DE ECCLESIA.

Sicut olim tempore Diluvii gratia Dei & ſalus fuit alligata Arcæ Noë: ſic Fœdus Dei gratuitum totaque ſalus noſtra alligata eſt ECCLESIAE: illi videl.ſocietati generis Humani, quam Deus per gratioſam vocationem colligit è Mundo ad communionem ſuæ gratiæ & gloriæ. Heic autem ante omnia diſtinctio tenenda inter *Eccleſiam* Dei *univerſalem* & *particularem*.

ECCLESIA UNIVERSALIS, vulgò CATHOLICA dicta, item *Inviſibilis*, quòd nec ſecundum ſe totam, nec ſecundùm genuina ejus membra oculis uſurpari poſſit, 1.Una eſt. *Cap.XII.5.* 2. Nulli certæ nationi, regioni, tempori atque ætati adſtricta, ſed diffuſa per totum Mundum, cujus membra ſunt Credentes omnium temporum, locorum, populorum. *Cap.I.8.& X.11,12,13.* nunc præſertim in Novo Teſt. juxta

juxta *promissionem* Abrahæ factam. *Cap.IV.v.11.& seqq.* aliasque Propheticas, *Cap.IX.25,26,33. & X.18,19,20.* & earum *adimpletionem. Cap.IX.24.30. & XI.11.& seqq. & XVI.25,26.* Imo sub generali hac notione non tantùm *Viatores* in terris, quorum Ecclesia *Militans* dicitur; sed & *Comprehensores* in cœlis indigitantur, quorum Ecclesia *Trivmphans* vocatur.

Ecclesiae Particvlares multæ sunt. *Cap.XVI.16.* distinctæ secundùm loca, tempora, nationes, v.g. *Romana*, ad quam Apostolus hanc Epistolam scripsit; *Hierosolymitana, Cap.XV.25. Græca, Ibid.v.26. Domestica* quoque, *Cap.XVI.v.5.* conjunctæ tamen manent unius fidei & charitatis vinculo, qui scopus quoque fuit salutationũ Apostolicarum, *Cap.XVI.*

De *Ecclesiis particularibus* notandum, quod nunquam sint puræ, sed reprobos electis, hypocritas verè fidelibus permixtos habeant. *Exemp.* domesticarum Ecclesiarum Abrahami & Isaaci, *Cap.IX.v.7.& seqq.* Hinc quoque à dissidiis, schismatibus & scandalis non sunt immunes. *Cap.XVI.17.*

Ecclesiæ particularis consideranda est tum *Constitutio*, tum *Administratio* & *Gubernatio*.

I. Constitutionem ejus & *Naturam* quod attinet, occurrunt tum *Res*, tum *Personæ*.

Res, quæ etiam *Notæ* sunt essentiales veræ Ecclesiæ, sunt

α. *Sana Verbi Dei doctrina*, in Evangelio potissimùm comprehensa. *Cap.I.vers.16.& VI.17.& XVI.v.17.*

β. *Sacramenta*, quæ sunt Doctrinæ appendices & sigilla, de quibus

a. *In genere* tenendum

1. Quod sint sigilla justitiæ fidei. *Exemp.* Circumcision. *Cap.IV.11.*

2. Quòd externa eorum participatio absque interna nihil prosit. *Cap.II.vers.25. & seqq.*

3. Quod non conferant gratiam ex opere operato. *Cap.VI.10,11.*

b. *In specie* distincta occurrunt Sacramenta tum *Veteris*, tum *Novi Testam.* de quibus utrisque tenendum, *quòd in signis*, ut August. loquitur, *diversa*; *in re, quæ significatur, paria sint*; quod Apostolus exemplo tum Circumcisionis, *Cap. IV.* tum Baptismi, *Cap.II.* satis testatum facit.

VETERIS TESTAM. Sacramenta varia fuerunt, ordinaria autem duo tantùm, *Circumcisio* & *Agnus Paschalis.* *CIRCUMCISIONIS* Apostolus expressam facit mentionem, ut per eam distinguat Judæos à Gentibus. De ea offert consideranda. seqq.

1. *Circumcisio* fuit pædagogica in Veteri Testam. tanquam exactoria perfectæ Legis obedientiæ. *Cap.II.v.25.* Sic alibi, *Gal.5.3*

2. *Circumcisio* alia est *externa*, in carne & litera; alia *interna* in Spiritu, *Circumcisio cordis* dicta. *Cap.II.v.28,29.& IV.vers.22.*

3. *Externa* sine *interna* nihil prodest, sed similis est præputio: imo præputium, habens circumcisionem internam, plùs prodest. *Ibid.v.25.&c*

4. Hinc non omnes circumcisi carne fuerunt quoq; circumcisi spiritu. *Ex. Judæi. Ibid.v.17.& seqq.* uti quoque non omnes præputiati carne fuere

exortes.

exortes circumsionis Spiritus & exclusi à salute, v.g. Infantes ante diem octavum mortui, Israëlitæ in deserto, &c.

5. Neque *Circumcisio* contulit olim gratiam Justificationis. *Exemp.* Abrah. qui justificatus fuit per fidem in præputio, ante circumcisionem. *Cap.IV.10.*

6. Itaque fuit sigillum tantùm Justificationis, *Ibid.v.10.* adeoque Sacramentum non per se conferens, sed obsignans Justificationem Circumcisis.

7. Hinc vero etiam colligitur, eam non tantùm fuisse Sacramentum *legale*, ut in aphorismo 1. dictū; sed & *Evangelicum*, σημαντικὸν, scil. & σφραγιστικὸν gratiæ, quâ jam in Veteri Testam. fruebantur fideles, *Ibid.v.12.* videl. Justificationis, Regenerationis & Vnionis in Christo, in quo residet utrumque beneficium.

Novi Testamenti distincta quoque, prioribus in Vet. Testam. tanquam *ἀντίτυπα* respondentia, iidemque succenturiata occurrunt Sacramenta *Baptismi* & *Cœnæ Dominicæ*.

Baptismi Apostolus expresse meminit *Cap.VI.* unde seqq. colligimus.

1. Baptismum successisse Circumcisioni in Novo Test. *Rat. evidentiss.* quia manente eadem *Re Signata*, videl. unione cum Christo & beneficiis ab eo partis, *Cap.VI. v.3--6.* mutata sunt tantùm *signa*, Circumcisione antiquata, & Baptismo substituto. Vide supra *pag.601.num.6.*

2. *Baptismus* est Sacramentum initiationis, per quod fideles Christo inseruntur. Hinc

baptizati dicuntur *in CHRISTUM JESUM baptizati, Cap. VI.3.* id est in communionem cum Christo, perinde, ut alibi dicuntur *Christum per Baptismum induisse, Gal.3.v.27.*

3. Hinc quoque *Baptismus* signaculum est beneficiorum à Christo partorum, quorum non nisi in ipso possumus fieri participes, ex.gr.

Redemptionis, morte Christi partæ. Hinc dicimur *in mortem ejus baptizati. Cap. VI.vers.3.*

Justificationis ac *Remissionis peccatorum.* Hoc sensu *Baptismus* est *sigillum justitiæ fidei*, prout quoque de *Circumcisione*, tanquam ejus antitypo, dictū fuerat *Cap.IV.11*

Regenerationis, in mortificatione ac sepultura Veteris & in Vivificatione novi Hominis, *Cap.VI.3--6.*

Glorificationis & *Resurrectionis* futuræ. *Ibid. v.8,9.& Cap.VIII.11.*

4. Quia vero horum beneficiorum non omnes, qui aquâ baptizantur, fiunt participes, idcircò hinc patet, distinguendum esse inter *Baptismum*, ut vocant, *fluminis* & *flaminis*, id est, in eodem Baptismo inter ablutionem externam corporis, & aspersionem sanguinis *(1.Pet.1.2.)* Christi & Spiritûs in anima, quam Petrus disertè innuit *1.Pet.3.21.* quam distinctionem Apostolus quoque observaverat in Circumcisione, *Cap.II.v.25.&c.*

5. Hinc quoque patet, distinguendum esse inter

inter externam in Christum insitionem, cujus etiam fiunt participes reprobi & infideles, quando, mediante Baptismo aquæ, corpori Ecclesiæ agglutinantur: & internam insitionem, quæ fit per fidem, *Gal.3. v.26,27. Eph.3.17.* quam distinctionem quoque Apostolus *Cap.XI.17.* voce ἐκκεντρίσεως insinuavit, indicans, Gentes loco Judæorum incredulorum ex Olea effractorum, in eam insitas esse, id est, externo Ecclesiæ corpori, à quo antiquitus abalienatæ fuerant, *Eph.2.12.* aggregatas fuisse.

Coenam Domini quod attinet, ejus expressa nulla fit mentio in hac Epistola. *Signatum* tamen ejus, videl. nostram cum Christo communionem, quæ in S. Cœna symbolis externis Panis & Vini benedicti adumbratur & obsignatur, *1.Cor.10.v.16.* Apostolus satis dilucide explicat, ostendens, quæ nam & qualis sit hæc *Communio*, non *Corporalis*, ad quam requiratur corporalis Carnis manducatio, reprobis cum electis, infidelibus cum fidelibus communis, uti hactenùs carnales Doctores contenderunt: sed *spiritualis*, quæ fiat per Spiritum S. & fidem, *Cap.VIII.v.9.* cujus effectum sit gratiosa & gloriosa Hominis vivificatio, *Ibid.v.10,11.*

Hactenus de Rebus ad Naturam & Constitutionem Ecclesiæ pertinentibus.

Personae, quarum interventu & ministerio Deus utitur ad Ecclesiam suam in his terris constituendam, conservan-

servandam & propagandam, sunt potissimum *MINISTRI VERBI*, quorum considerandа venit.

I. Necessitas. Posset quidem Deus vel per Angelos, vel etiam immediatè, per internas suggestiones suum heic opus exequi; sed, attemperans sese infirmitati nostræ, mavult Hominum nobis familiarium ministerio uti, ad explorandam simul quoque nostram obedientiam & ordinis à se instituti reverentiam & observantiam. Itaque per eorum externum ministerium, cui nos vult esse cum submissione obedientes, vult in nobis operari resipiscentiam, fidem, salutem, *Cap.I.16.& X.14,15.*

II. Officium. Id consistit in predicatione Evangelii atque annexa λειτουργίᾳ Sacramentorum. *Ex.* Apostoli. *Cap.I.1. & XV.15,16.* ubi Apostolus se, tanquam *ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ* comparat Sacerdotibus Vet. Testam. qui videl. Gentes per prædicationem Evangelii mactet Deo in acceptam hostiam. de quo videantur suprà plura in Analysi, *pag.516,517.* & *Quæstionibus* illius Capitis, *pag.528,&c.*

DE ECCLESIÆ ADMINISTRATIONE & GUBERNATIONE.

Consideranda ea venit tum in *Veteri*, tum in *Novo Testamento.*

I. Ecclesiæ Veteris Testam. gubernatio distinctas suas habuit periodos, ab Adamo ad Abrahamum, ab Abrahamo ad Mosen, à Mose ad Christum, de quibus videatur supra *pag.597.& seqq.*

II. Ecclesiæ Novi Testam. administratio fit ab eodem Ministerio Verbi, quo Deus quoque utitur ad ejusdem constitutionem. Agendum heic de Ministrorum Verbi *Vocatione, Gradibus* & *Dignitatibus*, itemque *Potestate.*

. *Vocatio* debet esse legitima, qualis fuit

α. *Apostolorum*, à Christo immediatè vocatorum, *Exemp.* Pauli, *Cap. I. 1. & XV. 15. 16.* Clariùs, *Gal. 1. 1.*

β. *Successorum*, aliorum Ministrorum Verbi, quorum vocatio legitima habetur, si fiat per legitima media, qualis olim fuit eorum, qui vel ab Apostolis, vel ab aliis legitimis Ministris fuerunt ad sacram hanc functionem ordinati, non tamen absque sed cum scitu & consensu totius Ecclesiæ. Ad hanc autem legitimandam opus est quoque interna Dei vocatione, per collationem gratiæ & donorum ipsius, *Exemp.* iterum Apostoli, *Cap. XII. v. 6. &c. & XV. 15. 16.*

2. *Gradus & Dignitates* Ministerii Ecclesiastici sunt distinctæ, quas Apostolus quadantenùs insinuat *Cap. XII. 6. 7. 8.*

1. *Primus & summus* Gradus est *Apostolorum*, qualis fuit Paulus cum reliquis, de quorum dignitate & præeminentia videantur, quæ suprà fuerunt annotata in Analysi ad *Cap. I. v. 1. pag. 10, 11.*

2. *Intermedii* gradus sunt

α. *Prophetarum*, *Cap. XII. 6.* quo nomine intelliguntur

a. *Didascali*, Doctores Evangelii in Ecclesiis & Scholis *Ibid. v. 7. b.*

b. *Monitores*, *Ibid. v. 8. a.* quo nomine intelliguntur speciatim *Pastores*, quorum est doctrinæ conjungere exhortationes & consimiles practicas Ministerii Ecclesiastici functiones.

β. *Præfectorum*, *προϊσταμένων*, *Ibid. v. 8. b.* Intelliguntur *seniores Ecclesiæ*, Pastorum in cura re-

giminis & custodia disciplinæ Ecclesiasticæ συνεργοι

3. *Infimi* gradus sunt tum *Curatorum* & Administratorum *bonorum Ecclesiasticorum*, quos Apostolus vocat *Dispensatores, Ibid.v.8.a.* tum *Curatores pauperum & ægrotorum*, quos vocat τὺς ἐλεῦντας, *Miserentes, Ibid.v.8.b.*

Sed de his omnibus suprà fusiùs actum in Analysi *pag.421,&c.*

2. *Potestas* Ministerii Ecclesiastici

α. *Ordinaria*, versatur circa

1. *Doctrinam*, quam vult Apostolus institui *secundùm analogiam fidei, Cap.XII.vers.6.* sartam quinetiam & rectam conservari contrà omnis generis irrepentes errores, hæreses & διχοστασίας Seductorum, *Cap.XVI.17,18.*

2. *Disciplinam*, quam oportet administrari ἐν σπουδῇ, *cum* summa *diligentia, Cap.XII.8.*

3. Εὐταξίαν *Ecclesiæ*, quò pertinet bonarum & salutarium in Ecclesia constitutionum ordinatio & conservatio, scandalorum & offensionum proximi, infirmiorum inprimis fratrum repressio & averruncatio. *Cap.XIV. & XV.*

β. *Extraordinaria* versatur in obeundis extraordinariis functionibus Ecclesiasticis, quales non raro necessitas & occasio requirit, ut quum Paulus Ecclesias Græcas solicitavit ad collectam pro pauperibus Ecclesiæ Hierosolymitanæ, *Cap.XV.26.* quum dehinc ad perferendam hanc collectam, aliaque Apostolatus sui munera exequenda, peregrinationem instituit Hierosolymam, in Hispaniam & Romam.

mam. *Ibid.v.24.* Huc ergo referri possunt *Visitationes* & explorationes Ecclesiarum etiam peregrinarum, *Actor.15.vers.36.* nec non *Concilia*, sicuti scimus Apostolum quoque ad Concilium Hierosolymitanum fuisse profectum, *Actor.15.2,22.*

Hactenus de Externis Mediis Ecclesiasticis *Communionis Fœderis Gratiæ* Dei *&* Christi.

De Regimine Politico.

Quantumvis ad dispensationem *Fœderis gratiæ* in Christo, Deus potissimùm & primariò *Regimen Ecclesiasticum* & *spirituale*, tanquam externum aliquod medium & adminiculum, instituerit, de quo hactenus actum: attamen, sicut olim Mosen Aaroni, sic Regimen quoque Politicum Ecclesiastico conjunxit, ut mutuas sibi operas præstarent. *Rat.* 1. Quia Deus Politias mundanas voluit esse Ecclesiæ suæ in his terris peregrinantis hospitia. 2. Quia propter Ecclesiam politiis vel *benedicit*, quum ejus habetur provida cura; vel *maledicit*, quum negligitur & variis afflictionibus ac persequutionibus premitur. 3. Quia Magistratum politicum Deus voluit esse custodem utriusque tabulæ Legis, & non solùm ea quæ ad Reipub. sed & ad Ecclesiæ pacem & tranquillitatẽ pertinent, curare. 4. Id quod inprimis Magistratui Christiano ad veram Dei ejusque Verbi cognitionem perducto, competit.

De hoc Regimine Apostolus agit *Cap. XIII. vers.1. & seqq.* agens de *Magistratus* Politici *originẽ, dignitate, potestate:* & de *Subditorum* ei debita *subjectione* & *obedientia*, de quibus videatur suprà nostra Analysis.

Hactenus de STATU GRATIAE.

B. DE STATU GLORIÆ.

STATUS GLORIAE pertinet ad seculum alterum. Estque tum *Inchoatus*, tum *Consummatus*.

I. *INCHOATUS* Status est Defunctorum. Ἀντιθετικῶς; heic considerandus *Status Animarum*, tum

1. *Electorum* ac *fidelium*, eorumque tum
   - α. *Vet.Testam.* Animas Patrum in Vet. Test. è corporibus egressas in locum beatitudinis cœlestis fuisse assumptas & translatas, docet
     1. Patrum una nobiscum fides, per quam fuére salvati, sicut nos, *Cap.I.17.& IV.5--8,12:*
     2. Exemp. Abrahami, Patris omnium credentium, ut, quâ fide ipse fuit justificatus & salvatus, eâdem quoque omnes credentes. *Ibid.v.12.& seqq.*
   - β. *Novi Testament.* De Animarum fidelium post mortem beatitate cœlesti iterum non esse dubitandum, patet ex locis. *Cap.II.7,8.& V.17, 21.& VI.8.* idque exemplo Christi, *ibid.v.9,10. & VIII.10,11.& 15--18,21,23.&c.*
2. *Reproborum* & *infidelium*. Horum animas corporibus solutas statim in Infernum, tanquam locum cruciatuum infernalium, detrudi, subinnuitur *Cap. II.v.8,9.*

II. *CONSUMMATUS* Status futurus est in consummatione Mundi, & Adventu secundo seu apparitione Filii Dei, quum venturus est ad *JUDICIUM EXTREMUM*.

1. *Judicium extremum* futurum esse, patet ex *Cap. II.v.16.*
2. *Judex* futurus est *DEUS per Jesum Christum*, cui

omnem

omnem etiam judicandi potestatem dedit. *Ibid.* & *Joh.* 5.22.

3. Coram hoc *Judicio* sistentur judicandi omnes Homines citra ullam exceptionem. *Cap.II.5, 6, 7.* & *XIV.10, 11, 12.*

4. Hinc *Judicium* hoc proximè antecedet *Resurrectio* omnium *mortuorum*, *Electorum* quidem & fidelium gloriosa, quæ futura est virtute Resurrectionis Christi, *Cap.VI.5.* & *VIII.11.* *Reproborum* verò & infidelium virtute judiciariæ Christi potestatis & justitiæ, ut accipiant ἀνταπόδομα suæ impietatis non solùm in animabus, sed & in corporibus. *Cap.II.6.* *Supervíventes* diem ultimum, ἐν ἀτόμῳ ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ *mutabuntur*, uti alibi testatur Apostolus, *1.Cor.15. vers.51, 52.* *1.Thess.4.15, 17.*

5. *Judicium* hoc futurum est non quidem διὰ τὰ ἔργα, *propter opera*; sed tamen κατὰ τὰ ἔργα, *secundum opera* Hominum. *Cap.II. vers.6.* Ut inter ἀπόδομα futurum & vitam præcedentem Hominum sit futura analogia atque proportio.

6. Hinc patefactio fiet in hoc *Judicio* omnium Hominis operum, tum bonorum tum malorum, etiam arcanorum & minutissimorum. *Cap.II.vers.3, 5, 6.* & *XIV.vers.12.*

7. *Electos* in hoc *Judicio* manebit 1. Absolutio, 2. Gloria cœlestis & vita æterna *Cap.II.vers.7, 10.* & *VI.8, 10.* & *VIII.17, 18, 21.*

8. *Reprobos* è contrario manebit 1. Condemnatio. 2. separatio à Deo & Sanctis. 3. abjectio in gehennam ad æternam ignominiam & cruciatus. *Cap.II.5, 8, 9.*

9. *Judicium extremum* comitabitur *Mundi consummatio* & liberatio ex servitute corruptionis in libertatem Filiorum Dei. *Cap.VIII.19,21,22.*

PARS II. S.SANCT. THEOLOGIÆ.

ΤΑ' ΠΡΑΚΤΑ'.

De ΠΡΑΚΤΟΙΣ, sive ad Vitam Christianam ritè informandam pertinentibus, de quibus secunda parte S. THEOLOGIAE agi solet, seqq. *Canones* occurrunt in hac Epistola Paulina.

In genere quidem

1. Non sufficere, τὰ πρακτὰ nosse, sed & agere, *Cap.II.v.17.& seqq.*
2. Ad τὰ πρακτὰ requiri talem vitam, quæ luci fidei nostræ respondeat. *Cap.XIII.11—14.*
3. Eaque conformia esse debere non Humanæ voluntati & traditionibus; sed soli Dei voluntati, tanquam unicæ benè beateque vivendi regulæ. *Cap.XII.2.*

In specie τὰ πρακτὰ referri possunt ad tria *Officia, Pietatis erga Deum*; *Charitatis erga proximum*; & *Temperantiæ erga nosmet ipsos.* Eadem Paulus alibi sic distinguit, quando vult nos vivere *εὐσεβῶς, δικαίως καὶ σωφρόνως. Tit.2.12.*

I. De *PIETATE ERGA DEUM*, seu *vero Dei Cultu.*

1. *Pietas* & *Cultus* Deo acceptus debet esse spiritualis, non tantùm in externis consistens observatiunculis & ceremoniis. *Exemp.* Pauli, *Cap.I.vers.9.* & *monito*, *Cap.XII. vers.1,2.*

2. Debet

2. Debet carere omni ἐθελοθρησκείᾳ, ut regula ejus sit solum Dei Verbum in S.Scriptura. *Cap.I.9.& XII.2.*

3. Multo minus ullâ idoloplasiâ & idololatriâ debet corrumpi, quod damnatur in Gentibus, *Cap.I.23.*

4. *Juramenta*, tanquam cultus Divini pars, ad veritatem Dei testimonio asserendam, non esse illicita, patet *Ex.* Pauli, *Cap.IX.1.*

II. De *Charitate erga Proximum.*

In genere tenendum,

1. *Charitatem* debere esse alienam ab omni malitia & conjunctam cum ἀκακίᾳ & propensione ad alios amandos. *Cap.XII.9,10.*

2. Hinc quoque debet esse fraterna. *Ibid.* adeoque sincera, carens omni hypocrisi. *Cap.XII.9.*

3. *Charitas* debitum est, quo quivis alteri obstrictus tenetur per totam vitam. *Cap.XIII.8.*

4. *Charitas* erga proximum κατ᾽ ἐπιτομὴν secundâ Legis tabulâ præcipitur. *Ibid.v.9,10.*

5. Eadem est complementum totius Legis. *Ibid.v.8,10.* quia ex ea quoque cognoscitur charitas erga Deum, tanquam causa ex suo effectu.

In specie occurrunt heic varia monita pertinentia ad *Vitam Conjugalem, Ecclesiasticam, Politicam, Ethicam.*

De Vita Conjugali.

1. Individuus est esseque debet nexus copulæ Conjugalis per totam vitam. *Cap.VI.1,2,3.*

2. Mors Conjugis unius permittit superviventi nuptias secundas. *Ibid.v.3.*

De Vi-

De Vita Ecclesiastica.

Quilibet fidelis, tanquam membrum Ecclesiæ, debet donis à Deo concessis, ad Dei & Capitis Christi gloriam, aliorum bonum, & Ecclesiæ totius ædificationem uti. *Ex.* membrorum Corporis Humani. *Cap.XII.4--8.*

De Vita Politica.

Magistratui Politico, etiam infideli, non est resistendum. *Cap.XII.2:* sed subjectio præstanda. *Ibid.vers.5.* per obedientiam. *Ibid.v.3.* per tributa & vectigalia, per timorem & honorem. *Ibid.v.6,7.*

De Vita Ethica.

1. Paci studendum cum omnibus, quantum possibile. *Cap.XII.18.*
2. Cavendum hinc à lite & invidia. *Cap.XIII.13.*
3. Nec non ab aliorum condemnatione. *Cap.II.v.1.& XIV.3,4,13.*
4. In prosperis & adversis idem nobis cum proximo animus esto. *Cap.XII.v.15,16.* nec non in omnibus aliis. *Cap.XV.vers.5.*
5. Misericordiæ eique hilari studendum erga proximum. *Cap.XII.8.*
6. Nec non veracitati, *Exemp.* Pauli, *Cap.IX.1.*
7. Itemque honorificentiæ. *Cap.XII.10.*
8. Beneficentia cum diligentia & zelo exercenda, ad Dei gloriam. *Cap.XII.11.* Inprimis necessitati sanctorum subveniendum ex compassione. *Ibid.vers.13.* & peregrini hospitalitate sunt excipiendi. *Cap.XII.vers.13.& XVI.vers.2.* Ecclesiæ verò pauperes atque laborantes sunt sublevandæ per collectas

lectas Eleemosynarias, *Exemp.* Macedon. & Achivorum. *Cap. XV.26,27.*

9. Pro fratribus, inprimis fidis Ministris Verbi, periclitandum usque ad discrimen vitæ. *Ex. Aquilæ & Priscilla. Cap.XVI.4.*

10. Fide infirmi sunt tractandi cum prudentia & mansuetudine. *Cap.XIV.1.&c. & XV.1,7.*

11. Charitatem debemus etiam inimicis. Hinc cavendum ab ἐπιχαιρεκακίᾳ. *Cap.IX.vers.2. & X.vers.1.* itemque vindicta, *Cap.XII.17,19.* quin imo inimicorum injuriæ & malefacta sunt compensanda per beneficentiam. *Ibid.v.14,20,21.*


III. De *Temperantia* & *Continentia Suiipsius.*

1. Cavendum ab ὑπερφρονεῖν, & sobrietati studendum in sapiendo. *Cap.XII.vers.3.* & vitanda ἡ δοξησισοφία. *Cap. XII.vers.16.*


2. Prudentiæ studendum in bono, & simplicitati in malo. *Cap.III.8.& XVI.19.*

3. Cavendum ab intemperantia in cibo & potu, à libidine, & in genere à cupiditatum carnalium expletione. *Cap.XIII.13.*

ΜΟΝΩι ΤΩι ΘΕΩι ΔΟΞΑ.



Llll



GRATIARUM ACTIO
AD DEUM.

OMNIPOTENS atque Misericors DEUS, gratias tibi habeo immortales pro tuis immensis & innumerabilibus miserationibus, quibus genus humanum, jam inde à funesto lapsu primorum Parentum nostrorum prosecutus es: dum non solùm lumen Naturæ in ipsis majori ex parte extinctum quotidie soles augere & conservare, per contemplationem operum tuorum mirabilium in toto Mundo, ex quâ etiam prophani & gentiles homines possunt provehi ad Cognitionem æternæ tuæ Potentiæ ac Divinitatis: sed quod insuper majus lumen Gratię, videlicet Sacro-Sanctum Verbum tuum, volueris generi Humano illucescere, ad pleniorem & salutarem non solùm naturæ, sed etiam Voluntatis tuæ gratiosæ, quam de nobis concepisti ab æterno, in Filio tuo unigenito Domino nostro JESU CHRISTO, cognitionem.

Hoc quidem beneficium olim primitùs contigit tantùm Judæis, electo populo tuo, cui eloquia tua credidisti: Ast in plenitudine temporis, pro tuâ admirabili misericordiâ, illud dilatasti in totum terrarum Orbem, adeo ut gentes alienigenæ, quæ erant sine Christo & Deo in Mundo, in tenebris sopitæ, à fœdere & promissionibus tuis extraneæ, nunc ambulent in splendore faciei tuæ, & te non solùm Creatorem, sed & Redemptorem suum in Personâ JESU CHRISTI, per veram fidem amplectantur, agnoscant & celebrent. Hoc fine quoque Sanctum Apostolum Paulum voluisti Vas esse tuum Electum,

ctum, quod portaret Nomen tuum in conſpectum Gentium & Regum totius terræ. Id quod ipſe ſatis teſtatum fecit præclarâ illâ & aureâ Epiſtolâ, quam inſcripſit Gentilibus Romanis, qui olim in idololatriâ & horrendis aliis peccatis atque ſceleribus veluti ſepulti fuerant: quorum tamen poſtmodùm fides fuit annuntiata & celebrata in toto mundo.

Gratias tibi dehinc habeo, quas poſſum maximas, pro ſingulari & paterno tuo auxilio, quo me in Epiſtolæ hujus, tum Analytica tum Erotematica Illuſtratione, hactenùs tam clementer direxiſti, adjuviſti, ſublevaſti. Inprimis quòd telam hanc antehac cœptam potuerim tuâ fretus & adjutus gratiâ pertexere, nonniſi inter catenatos multiplices labores alios, & morbi ſævi ac pertinacis varios impetus atque remoras, in quo, dum ego miſer Servus tuus etiamnum anxius & anhelans hæreo, genua cordis mei ſupplex flecto coram throno Gratiæ tuæ, ut in irâ tuâ velis memor eſſe tuæ Miſericordiæ, virtutem infirmo, ſolatium afflicto præſtare, & lætâ aliquâ cataſtrophe me exhilarare pro beneplacito ſanctæ tuæ & gratioſæ Voluntatis. Affunde è cœleſti tuo Sanctuario benedictionem huic labori meo, ut redundare poſſit ad Gloriam Nominis tui, ad Veritatis æternæ illuſtrationem & propagationem, errorum, quibus Eccleſiæ hoc ſeculo ab hominibus contentioſis, ambitionis typho inflatis, perturbari ſolent, diſpulſionem, ad Juventutis ſtudioſæ multiplicem ædificationem, ad patientiæ in variis tentationibus atque ærumnis conſolidationem, vitæ denique noſtræ totius quotidianam emendationem & reformationem.


Da DOMINE, ut nos, quamdiu in hoc ſeculo peregrinamur, intentos ſemper oculos & animos habeamus in Cynoſuram & lumen Verbi tui, quod nobis per Sanctos

Prophetas & Apostolos tuos reliquisti, ut Lumen hoc nobis quotidie prælucens, diligamus, dilectum sequamur, & totos nos in reliquo vitæ nostræ curriculo ad ipsius splendorem & ductum conformemus; donec suo tempore à via ad metam nobis propositam feliciter progressi, Te non amplius in speculo aut ænigmate cognoscamus, sed de facie ad faciem in cœlesti Patriâ contemplemur, & cum Filio tuo unigenito Domino Nostro JESU CHRISTO & SPIRITU SANCTO Paracleto celebremus, sine fine accinentes myriadum myriadibus sanctorum Angelorum: Amen, benedictio, & gloria, & sapientia, & gratiarum actio, & honor, & potentiâ, & robur DEO nostro, in secula seculorum.

Amen.



IN-



INDEX I.
QVÆSTIONVM, in singulis Capitibus discussarum.

In Cap. I.

In Cap. II.

In Cap. III.

In Cap. IIII.

IN CAP. V.

In Cap. VI.

Nun-

In Cap. VII.

In Cap. VIII.

An

IN CAP. IX.

In Cap. X.

In Cap. XI.

In Cap. XII.

In Cap. XIII.


An

In Cap: XIV.


At

IN CAP. XV.

In Cap. XVI.



INDEX



INDEX II.


LOCORVM S.SCRIPTVRÆ, passim in toto libro illustratorum, vindicatorum, applicatorum: quibus addita quoque loca ex hac ipsa Epistola, extra suas sedes allegata & illustrata.

Cap.

Cap.

Cap.

Oooo



INDEX III. RERUM & VERBORUM.

A.

Animæ

salutem

Q.

R.

Refor-

T.




MEN-

MENDA.

Pag.8.l.29. lege, *Gratitudine Deo.* p.9.l.32.33. *arcessitur.* p.11.l.20. εἰς ἀ-αγγέλιον. l.27. *à catervâ.* p.12.l.31. *Paradiso.* p.14.l.3. γεννώμενον. p.15.l.29. πρεσβεῖον. p.19.l.3. ἀνανύμενον. p.29.l.29. *vocata.* p.37. l.29. ἀποκαλύψεως. p.38.l.15. ἀποδόσεως. l.36. ἀπόδοσις. p.47.l.9. ἱερατικῶς. p.52.l.ult. *ad mitigandam.* p.50.l.22. *David.* p.67.l.57. *Virtutem.* ibid.lin.penult.dele *ab ipso scilicet.* p.68.l.2. *spopondit.* p.72. l.27. *Forma & Modus.* p.82.l.5. ἐργάται. p.95.l.31. *Sicut enim mors.* p.107.l.32. ἥμαρτον. p.115.lin.pen. *condemnatione.* p.116.l.41. Τὸ [ἐφ' ᾧ] p.117.l.30. ἀντιζυγία. p.118.l.25. *qui non peccarunt.* p.124.l.29. πολιτεύεσθαι. p.128.l.25. *confinxit.* ibid.l.antep. *Sacramentis.* p.131.l.1. *constitueret.* p.136.l.13. παρεδόθητε. l.14. παρεδόθη. l.30. 2. *in Lege.* p.165.l.4. *volitum.* p.168.l.ult. *spirituali.* p.170.l.8. αἰχμαλωσία. p.171.l.4. *residui.* p 176.l.3. *in uno.* p.177.l.7. *peccatum.* l.26. *quasi justitia.* p.203.l.28. *quia tribuitur.* p.245.l.36. *suprà, Cap.3. vers.24.25.* p.246.l.23. *quia alius.* p.251.l.43. *certitudinē.* p.263.l.2. *Noverat enim satis.* p.264.l.4. ἐμφανίζεσθαι. l.13. *parallelum, aggregat.* p.289.l.22. *ita Deut.* p.303.l.17. *concepti. An &c.* p.328.l.31. *cum ejus.* p.332.l.16. *justificemur.* p.333.l.28. *Legis obtendunt.* p.334.l.21. *quin omni.* p. 346.l.31. *ut ipsorum.* p.360.l.5. *post mortem Salomonis* δημιουργῷ, *&c.* l.15. *pendebant.* p.374.l.35. *quia videtur, &c.* p.380.l.24. *occurrūt duplices.* p.382.l.27. *indicium miseria.* l.ult. *argumentum.* p.383.l.24. *erga fideles ex Gentibus.* l.26. *permanseris.* p.424.l.8. *In genere, exigendo.* p.468.l.46. *restringendum.* p.475.l.19. *condemnas.* l.20. *membrum.* p.480.l.23. *variis.* p.486.l.11. *& in unione.* p.495.l.16. *potuisse.* p.496.l.38. *Matth.5..* l.42. *adiaphoristica.* p.499.l.18. *uberiorem.* p.504.lin.marg.2. *Deut.32.43.* p.509.l.13. *invicem.* In Gratiarum actione, col.2.l.16. *anxius.*

Si & alia quæpiam observaverit benevolus Lector, haud gravatim ea emendabit.

F I N I S.





1-6-3